P. o. lat. 494

<36614200120017

<36614200120017

Bayer. Staatsbibliothek

Donum Ven. Auctoris.

JO. AUG. ERNESTI
OPUSCULA
ORATORIA,

ORATIONES, PROLUSIONES
ET ELOGIA.

ACCESSIT

NARRATIO

DE

JO. MATTHIA GESNERO

AD

DAVIDEM RUHNKENIUM V. C.

Editio secunda multis partibus auctior & emendatior.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM ET JOHANNEM LUCHTMANS,
Academiae Typographos, 1767.

Ab/52/347

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

JO. AUGUSTUS ERNESTI

AEQUO LECTORI

S. D.

Non adeo mea mihi placent, ut multum interesse putem literarum & studiosorum, parvas illas schedas, quas per varias occasiones edidi, volumine uno comprehensas latius propagari, atque ita iis etiam a communi talium libellorum fato caveri. Itaque si haec una res potuisset hanc vim habere, ut consilium hujus editionis injiceret, nihil tale mihi erat in mentem venturum. Ac verissime possum dicere, nulla alia de re minus unquam a me cogitatum

esse,

esse, quam de his opusculis tali modo vulgandis, satisque mihi gloriosum visum, si quidem in tam parva re magnum gloriae nomen usurpare licet, quod ea audieram a multis non invitis lecta, quaedam etiam formulis typographicis esse repetita. Possum etiam nominare, qui non modo se obtulerint redemtores, si potestatem sibi facerem, ea in unum volumen congesta repetendi, sed etiam, ut hoc sibi per me liceret, rogaverint; nec tamen id a me potuerint impetrare. Sed cum mihi demonstratum esset, non neminem hoc agere, ut ea ederet universa, sive in eo se putaret gratum mihi facturum, sive alia de causa; minus alienus esse coepi a consilio talium opusculorum in unum quasi corpus colligendorum. Itaque si quae putabam me diligentius scripsisse in genere eo, quod ad eloquentiam pertineret, ea per otium retractavi, & castigatiora reddere tentavi. Ceterum, ne nihil novi in hoc volumine esset, addidi nonnulla nondum vulgata, Oratio-

tiones aliquot, & Narrationem de *Jo. Matthia Gesnero*, hanc quidem etiam de voluntate eorum, qui a me potissimum vellent aliquid de hujus viri vita scribi, qui ingenium ejus & bona cetera maxime & cognoverim & amarim. Additurus eram similem de *Christiano Ludovico Stiglitio* Narrationem; nisi ea, & majus, quam hoc tempore erat, otium, & tempora meliora postularet. Non ita me disertum arbitror, ut his edendis exemplum bene scribendi ac dicendi proponi posse putem studiosis eloquentiae Latinae: studium quidem ejus me his legendis commovere voluisse, non negaverim. In quo me nihil spero cogitasse, quod sit ab his temporibus alienum, quibus literatores doctissimi, & studiosissimi quique literarum humaniorum, tantum doctrinae famam petunt, eloquentiae parvam rationem ducunt, cujus facultatem illi principes literarum, qui ante haec duo secula fuerunt, ut Veteres taceam, omnium maxime expetendam, ejusque

laudem ceteris docti hominis laudibus longe anteponendam judicabant. Quod ſi cui, vel in hanc, vel in aliam quam partem, horum opusculorum lectio profuerit, hunc quoque qualemcunque laborem a nobis bene collocatum exiſtimabimus. Vale. Scripſi Lipſiae a. d. XXIV. Martii.

INDEX ORATIONUM.

I.

De Humanitatis Disciplina. Pag. 1

II.

Pectus est, quod disertos facit. 20

III.

De Institutis Criticorum in studiis Theologiae imitandis. 38

IV.

De Conversionibus Eloquentiae. 57

V.

De studiis Philosophiae discendae docendaeque regendis. 72

VI.

De doctrinae accuratae & promtae laudibus. 86

VII.

Ad orationem panegyricam in Fridericum Christianum, Pr. Elect. Sax. 100

VIII.

Oratio in Exequiis Friderici Christiani, Pr. Elect. Sax. 110

ACROASIUM.

I.

De Belli Pacisque artium comparatione. 139

II.

De ingeniorum Graecorum & Romanorum comparatione. 152

PROLUSIONUM.

I.

De nomine Patris Patriae. 165

II.

De artis bene cogitandi & bene dicendi conjunctione. 174

III.

De laudis & famae ſtudio. 184

IV.

De Philoſophia populari. 189

V.

De Philoſophia vitae. 197

VI.

Ad ſacra euchariſtica ob reſtitutam patriae pacem. 208

VII.

Ad orationem panegyricam in Fridericum Augustum, Reg. Pol. El. Sax. 218

ELOGIORUM.

I.

Joannis Friderici Christii. 229

II.

Joannis Christiani Hebenstreitii. 241

III.

Joannis Florentis Rivini. 254

IV.

Benjamini Gottl. Bosseckii. 266

V.

Joannis Ernesti Hebenstreitii. 280

VI.

Christiani Gottl. Joecheri. 291

VII.

Friderici Augusti Sandelii. 304

VIII.

Caroli Gotfridi Winkleri. 312

IX.
Henrici Diderici Nedderhofii. 322
X.
Georgii Gotfridi Zemiſchii. 332
XI.
Joannis Zachariae Platneri. 342
XII.
Juſti Gotfridi Gunzii. 355
XIII.
Joannis Jacobi Maſcovii. 362
XIV.
Georgii Henrici Schmidii. 379
XV.
Gotfridi Guilielmi Kuſtneri. 388
XVI.
Joannis Gotfridi Baueri. 400
XVII.
Friderici Guilielmi Schleusneri. 412
XVIII.
Caroli Friderici Trieri. 423
XIX.
Zachariae Richteri. 433
XX.
Caſpari Borneri. 445
Acceſſit
Narratio de Jo. Matth. Gesnero. 465

JO. AUG. ERNESTI

ORATIONES.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

ORATIO PROFESSIONIS

HUMANIORUM LITERARUM EXTRAORDINARIAE ADEUNDAE CAUSA RECITATA

A. D. IX. APRIL. A. CIↃIↃCCXLII.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE

VIRI DIVINAE HUMANAEQUE SAPIENTIAE CONSULTISSIMI

COMMILITONES HUMANISSIMI

Eſt haec nobis a majoribus tradita, & doctiſſimo cuique uſurpata conſuetudo, ut, qui, Principis beneficio, publice in hac Univerſitate literaria docendi poteſtatem ſunt conſecuti, adeundi muneris cauſa, orationem ex hoc loco habeant eam, qua non ſolum gratos ſe pro beneficio probent, ſed etiam

initia muneris Profeſſorii, diſputatione aliqua ex interioribus literis depromenda, commendent. Ac profecto non is ego ſum, qui morem hunc inſtitutumque majorum reprehendendum putem: quo colendo, effici arbitror poſſe, ut, eodem tempore, & gratus & doctus reperiare. Sed me non ſolum verecundia quaedam ab hoc conſilio avocat, & is, quem mea mihi natura attribuit, pudor, alienus ille fortaſſe ab hoc tempore, ſed juſtus tamen, & veſtrae, Patres, eruditioni debitus: verum etiam retinet atque impedit honoris mihi beneficiique tributi gratia: qua plenus jam ac redundans animus, nullius praeterea rei cogitationi, neque locum relinquit, neque aditum omnino concedit. Quare date mihi hanc veniam, Auditores, ut mihi liceat omnem ex hac oratione ſubtiliorem diſputationem circumſcribere ac tollere: quam & veſtra, Patres, eruditio ſupervacuam facit, & vos, Commilitones humaniſſimi, hoc tempore non magnopere deſideratis, ſed ad eas potius differri vultis horas, quibus ad ejusmodi diſputationes audiendas conveniri ſolet. Concedat jam diſſerendi ſubtilitas pietati. Non tam doctus vobis videri cupio, quam gratus: neque ullus eſſe locus oſtentandae doctrinae poteſt, ubi pietas omnia occupavit. Nam, quid ego aliunde materiam dicendi petam? cum eam ita copioſam mihi ſuppeditet ipſa, quae me ad dicendum impulit, cauſa, ut ea vix longiſſima oratione conſumi poſſe videatur? Quod ſi quid forte de me dicam, quamquam hoc modice ac parciſſime fiet, rogo vos, Auditores, ne id arrogantiae potius vanitati, a qua longiſſime meus me removet pudor, condonatum, quam officii neceſſitati conceſſum putetis. Nam, cum is demum vere gratus dici haberique poſſit, qui omnem beneficii vim ac magnitudinem & animo & oratione amplectitur: quomodo ſatis gratus potero videri, ſi, in quo beneficii, haud ſcio an maxima, pars eſt poſita, &, quod mihi in eo proprium eſt ac praecipuum, id, arrogantiae ſuſpicionem fugiendo, tacitus praeterire velim?

Ita per ſe jucundum & eſt, A. & habetur, docere, ut, quo quis ſe doctiorem ceteris putet, eo magis gaudeat, vel honoris cauſa, alios voce literisque eru-

erudire, & cum iis aliquid de ſuo communicare. Neque hoc fit vanitate quadam & levitate animi, ut maligni quidam naturae interpretes judicarunt, quod, qui alios doceat, hoc ipſo, plus iis ſcire ac ſapere videatur, quam ipſius naturae quodam inſtinctu ſalutari. Videmus enim hoc in infantibus, in quibus, tanquam in ſpeculis, vera & nulla dum vanitate fucata naturae ſpecies & imago cernitur, cum fabulam aliquam, vel quamcunque rem ſibi inauditam antea inviſitatamve didicerunt, audiverunt, viderunt, quomodo aliquem anquirant, cui narrare poſſint: quomodo angantur tacere juſſi: denique, ubi ſapientiam ſuam apud aliquem effudere, ut ſibi veluti reſpiraſſe, & onere quodam levati videantur. Atque hoc natura, quae omnes actiones, ad vitam bene tuendam maxime neceſſarias, ſuavitate quadam commendavit, ſapienti quodam conſilio ſic eſt in homine machinata: ut, quoniam plurimae maximaeque humanitatis partes diſciplina continerentur, eo plures eſſent, qui hac docendi dulcedine deliniti & capti, eum laborem, quem forte neceſſario ſuſcepiſſent, etiam libenter ſuſciperent, ſibique imponi adeo gauderent. Sed, ut eſt ad ſuavitatem fructuoſum, docere, ita ad laudem honorificum habetur: non imperitorum & vulgi opinione, ſed rationis judicio integre incorrupteque judicantis. Eſt enim hoc a natura ſic conſtitutum, ut omnis laus honosque, inter homines, ingenio, ſapientiae virtutique pareret. In quam poſſeſſionem etſi invadunt, & juſtos dominos ex ea, per imperitorum factionem, ſaepe dejiciunt divitiae, genus, honores: tamen & rationis lege aeternam illi auctoritatem obtinent, & juſtis poſteritatis vindiciis in legitimam poſſeſſionem reſtituuntur. Non videtis, eos viros, quorum a nobis ingenium, ſapientia, virtusque literarum monumentis prodita, ſpectatur, ut admiramur, ut amamus, nihil quaerentes, quam divites illi fuerint, quam nobiles, quam honorati? Jacent divites Craſſi, nobiles Antonii, purpurati Rufini: in coelo ſunt Homeri & Platones, Cicerones & Virgilii, Ariſtides & Cato. Eſt enim hoc inſitum in animis, penitusque infixum in ſenſibus noſtris, ut omnis laus & honos penes ingenium virtutemque ſit, neque ad ejus com-

munionem fortuna admittatur. Quare, quomodo poteſt non honorificum, niſi videri, tamen eſſe, ſi quis hoc eſt conſecutus ingenio, ſtudio, diligentia & exercitatione, ut alios bonis artibus erudire, eorumque ingenia fingere poſſit, & exiſtimetur poſſe. Etſi enim praeclare ſcio, inter militares aulicosque in primis homines, multos & olim fuiſſe, & cum maxime eſſe, quibus totum hoc docere obſcurum & parum honorificum videatur: idem tamen illud, & ratione intelligo, & auctoritate ſummorum hominum, multumque in republ. verſatorum, impulſus credo, in ea opinione plus levitatem aliquam & errorem popularem, quam gravitatem & rectum judicium valere. Nam, cum nihil vile eſſe & contemtibile poſſit, quod cum utilitate publica ſit conjunctum, qua vel ſola rerum humanarum praeſtantiam metimur, quae vel ſola actionibus noſtris pretium facit: quo tandem jure hic docendi labor poterit contemni, quo nihil ad utilitatem publicam neque majus eſſe, neque uberius poteſt? Itaque Cicero, cum, poſt bellum civile, & literis, & voce, philoſophiae eloquentiaeque praecepta traderet, etſi ridebatur a nobilibus hominibus, qui hoc docendi ſtudium obſcurum neque dignum ejus perſona putarent: tamen, ea re nullum ſe majus reipublicae munus praeſtare poſſe, judicabat. Quare, qui poſſum non, in egregii beneficii loco, impoſitum mihi docendi munus habere, quod nobis & ſuavitate quadam natura commendavit, & utilitas publica honorificum fecit: praeſertim in hac Academia, quae ex omnibus, per omnem Germaniam, Scholis, & celebritate frequentiſſima, & literis affluentiſſima, & fama nobiliſſima, humanitate denique cultiſſima cenſetur. In felicitatis parte ponitur, in hac urbe tolerabili conditione vivere, in primis inter eruditos; quod nulla alia urbs ita omni eruditionis ſupellectili & inſtrumentis abundat: & ego mihi non ducam honori, quod in hujus urbis celeberrima Academia publice docere juſſus ſum, in qua etiam honorificum putatur, privatim bonas literas docentem audiri, & doctis hominibus probari? Quid? quale illud eſſe de me judicium dicam, quod humaniorum literarum publicus magiſter ſum conſtitutus? quod omnium earum artium, quarum maxi-

maxima vis ad ingenium humanum conformandum putatur, disciplina mihi est commissa? Equidem docto homini, qui dignum se praestare liberali doctrina velit, longissime rationes suas ab eorum vanitate & arrogantia sejungendas semper judicavi, &, ut meae sejunctae essent, laboravi, qui, ad quamcunque doctrinae partem eos, sive naturae quidam impetus convertit, sive consilium judiciumque deduxit, sive casus denique detulit, eam tanquam pulcellam filiolam exosculantur, eam unam extollunt, eam solam sapientiam esse, & credunt, & jactant. Semper hoc ego & mihimet ipsi & aliis voce literisque suasi, ut illam eruditam popularitatem amplexarentur, quam Cicero in Attico, elegantissimo homine, amabat, qui nullius disciplinae quamvis tenuem praeceptionem contemnebat. Est aliquis, sive suo, sive aliorum judicio, egregius Philosophus? Per me doctus homo & laude dignissimus esse poterit. Ipse ego, nominis hujus pulcritudine a pueritia captus, ut philosophiam non ignorarem, laboravi: etiamsi illam summam subtilitatem, quam quidam delicati homines barbariem & garrulitatem, male fortasse, vocant, nunquam assequi potui. Sit ergo doctus ille & honestus: modo ne Theologos & ceterarum magnarum artium magistros contemnat, & rationis expertes judicet, qui suam disciplinam, ad hanc novam & formulariam philosophandi subtilitatem, conformare nolunt: modo ne Literatores & Criticos fungos esse stipitesque putet, & omnibus modis ad contemtum adducere studeat. Est aliquis, qui vernaculae linguae disciplinam perceperit, in eaque majorem ceteris facultatem sit consecutus? honestus, per me, & laudatus erit. Quomodo enim ejus rei facultas jure poterit contemni, quam & usus necessariam facit, & ipse patriae amor commendat? modo ne Graecas Latinasque literas prae vernacula lingua contemnat, iisque tractandis ita corrumpi ingenia delerique dicat, ut, quo quis magis earum scientia excelluerit, eo minus, vel de syllogismo, judicare potuisse criminetur. Omnium artium ac disciplinarum quaedam est inter se conjunctio, & altera alterius auxilio indiget. Omnibus suum est pretium, sua dignitas, suus honos. Ament ergo se

invicem artes & colant, mutuoque amore nihil ſibi honeſtius eſſe putent. Procul habeant odium, invidiam, obtrectationem, easque non minus ſibi, quam ſororibus, turpes eſſe arbitrentur. Sed idem ille ego, qui omnium artium ac diſciplinarum magnus ſemper & fautor & admirator fui, tamen illud, & uſu ſenſuque edoctus ſcio, & pace, opinor, veſtra, affirmo, ejus diſciplinae, quae humanitatis nomine praedicatur, quamque profitentur hi, qui Grammatici Criticique appellantur, ejus, inquam, diſciplinae eſſe, non praecipuam aliquam dignitatem, ſed praecipuam quandam difficultatem. Nam, cum ea ſit omnium veterum ſcriptorum interpres ac judex. cum ejus ſit, ſenſus obſcuros aperire, corrupta emendare, a ſpuriis genuina diſcernere, quid recte, acute, magnifice, ſuaviter dictum, ſecusve, ſit, judicare : id autem, ſine ſcientia & verborum & rerum, fieri non poſſit: quis non intelligit, verum eſſe, quod Sextus, philoſophus, judicavit eum, qui hujus diſciplinae vim perceptam habere velit, non modo verborum prope infinitam vim & copiam tenere, ſed etiam nullius prope liberalis artis rudem eſſe oportere. Itaque, ſi quis, in hoc genere doctrinae ad laudem, vel mediocrem, adſpirat, is, ut nihil de ingenio dicam, ſtudium certe diligentiamque tantam in ea debet conſumere, ut ſibi, non ſolum honeſtas voluptates, ſed etiam propemodum neceſſitates, debeat negare. Haec tanta difficultas facit, ut, his in primis temporibus, quae tantopere ad mollitiem & remiſſius vivendi genus incubuere, ita, uti corvos albos, adſpiciamus homines, longius in hac humanitatis diſciplina provectos. Itaque, ſi quis putatur is eſſe, cui literarum humaniorum docendarum munus recte committi poſſit, ei, ſi nihil aliud, diligentiae tamen permagnae teſtimonium tributum videtur. Quare, cum hoc de me judicium factum ſit, ut mihi publica humanitatis diſciplina mandaretur : ſive, quod is ſum, qui hoc munus recte ſuſtinere poſſim, ſive, quod ita tantum exiſtimatum eſt, magnum ſane qualiscunque ſtudii mei capio & perjucundum fructum. Et, cum mihi ſuave eſſe, & honorificum videri tale de me judicium deberet, ſi quemcunque haberet, non plane contemnendum,

aucto-

auctorem: quale mihi tandem, quamque amplum debet videri, cum auctorem habeat AUGUSTUM Regem? quam gloriosum, cum sapientissimum & bonarum literarum amantissimum Principem? quam amabile denique, cum optimum patriae Patrem? Quid? quale illud existimare debeo, quod in hanc de me sententiam, suffragationibus virorum summorum est adductus: qui ea sapientia prudentiaque sunt, ut de dignitatibus hominum rectissime possint judicare, eo autem in bonas literas & hanc Universitatem literariam animo, ut cujusque disciplinae tradendae munus in loco cupiant poni. Est haec quoque de plurimis maximisque Saxonicae Domus laudibus, quod ea, inde ab instauratarum bonarum literarum tempore, tam enixe, his in primis humanioribus literis, favit, ut hoc tanto ejus favore invitatae Musae in his terris sedem suam libentissimis animis fixerint. Quis nescit, quid Georgius Barbatus ille, pro his literis fecerit? quid Mauritius? quid ceteri deinceps Principes? Hic ipse AUGUSTUS noster, quantum, inde a prima aetate, his literis tribuit? qui etiam tum, cum in Italia peregrinaretur, iis, qui in hoc genere excellebant, nominatimque Averanio, elegantissimo homini, non raro hoc honoris habuit, ut ad eos audiendos veniret. Quare, cum, in beneficiis ponderandis, momentum haud parvum faciat, si, quod nobis tributum est, ei carum esse constet, qui tribuit: haec sane cogitatio, quod eas literas, in quibus docendis opera mea versabitur, beneficii auctori ipsi caras & jucundas esse scio, tantum, apud me, beneficii gratiam auget, ut vere hoc possim dicere, nullum alium usquam esse Principem, a quo aeque libenter hoc munere velim ornari. Sed haec omnia, quantamcunque, ad augendam beneficii gratiam, vim habeant, quae habent profecto permagnam, tamen multis communia reperietis. Illud autem mihi proprium est, quod ita creatus sum, ut, multis abhinc annis, mei ordinis nemo. Nam, cum hoc, & lege esset sancitum, & alio praeterea modo videretur cautum, ne, qui in Schola Senatoria literas doceret, idem posset publicas in Academia scholas habere, isque adeo, quem hodie adii, locus omni modo septus mei ordinis hominibus & obvalla-

tus videretur: tamen aditum ad hunc locum mihi aperire, gratia legis facta, placuit, & exemplum prodere in posterum, ne cujusquam diligentia, desperatione hujus loci simul obtinendi, retardaretur: ut mihi videantur ista propterea sic fuisse constituta, ut, si cui aliquid praecipui tribueretur, beneficium eo majorem gratiam haberet, & eo acrius animo, ad laudis studium, calcar admoveret.

Quem ergo mihi esse animum, in hoc tanto beneficio, quantamque mihi curam & sollicitudinem putatis esse injectam, quomodo tantum tam insignis de me judicii beneficiique onus sustinere, atque efficere possim, ut ei satis videar respondere? Ejus autem rei haec una mihi relicta ratio videtur, si, quantum ingenio, studio, diligentiaque possim consequi, efficiam, ut eae artes, quibus haec humanitatis disciplina continetur, vobis, humanissimi Commilitones, per me fiant notiores, sique vos in justam earum consuetudinem adducam. Cujus rei studio cum antea, sua sponte, animus flagrarit, nunc profecto, his novis alimentis subjectis, multo est inflammatus magis. Itaque id diligenter a me, publicis privatisque scholis, agetur. Hoc tempore satis habebo, si, quemadmodum veteres Romani, in publicarum privatarumque rerum initiis, aliquid, auspicandi causa, ut loquebantur, agebant, quod ad eas res pertinere videretur, ita nunc ego, boni ominis causa, aliquam muneris mei partem decerpam atque delibem, hoc est, si, quod unum oratione effici videtur posse, aliquam vobis cupiditatem injiciam, hujus humanioris disciplinae percipiendae. Quod dum facere instituo, non vereor profecto, ne mihi eveniat id, quod his solet, qui, nuptias falsis laudibus conciliando, malam ab utraque parte ineunt gratiam. Neque vos ii estis, Commilitones humanissimi, quorum connubium istae nostrae artes aspernentur: neque artes nostrae sunt eae, quibuscum, si semel apud eas habitare coeperitis, non, per omnem vitam, suaviter vivere possitis. Atque utinam, quas illecebras illae, quae incantamenta & quasi veneficia habent, ea, oratione mea, omnia complecti possem! Efficerem profecto, ut nemo vestrum mihi, nisi earum captus irretitusque amore,

hinc

hinc difcederet. Sed, quoniam ea res non cadit in hanc ingenii mei orationisque tenuitatem, illud unum, atque id ipfum quam pauciffimis, agam, ut, quas nonnulli minus rectas de his literis opiniones fortaffe fufceperint, funditus, fi poffim, evellam, ne quis iis fe, ab earum confuetudine petenda, deterreri patiatur.

Saepe enim ad aures meas veniunt eorum fermones, qui ita de his, & in circulis, & in adolefcentum conventibus loquuntur, ut eas in folis verbis, in minutis quaeftiunculis, in fyllabis, ac fingulis paene literis interpunctionibusque verborum, in erroribus denique veterum librariorum, verfari, ac nihil omnino ad vitam humanam, ad rempublicam, pace belloque adminiftrandam, ad majores denique difciplinas prodeffe dicant, &, quantum in ipfis eft, in fummum contemtum adducant. Atque ego faepe a doctis hominibus audivi, hujusmodi fermones his caufis commoveri: fi quis, propter earum literarum ignorantiam, turpiter fe dederit: fi eos, qui in his literis aliquid poffunt, fibi non adeo multum tribuere fufpicetur, aut ab iis vel reprehenfus effet, vel, ne reprehendatur, timeat, & propterea e re fua putet, fe adverfus eos fuperbia munire & contemtu armare. Sed horum nihil omnium in quemquam confero. Bona fide, & de vera animi fententia judicioque ifta difputari, nihilque, nifi, ut leniffime dicam, aliquem errorem undecunque ortum in ea re verfari credo. Neque etiam illud negavero, hujusmodi fermonibus, qui non noftris demum temporibus nati funt, quorundam vel infcitiam vel perverfitatem locum feciffe. Scio enim fuiffe, eosque ex numero in primis eorum, quorum abfurdae voci cum plebejae mulierculae aures fatigandas nollent permittere, infcitiae eorum liberales pueri ingenia delenda tradere cogerentur, qui, verbis nimis perfequendis, res ipfas, quarum caufa verba difcuntur, relinquerent: qui humaniorum literarum fcientiam hanc exiftimarent effe, fi, quae verba, quae formulae loquendi bonae notae effent, quae minus, tenerent, atque ab his fe in dicendo fcribendoque abftinerent: fi de veteribus fabulis, & ritibus Graecis Romanisque poffent differere. Fateor etiam, quosdam extitiffe, qui ad minutias,

tias, quarum, ut in omnibus difciplinis, ita in hac noftra, fatis magna copia eft, ita ftudium fuum conferrent, quafi in iis omnis humanitas ineffet, iisque captandis inveftigandisque, res maximas praetermitterent: quos ego fi reprehendendos effe ridendosque negem, ftultus fim. Sed, quae ifta iniquitas eft, eorum hominum imprudentia & jejunitate ipfam humanitatis difciplinam metiri, &, qui illis debebatur contemtus, ad hunc omnes humaniorum literarum magiftros, cum fua difciplina, vocare? Quod fi philofophi ii, qui totam vitam in metaphyficis fubtilitatibus, in barbaris verbis fingendis crepandisque, & in minutis inutilibusque quaeftiunculis confumfere, nunquam hoc potuerunt perficere, ut propterea philofophia ipfa, non magiftra vitae, & effet, & haberetur: quid eft, quare hanc tantam humanitatis difciplina indignitatem experiatur, ut ineptorum hominum culpam fuftinere ipfa cogatur? Neque enim iis, quos illorum hominum infcitia inique conftituit, finibus humaniores literae continentur. Major, credite mihi, hic fundus eft. Latius regnat humanitatis difciplina, multoque eft, quam illi opinantur, & rerum magnitudine amplior, & utilitate uberior. Nam ea veros illos & puros omnis fapientiae, eloquentiae, poëfeos, hiftoriarumque fontes, interpretando aperit, a corruptelarum fordibus judicando purgat, ac denique omnium rerum pulcrarum guftum quendam & intelligentiam affert. Haec docet, quid ii, quos omnis aetas fapientiffimos judicavit, de rebus divinis & humanis praeceperint: haec res, pace belloque, a fummis hominibus geftas, tradit, & fuis quasque locis temporibusque adfignat: haec eloquentiam, rerum humanarum pulcerrimam, amplectitur, & rebus obfcuris lucem dare, incredibilibusque fidem facere, animis denique hominum dominari dicendo, docet: haec poëtarum fuaviffimis cantibus, & cum fenfu audiendis aures animosque, & recte fcienterque imitandis ingenia adfuefacit. Haec qui parva, haec qui inutilia, haec qui contemnenda ducit, eum ego fane, non modo iniquiffimum judico, fed prope indignum humanitatis nomine puto.

Quod fi nulla alia humaniorum literarum vis effet, quam,

quam, ut recte, eleganter, & ſuaviter, de ſingulis rebus, dicendi facultatem largirentur: tamen eas vobis, Commilitones humaniſſimi, hoc nomine amplectendas ac diligendas putarem. Nam, quemadmodum verba, quamvis bona, ſine bonis ſententiis, non ſunt probanda: quod, Cicerone auctore, nihil eſt tam furioſum, quam verborum inanis ſtrepitus, nulla probabili ſententia ſubjecta: ita rerum, quamvis bonarum, ſcientia, ſine elegantia verborum, utilitatem aliquam fortaſſe poteſt habere, dignitatem quidem, in homine liberali, & laudem, in erudito homine, nullo modo. Habet hoc natura univerſa, habent omnes egregiae artes, habent illiberalia opificia, habet totus vitae humanae cultus, ut cum rerum neceſſitate & utilitate, ſi non inſignis quaedam pulcritudo, honeſta tamen ſpecies & dignitas conjungatur. Obite animis omnem terram: circumſpicite omnes ejus partes: omnia animalium, plantarum, fructuum, metallorum, lapidum, conchyliorum denique genera luſtrate: nullum ita deſtitutum a natura & abjectum videbitis, ut non convenientem aliquam ſpeciem ab ea ornatumque acceperit. Nulla eſt in corpore humano pars, quae non inſignem aliquam, vel neceſſitatem, vel utilitatem, habeat: ſed non magis ullam reperietis, quae non aliqua ſive dignitate, ſive venuſtate luceat. Neceſſitas dedit, unde aleremur, veſtiremur, & muniremur: quo famem, ſitim, frigus, omnemque vim aëris pellere poſſemus. Ecce, comitem ei ſe praebuit & adjunxit venuſtas, & eas res omnes, vel figurarum colorumque ſuavitate, vel odoris ſaporisque dulcedine, vel tactus levitate, ſenſibus noſtris commendavit. Illud ipſum gramen, illae ipſae herbae, quas pedibus calcamus, quibus beſtiae nutriuntur, tam pulcrum jucundumque adſpectum habent, ut ridere nobis videantur. Hanc tantam naturae, in rebus etiam viliſſimis exornandis, incredibilem diligentiam, nos, qui ſummam ſapientiam eſſe didicimus, naturam ducem ſequi, in nobiliſſimis diſciplinis non imitandam putabimus? Non videtis, artifices, atque ii, qui illiberalibus opificiis exercendis vitam ſuſtinent, quanto ſtudio pulcritudinem ſequantur? Aedes neceſſitas invenit: ſtatim neceſſitatem venuſtas eſt conſecuta.

Ho-

Horologia deſcribendi temporis utilitas reperit: ſtatim ornatus utilitati eſt adjunctus. Veſtes, calcei, & omnes cultus partes, propter neceſſitatem primum comparatae ſunt: mox in iis tantum elegantiae pulcritudinique tributum eſt, ut ornatus cauſa repertae viderentur. Et nos, in liberaliſſimis artibus, quae, ingenii excolendi ornandique cauſa, repertae ſunt, munditiem ornatumque negligemus? In cibis iis, quibus hoc mortale corpuſculum alitur, parandis apponendisque, munditiae & elegantiae ratio habebitur? & illum ingeniorum animorumque paſtum, hunc quaſi humanitatis cibum, immundum ſordidumque, & eſſe patiemur, & ſumere ſuſtinebimus? Dicet fortaſſe aliquis: ego vero nudam veritatem malo: per ſe ſatis pulcra eſt, neque iſto adſcititio ornatu indiget. Hoc quoque concedam. Si bene veſtita tibi diſplicet, nudam habeto. Modo veritas ita ſit nuda, uti in Caeſaris Commentariis, in Ciceronis de officio libris, ſpectatur, & non ei etiam ſanguis & ſuccus omnis detrahatur, & caro reſecetur, & tota barbariae ſordibus oppleatur.

Sed, ſi nihil vos, iſto ſuo bono, humaniores literae movent: ſi nihil apud vos orationis pulcritudo, nihil ſuavitas, nihil munditiae valent: at utilitatis magnitudine, & ad eas magni faciendas commoveri, & ad amandas allici debetis. Nam, ſi recte, quales ſint hae literae, conſiderabitis, eas, & per ſe fructuoſiſſimas, &, ad ceteras artes ornandas, uberrimas reperietis. Ut enim a ſapientia initium faciam, quae rerum divinarum humanarumque ſcientia recte appellatur: quam, & ad cognoſcendum utile, & ad ſuperbiam, quae, neſcio quomodo, philoſophis maxime inſidiari creditur, opprimendam efficax putatis, philoſophis Graecis Latinisque legendis, diſcere, non modo, quantum illi in his rebus viderint, & quam prope nihil novae philoſophiae reliquum foret, ſi illi res ſuas repetitum venirent, quas recentiores philoſophi, verbis, tamquam ſignis rerum ſurreptarum, in deterius mutatis, pro ſuis venditant, ſed etiam, in quot quantosque errores, ſummis ingeniis, & incredibili ſtudio, homines inciderint, & ex eo, quanta ſit humani ingenii imbecillitas, quantae tenebrae ſint, vi-

videre. Mihi ſane peranguſte videntur philoſophari, qui, veluti illa Ennii terrigena, herbigrada, domiporta, ſanguine caſſa cochlea, ita in illa ſuae diſciplinae anguſta domuncula abditi latent, ita nusquam pedem inde efferunt, ut eam tandem unam in terris domum putent. Quid dicam de hiſtoria antiqua, qua nulla eſt, neque exemplis magnis illuſtrior, neque cauſis rerum explicandis ſolertior, atque, eam ipſam ob cauſam, nec ad prudentiam, vel pace utilem vel bello, comparandam, fructuoſior. Ea enim non ab his eſt ſcripta, qui longiſſime a republica, domi forisque adminiſtranda, remoti, in ſcholarum tenebris conſenuerant; ſed qui earum, quas prodiderunt, rerum, aut partes magnae ipſi fuerant, aut, multo rerum civilium & bellicarum uſu, magnam, in utroque genere, prudentiam ſibi comparaverant, eamque ob cauſam, & res ipſas, & rerum cauſas, conſiliorum vitia, hominum peccata, & incommodorum remedia, aliaque ejus generis, veriſſime tradere potuerunt. An vero eam hiſtoriam rerum pace belloque geſtarum, quam nobis ſummi Imperatores & belli duces, viri in aulis Regum, & in maximis civitatibus regendis verſati, Thucydides, Xenophon, Polybius, Caeſar, Livius, Salluſtius, Tacitus, prodiderunt, non praeferemus huic, quae nobis ex obſcuris monachis, e jejunis annalibus, aut mercenariorum, ſaltem privatorum hominum, commentariolis traditur? Xenophontem non ponebat de manibus Scipio Africanus is, qui Polybium ſecum habere, & de maximis, in bello, rebus conſulere ſolebat: hujus ipſius Polybii hiſtoria legenda, noctes in caſtris tranſigebat Brutus: Thucydidem, qui primus hiſtoriae ad uſum civilem ſcribendae exemplum propoſuit, lectitabat Pompejus: atque, ut e noſtris aliquem nominem, Julium Caeſarem in deliciis habebat Eugenius: Tacitum denique omnes, qui aliquid judicare poſſunt, prudentiae civilis optimum magiſtrum dicunt. Quin ergo, quorum virtutes, ſapientiam, & res geſtas admirandas putatis, eorum ſtudia imitamini, o! vos generoſi adoleſcentes, patriae communis olim vel gubernatores, vel defenſores futuri? Convertite, quaeſo, ſtudium veſtrum ad

hanc

hanc humanitatis difciplinam, quae fcriptoribus antiquis intelligendis maxime continetur. Inde artes, vel paci decoras, vel bello, difcetis: inde prudentiam civilem militaremque haurietis, & fic demum, hiftoriam effe ufus & experientiae vicariam, intelligetis. Hos viros, fi eorum vos confuetudini dederitis, in aulis principum, hos in caftris, vel comites jucundos, vel confiliarios fidos habebitis. Neque enim tum quaeretis, opinor, bellum utrum fit de mundo, an in mundo optimo? an fint duo gladii perfecte fimiles? & fi fint, quae ratio fit fufficiens, quare alter huic militi datus fit, non illi? granulo pulveris tormentarii quot millia monadum ineffe posfint? aut alia ejus generis. Procul ifta tunc vobis erunt, &, nifi fapientiae, utilitatis tamen inaniffima reperientur.

Jam, quid ego vobis demonftrem, divinae fapientiae confecrata pectora, quantum ab his humanioribus literis vel adjumenti, vel ornamenti fperare posfitis? Non enim ignoratis, opinor, cum antiquos, tum recentiores Theologos celeberrimos quosque, Clementem Alexandrinum, Origenem, Eufebium, Theodoretum, Gregorium Nazianzenum, Auguftinum, Hieronymum, Chryfoftomum, eosdem in hoc genere literarum magnos homines extitiffe, &, fine earum fcientia, ad illam tantam gloriam perventuros non fuiffe. An vero non audiftis, quantam Chriftianis injuriam fieri, quantam peftem parari, crediderint fanctiffimi Patres, cum Julianus Imperator caviffet lege, ne Chriftianae juventuti liceret, Scriptorum eorum, ex quibus hae literae difcuntur, Interpretes habere fuos. Quid tandem erat, quare tam aegre hoc edictum ferrent, fi Graecarum Latinarumque literarum ftudium, non modo nihil religioni prodeft, fed etiam, ut quidam infefti bonis literis homines criminantur, pietatem extinguit? Non laetari potius & gratias agere Juliano debebant, qui fibi, rei non modo inutilis, fed etiam noxiae copiam ademiffet? Sed melius illi, quid his literis ad religionem ineffet boni, intelligebant, cum iis abundarent ipfi, easque utilitatis, ufu fibi cognitae, magnitudine metirentur. Vitembergae cum aliquis extitiffet,

qui

qui has literas in contemtum adducere velle, &, prae philoſophia hac nova, nimis contemnere videretur, memini, praeceptorem meum Wernsdorfium, acutum & perelegantem Theologum, cum in ſcholis, tum in templo, eam ſententiam graviter reprehendere, & erudite demonſtrare, quantum his literis religio deberet: cum hoc ſatis, diceret, conſtare, dominationis ſuperſtitionisque Romanae infringendae dejiciendaeque primos auctores Grammaticos & Criticos fuiſſe, qui ſi non, barbaria philoſophica ad contemtum adducenda, & literis Graecis Latinisque reducendis, Lutheri conatibus proluſiſſent, eum ad effectum ſuſcepti operis venturum vix fuiſſe: itaque verendum eſſe, ne, ſi omnia philoſophiae, in primis barbarae, & ab elegantiorum literarum ſtudio ſejunctae, tribuere inciperemus, literis Graecis & Latinis nihil, paullatim ſub illud jugum & ad illas tenebras revocaremur, cum ab iisdem initiis illam ſuperiorum ſeculorum perniciem & religionis peſtem eſſe profectam ſciremus. Cui loco, quantum in vobis eſt, o! cariſſima pectora, cavete. Credite eos, qui jam maxime vobis, atque univerſae Eccleſiae noſtrae timendi ſunt adverſarii, illam formulariam philoſophandi ſubtilitatem minime timere: amplexantur potius, laudant, ejus auctoribus favent, eorum libros legunt, & legi cupiunt. Lutheros timent, Melanthonas, Chemnitios, Caſaubonos, Dallaeos, Cyprianos, verbo, omnes hos, qui copias ſuas, adverſus eos, e literis Graecis Latinisque, ex hiſtoriarum antiquis monumentis comparant. Huc, huc ergo, ad hos fontes curſum flectite: ex his ſalubres liquores ducite, ex his ingenia & pectora irrigate. Ad quos, cum alios ſummos duces, tum me quoque fidelem ſive ducem, ſive comitem habebitis.

Jam quid vobis, attinet, utilitatem humaniorum literarum demonſtrare, legum jurisque ſtudioſi Commilitones: cum ſciatis, omnis Juris veſtri intelligentiam a literis Latinis, ab hiſtoria, & antiquitate Romana duci, &, ſine earum ſcientia, neminem Juris Civilis libros legere poſſe: cum ſciatis, Juri veſtro barbariae ſordes ab his eſſe deterſas, qui harum literarum magna ſcientia pectus inundatum habebant, & eorum, qui prudentiam juris, cum literarum elegantia conjungant,

gant, maxima inter Jure Confultos effe nomina. Cavete, ne trifte illud, & miferum Juris fcientiae, tempus redeat, quo, ut Ammianus prodidit, fi quis antiquus Jure Confultus nominabatur, fi quod antiquum Juris verbum audiebatur, pifcis aut edulii peregrinum vocabulum commemorari, boni Jure Confulti putabant.

Neque vos, artis falutaris ftudiofi Commilitones, hic vocis meae auctoritatem defiderare poteftis, quando exemplis eorum, qui vos hic docent, omni demonftratione verborum potentioribus, intelligitis, quantum praefidii ornamentique, ad artem veftram, in Latinis, in primisque Graecis literis pofitum putare debeatis. Omnino nullus eft eruditorum ordo, in quo tam multi, inde ab inftauratis bonis literis, excellentes in hoc literarum genere homines extiterint, quam in veftro fcimus fuiffe. Quod profecto, non debetis, temere cafuve factum exiftimare, fed, quod illi, aut ita ab idoneis auctoribus acceperant, aut re ipfa cognoverant, ad excellentem artis fuae fcientiam, fine magno harum literarum apparatu, perveniri non poffe. Et cum illis pulcrum & gloriofum fuerit, hoc decus ordini veftro paraffe: quam vobis turpe putatis fore, fi hoc dicatur, hoc ad pofteros propagetur, hujus gloriae tam veterem poffeffionem ab Ordine veftro per vos confervari non potuiffe?

Quare, quoniam tantum, cariffima pectora, ab his humanitatis ftudiis, & utilitatis exfpectare poteftis, & ornamenti fperare: dedite vos, quaefo, huic doctrinae: amabiliorem indies cognofcetis, ejusque ftudium vobis & utile, & jucundum, & gloriofum reperietis. Ecce, ipfa haec Academia, haec communis mater noftra, per me vos hortatur, ne, his literis negligendis, committatis, ut, veftra culpa, magnam antiquae gloriae partem amittat. Ego, inquit, prima, in his terris, tranfeuntes in Germaniam ex Italia literas humaniores excepi, alui, omnibusque modis, ad hoc usque tempus, fovi. Hic Bufchii, hic Helti, hic Croci, hic Borneri, hic Mofellani, hic Camerarii, hic Bersmanni, hic Godof. Olearii, hic Boerneri doctiffimae fuaviffimaeque voces perfonuerunt. Haec lumina mea fuere, haec ornamenta.

Ho-

Horum ego partim imagines hic confecravi: omnium nomina aeternitate donavi. In hos, o! filii, intuemini: horum veftigiis infiftite, ad horum exempla vos conformate. Defendite, quaefo, hanc a me ignominiam, ut in hac mea fede, aut impune, & cum favore, audiantur bonas literas contemnentium & irridentium voces, aut inopia eorum fit, qui eas vel docere poffint, vel difcere velint. His fanctiffimis amantiffimisque Matris vocibus non ftudio veftro refpondebitis, Commilitones? nec precibus ejus movebimini? Movemini vero, video, movemini, & vos commotos effe, rebus oftendetis.

Summe deus, tuae ego poteftatis in his terris vicarii juffu, novas hic literarum fcholas aperio. Te fupplex veneror atque oro, ut omnibus meis inftitutis, dictis, factis, numen tuum annuas, meaeque difciplinae fucceffus profperos, celerrimos, duis. Serva, Pater, Regem, FRIDERICUM AUGUSTUM, patriae patrem optimum, cum univerfa regia domo, eique profperam valetudinem, vitam longiffimam, felicitatem, victoriam concede. Serva univerfam domum Saxonicam, opes ei, potentiam, aeternitatem praefta. Tuere in omne tempus, hanc tui Spiritus, fapientiae, bonae mentis officinam, & ei incolumitatem, otium, incrementa largire. Amplectere etiam hujus Academiae Magiftratum & univerfum Profefforum Collegium, eisque tranquillitatem, concordiam, falutem tribue. Sufcipe denique hanc fuccrefcentem patriae fpem, eamque indies laetius adolefcere jube. Has tu, Pater, preces ita ratas habeto, uti omnis fapientiae auctor es, utique tuus te nobis filius morte fua placavit.

ORATIO PROFESSIONIS RHETORICAE ADEUNDAE CAUSA DICTA

A. D. IV. KAL. AUGUSTI A. C. CIƆIƆCCLVI.

PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE
ILLUSTRISSIMI COMITES
PROFESSORES ATQUE DOCTORES
DIVINAE HUMANAEQUE SAPIENTIAE
ERUDITISSIMI ATQUE CELEBERRIMI
COMMILITONES GENERE ATQUE INGENIO
NOBILISSIMI HUMANISSIMIQUE.

Si ab omnibus iis, qui in hunc locum dicendi causa procedunt, oratio exspectatur ea, quae & rerum gravitate prosit, & verborum suavitate delectet; propterea, quod nihil tam alienum videtur, quam ad audiendum convocari homines ab his, qui nihil, quod auditu dignum sit, afferre in medium possint: ab eo profecto non modo exspectatur, sed etiam jure postulatur talis oratio, qui se artem bene dicendi ex hoc ipso loco traditurum profiteatur. Etenim, qui hanc eloquentiae docendae provinciam aut a se expetitam suscepit, aut ad se delatam recepit, is, si dicendo neque professioni suae respondere possit, neque aliorum de se judicium adaequare, quomodo non, aut arrogans in petendo,

aut impudens in accipiendo, videatur. Quae res quantopere me, apud vos dicere incipientem, conturbet animo atque debilitet, magis equidem ſentio, quam quisquam exiſtimare, aut ipſe verbis demonſtrare queam. Accedit quaedam veſtra de me, & mea in hoc genere facultate, ſpes atque opinio, quae multis per hoc tempus ſignificationibus perſpicue declarata eſt, magis illa ab veſtro quodam in me, atque in humaniores literas, favore, quam ab re & veritate orta: quam, nullo modo video, quomodo aut ingenii mei tenuitas ſuſtinere, aut dicendi inſolentia exaequare poſſit. In his aliisque moleſtis cogitationibus una haec occurrit conſolatio, quod, ſi minus dicendo praeſtiterim, quam aut ſuſcepti muneris ratio poſtulare putetur, aut veſtra opinio mihi tribuerit, non tam ego judicibus aeque videri debeam exſpectationem de me veſtram fefelliſſe, quam vos de me, & facultate mea, nimis benigne judicaſſe, omninoque bene ornateque dicendi facultatem majus quid, quam quod in hoc ingenium, atque in hanc vitae meae conſuetudinem cadere poſſet, exiſtimare debuiſſe.

Eſt nimirum majus quid ac difficilius eloquentia, quam quis exiſtimet, qui non ipſe ejus comparandae periculum ita fecerit, ut ſibi per ſummorum in eo genere hominum, Iſocratis, Demoſthenis, Ciceroniſque, veſtigia ad eam laudem contendendum putaret: ac neſcio an majus ac difficilius ipſa ſapientia, rerum humanarum pulcerrima atque utiliſſima. Nam dicendi ars illam ipſam ſapientiam aſſumit; ſine qua vana loquacitas, & inanis garrulitas, & quidvis potius, quam eloquentia ſit: & habet praeterea multa propria, quae ſapientia ſibi neque audeat arrogare, nec cupiat vindicare: in his quaedam aut non in poteſtate cujusque poſita, aut incredibili vel obſervandi diligentia, vel exercendi labore, quaerenda. Ceterarum quidem magnarum artium ac doctrinarum facultas maxime tenetur, vel ingenii celeritate, vel cognoſcendi cogitandique diligentia, vel judicandi quadam prudentia, vel denique exercitationis aſſiduitate: eloquentia autem his rebus ita omnibus pariter opus habet, ut, ſi una abſit, aut non ſit permagna, conſiſtere ipſa, aut tota & perfecta contingere nullo mo-

 do

do possit. Ego autem me, fateor, a pueritia hujus tantae tamque gloriosae facultatis admiratione captum, & cupiditate incensum atque inflammatum fuisse. Sed dum in praesidiis ejus adjumentisque comparandis, in sapientiae studiis, in praeceptis artis, & in exemplis, ad quae imitationis curam dirigerem, accurate cognoscendis laboravi, ita me his ipsis in rebus implicatum sensi, ut progredi, quo volueram, non possem: acciditque mihi, quod peregrinatoribus iis, qui viae vel longinquitate defessi, vel amoenitate retenti, ad finem itineris suscepti atque instituti non perveniunt, sed illis ipsis viae amoenitatibus atque deliciis contenti subsistunt. Atque etiam ipsis bene dicendi veris praeceptis cognoscendis, ac multo magis exemplis magnis intuendis, & penitus animo hauriendis, intellexi, gravius & altius esse id, quod spectassem, quam quod consequi meum ingenium posset, in eoque expetendo exercitationis tantam assiduitatem, & constantiam, & molestiam esse subeundam, quantam nec natura mea, nec consuetudo vitae ejus, ad quam me illa ipsa eloquentiae studia deduxissent, posset perferre. Itaque nihil aliud mihi consequi licuit, quam eorum, quibus vera eloquentia pararetur, scientiam, & quoddam de iis rebus judicium, quibus bene dicendi laus teneretur, nec quicquam de me, in hoc quidem genere, possum profiteri, aut polliceri, quam, ut me ducem non ignarum verae viae, & comitem itineris non inutilem offeram eloquentiae studiosis: quod si mihi assumo, quoniam in eo tot annos elaboravi, atque me exercui, adeo non vereor, ut arrogans cuiquam videar, ut etiam, si aliter faciam, male modesti, & vani dissimulatoris notam mihi subeundam putem. Quae cum ita sint, A. A. nolite jam exspectare orationem eam, quae Oratoris nomen ac laudem tueatur, sed quae illam ipsam viam, cujus me ducem comitemque profiteor, clare demonstret, & ad eam ingrediendam vos, Commilitones humanissimi, & strenue persequendam, amanter cohortetur: hoc est, disputatiunculam potius, vestris studiis aptam, & ab novi muneris ratione non alienam, quam disertam & ornatam orationem: quae, si vere velimus judicare, in rebus, ad alicujus disciplinae

nae ſcientiam pertinentibus, ne locum quidem poteſt habere.

Ego autem, A. A. quo diutius ac diligentius & praecepta bene dicendi, a maximis viris tradita, eorumque cauſas, vim, uſumque in dicendo, & multo magis optima quaeque, vetuſtatis in primis Graecae & Latinae, exempla conſideravi, hoc magis intellexi, veriſſimum eſſe Quintiliani judicium, qui veram eloquentiam ab animi ſanctitate & magnitudine derivari, & pectus eſſe, quod diſertos faceret, pronuntiavit: idque qui penitus imbiberit animo, eoque vel docendi prudentiam, vel diſcendi curam direxerit, eum plurimum ad bene docendum diſcendumve profeciſſe decrevi. Qui iter ingrediuntur, praeſertim longum, & nondum uſu notum, etſi multarum rerum opus habent notitia & copia, ne in itinere faciendo aut retardentur, aut aberrent recta viarum regione: tamen ea fruſtra contigerint omnia, ſine recta valetudine, & ſine quodam corporis robore & alacritate, quibus etiam ceterarum rerum vel inopia vel difficultas vinci ac ſuperari poteſt. Hoc autem eloquentiae ſtudium plurimorum ſane ſcientiam accuratam uſumque deſiderat, in quibus vel explicandis verſatur, aut quibus ordo rerum & modus tractandi cernitur, aut denique elocutionis puritas, elegantia, & ornatus continetur: quae niſi plurimum ad bene dicendum valere fatear, nihil utique viderim. Sed qui in his putet eſſe omnia, eaque ubi compareant, ibi ſtatim eloquentiam agnoſcat, is vero ſe, eloquentiae vim nullo modo aſſecutum eſſe, oſtenderit. Immo in iſtis rebus ineſt modo quaedam bona, eaque bene ſtructa materia, & velut hominis bene veſtitum corpus, ſed quod nullo mentis vigore animetur ac moveatur. Huic autem ſi vita & ſpiritus acceſſerit, qui per totum illud e bona materia bene ſtructum ac veſtitum corpus fundatur, tum vero exiſtit ea, quam quaerimus, quam in magnis viris admiramur, eloquentia, quam, ab illa ipſa vi infuſa, vim dicendi Latinorum conſuetudo appellat. Sed haec vis proficiſci niſi a pectore ipſo non poteſt: ex hoc illa fonte manat: hinc generoſas origines ducit: hoc, hoc eſt, quod diſertos, quod vere eloquentes facit.

Id ut plane vobis appareat, quid aliud mihi faciendum putem, quam ut illud ipſum Oratoris praeclari pectus vobis aperiam, ejus naturam, ſenſus, vim, motusque omnes demonſtrem, atque eodem tempore vos rei longe pulcerrimae ſpectaculo delectem. Etenim ſi nemo poteſt cordis ejus, quo corpuſculum hoc mortale movetur, ſtructuram, vim, & motus perennes, per totum corpus propagatos, ſine admiratione quadam, plena cujusdam humaniſſimae delectationis, ſpectare & cogitare: illius profecto pectoris, quo magni oratores cientur, vis, & motus, tanto magis animos voluptate explebunt, quanto pulcriores & admirabiliores animorum immortales motus, mortalibus corporum agitationibus debent videri.

Ac primum, ut in corde corporeo, ſic in illo, quod deſcribimus, ineſt quaedam non modo teneritas ac mollitudo, omnem honeſtatis ac turpitudinis, rerum bonarum malarumque ſenſum facile ac celeriter arripiens, ſed etiam firmitas quaedam ac robur, adverſus fortunae utriusque vim, adverſus voluptatum illecebras, divitiarum denique & laudis vanae delinimenta. Senſus doloris ineſt acerrimus in malis alienis ac publicis, in ſuis levis: felicitatis alienae, in primis publicae, ſtudium ardens: virtutum omnium amor, vitiorum odium, religionis ſuper omnes alias res reverentia; utilitatis communis perpetua cura, ſuae contemtus.

Ab tali autem pectore, quis non videt, primum, aequum eſſe, ut omnis oratio ducatur? deinde, ſi ab eo profecta ſit, longe praeſtantiſſimam & admiratione digniſſimam, denique efficaciſſimam eſſe. Omnis oratio natura naſcitur a mente atque a ratione, eſtque tum demum vere humana, cum ſenſum animumque hominis ita perſpicue declarat, ut nihil aliud, quam mens ipſa per verba prodiens foras, & cum verborum ſonis, tamquam cum corpore quodam ſuo, conjuncta videatur. Nam oratio nullam ſententiam complexa, non magis oratio eſt, quam corpus mente caſſum homo: & quae non verum dicentis ſenſum, mentem animumque exprimit, ſed omnia alia, ea vero nihil niſi hiſtrionis perſona & veſtis eſt, pulcram illa fortaſſe ſpeciem arte effictam habens, ſed hiſtrionem tamen te-

tegens: quod ipſum non fieri ita callide & conſtanter poteſt, ut non interdum hiſtrio pelluceat, atque curioſis prudentum oculis pateat. Sed ſi a mente atque a pectore promanavit, non optima & pulcerrima erit, ſi a tali pectore fluxit, quale ante deſcripſimus, cujus non poteſt non bona & virtutes referre? Atque etiam ſi ſit minus arte culta, minus laute & exquiſite ornata verbis, tamen naturalem aliquam pulcritudinem, quaſi ab animi quodam ſpiritu adflatam, habebit, quae capiat, atque admiratione quadam expleat animos omnium, quos non vel a natura inſitus, vel a vitiis & rerum humilium ſordidarumque amore offuſus ſtupor ad talis pulcritudinis ſenſum hebetavit atque induravit. Quod ſi magno animo elatorum virorum interdum etiam ſilentium quavis oratione diſertius eſt: quidni oratio quaecunque diſerta & ſit & habeatur? Nam illud quidem concedi nullo modo poteſt, ut diſertior ſit humilis & ſordidarum cupiditatum coeno obliti ac demerſi animi oratio, quamvis bonis & ornatis verbis veſtita, ſive potius fucata. Ego quidem, quamquam & ſtudium meum & docendi profeſſio ita fert, ut verborum bonorum & ipſe in dicendo ſtudioſus ſim, eorumque curam commendem, & laudem, & defendam: tamen me, fateor, malle in dicendo habere Tullii animum ſine verbis ejus, quam verba omnia ſine animo, malle Paulli illud ardens pro Dei gloria, veritate atque virtute, pectus, cum omnibus hebraiſmis, &, ſi ita placet, barbarismis etiam atque ſoloecismis, quam languentem illam ac prope dormientem Iſocratis orationem, quamvis venuſtam, quamvis dulcem. Sed pietatis in Deum, honeſtatis, virtutisque amore integro plenum, & altis ſenſibus praeditum pectus, nunquam, ut ſententiarum optimarum inventio, ſic oratio probabilis deficit: nam haec eſt ipſa ſapientia & prudentia, quae nec ſterilis, nec infans & muta eſſe poteſt: nec ullo modo indiſertum eſt, quod a magna pietate & virtute venit, quod magno & elato animo dicitur. Quod ſi tamen etiam apta & digna tantis rebus ornamenta acceſſerint, tum profecto exiſtit ea, quam veram & perfectam eloquentiam dicere poſſimus.

Sed preſſius agamus, & quomodo a tali pectore elo-

quentia vera nascatur, brevi demonstremus. Ea igitur duabus rebus constat, verbis ad cujusque rei magnitudinem accommodatis, & sententiis rerum, non his, quae in quovis disciplinae genere, e compendiis doctrinae vulgaribus discuntur, quae sunt tironis potius quam oratoris, memoriae mediocris, non pectoris generosi, atque animi celsi, sed iis, a quibus majestas, & gravitas, venustas deinde, & suavitas nascitur in dicendo, quae vel admirationem vel delectationem habeant: quod genus sententiarum proprium est oratori. Sed cum principatum sine dubitatione teneant sententiae, in his ipsis autem eae, quae magnitudine & generositate sua permovent audientium animos: quis non sua sponte intelligit, e quo illae fonte sint hauriendae? Longinus quidem, magnae & sublimis orationis magister praeclarus, cum demonstrat, sublimitatem, quoad a rebus veniat, esse vel a felici quadam in sententiis audacia & insolentia, vel a magno & quasi divinitus concitato animi motu atque affectu, utrumque nasci docet a magnitudine animi, ejusque esse quasi echo, & imaginem. Animus humilis, & abjectus, & sordidis cupiditatibus gravatus, non alte sentire, nullam rerum magnarum gravem cogitationem suscipere ac sustinere, nullo modo ad eloquentiae altitudinem niti atque adscendere potest. Qui parva & humilia sectatur, quomodo alta & magna cogitare atque appetere? & qui servilia curat, quomodo generosi quid parere ex sese atque edere potest? Quomodo autem generoso animi sensu ac motu agitari atque inflammari, eumque transfundere in animos audientium possunt, quos nihil movet, nisi suum lucrum, sua laus, sua voluptas: nihil angit atque sollicitat, nisi alienum commodum, aliena gloria, res ab aliis bene gestae? Praeclare & magnifice Paullus: Quis vestrum adfligitur, quocum ego non pariter adfligar? quis vestrum ab aliorum vel errore vel exemplo noxam trahit, ut ego non dolore incendar? Etiamsi me haud pari amore redametis, tamen, tamen vitam pro vobis profundere paratus sum. Adeo ille alienis bonis malisque omnibus plus quam suis commovetur! Sed unde praeclari illi motus? unde illi magni sensus, in oratione omni eminentes? Amor

Christi

Chriſti tenet nos, inquit. Non mihimet ipſe placeo: non veſtra expeto, ſed vos: non haec caduca ſpecto, ſed futura illa immortalia. Hinc, hinc magnitudo iſta & ſublimitas, non ab arte ulla aut artis praeceptis, quae ille cum ignariſſimis ignorabat. Quicquid Demoſthenes, quicquid Cicero in ſententiis admirabile, & magnificum, & vehemens habent, id, qui attenderit, ſemper reperiet ab animo magno, communis utilitatis cupido, ſuae negligente, virtutis & ſapientiae admiratore, periculorum & rerum humanarum omnium contemtore, & ab aliquo hujus talis animi vi concitato, gravi motu profectum fuiſſe. Poëtas, cum altius & magnificentius loquerentur, divinus quidam ſpiritus adflare credebatur: qui nullus erat: ſed inſidens pectoribus vis, nata ab admiratione rerum magnarum, & per magnas & ſublimes ſententias profuſa, enthuſiaſmi nomine conſecrata eſt. Homines humiles, ſordidi, & improbi, etiam ubi cupiditatis pravae levitate, & affectus alicujus temeritate, efferuntur, tamen fortius & gravius, interdum etiam ſententias loquuntur, & ſe repente e luto ſuo erigere videntur: quid futurum putamus, ſi rerum divinarum admiratione, virtutis amore, vitiique odio exarſerit magnanimus vir? Non divina magis oracula fundere, quam humano more loqui videbitur? Concionatorem quendam ſe audiſſe narrat Eraſmus, de familia Dominici, in primis gravem & vehementem in dicendo, & copioſum ſententiis magnis. Ex eo cum quaeſiſſet, unde ipſi tanta vis in dicendo & copia eſſet, reſpondiſſe: hoc ſibi eſſe inſtitutum, ut, cum concionandum eſſet, daret ſe ad legendas Paulli epiſtolas: quarum lectione cum ſentiret pectus ſibi incaluiſſe, tum, poſito libro, tota mente contueri id, de quo ſibi dicendum foret: iisque cogitationibus plenus ubi in concionem prodiſſet, nunquam ſibi nec res ac ſententias, nec motum animi deeſſe. Hic profecto vidit id, quod nos demonſtramus, a pectoris motu originem ducere veram & efficacem eloquentiam debere.

Quid autem? an in ſententiis modo valebit vis honeſti & magni pectoris, non etiam in verbis? Profecto etiam in his plurimum. Etiam imperitis de plebe hominibus non deeſſe ſolent verba, cum de rebus ſuis concitato

tato animo loquuntur. Et homini docto, & prudenti, & rerum optimarum cogitatione ac ſenſu elato & incenſo, ea defutura, non injuſſa ſub linguam ventura putabimus? Immo vero, ſicut ſanctus ille & coeleſtis pectoris magni calor ſententias parit, ſic etiam non incitat modo verba, ſed etiam pulcra gignit, interdum etiam in illis ipſis, qui vix mediocriter verborum ſcientiae operam dederunt, nedum in his, qui etiam horum elegantiam & copiam ſunt conſectati. Ego quidem me, fateor, non dubitare, idque, plurimis rebus inductus, credo, maximam partem pulcerrimorum troporum, & efficaciſſimarum loquendi formarum, quibus, in praeclaris ſcriptoribus legendis, capimur & movemur, quaeque maxime adjuvant ſententiarum magnitudinem & gravitatem, non arte & cogitationis cura eſſe inventam, ſed praeclaris viris, mente & animo concitatis, non quaerentibus ab illo ipſo pectoris motu ſua ſponte ſuggeſtam & ſuppeditatam fuiſſe. Mihi adeo ipſi interdum in ſcribendo, cum animi quodam, etiam placido motu incitarer, excidere memini formas dicendi, quas nunquam ante lectas aut auditas agnoſcerem, neque tamen non probas & efficaces.

Sed ſi pulcerrima eſt eloquentia, & ſola perfecta, quae a pectore profecta eſt, eadem certe ſola efficax eſt, & ad animos audientium permanat, & aculeos relinquit, & ea efficit miracula, quae literis monumentisque prodita miramur. Haec eſt, qua Pericles fulgurabat, tonabat, Graeciam univerſam permiſcebat, propter quam Suada in labiis ejus ſedere videbatur: haec eſt, qua Demoſthenes Athenas tamdiu praeſtitit invictas, quam Philippus unam timuit, prae qua ſibi omnes Atticorum exercitus, claſſes, munimenta nugas videri dixit, qua Aeſchinem perculit atque in exilium egit: hac Cicero Catilinam oppreſſit atque ejecit, plebem lege Agraria, h. e. alimentis ſuis, privavit, legi Roſciae placavit, Ligarium Caeſari invito eripuit, Antonii furorem compreſſit, populum ad libertatis ſtudium revocavit, in curia, in foro, in concionibus multos annos regnavit. Quicunque tandem Graecus aut Romanus, quicunque etiam Chriſtianus valuit dicendo, qui fuere non pauci, eos omnes eloquentiam ex eodem, hoc eſt, pectoris ſancti & magno quodam ſpiritu

ani-

animati ac redundantis fonte hausisse reperietis: nec ulla est, aut fuit unquam vera eloquentia, quae non ab hujus fontis beatissima efficacissimaque ubertate promanarit.

Quod si ita est: esse autem ita, dubitare vos non sinent ea, quae diximus: intelligitur id, quod maxime intelligi volo, studium eloquentiae verae, esse idem studium sapientiae atque virtutis: quale esse voluerat Demosthenes, quem Philippus dicebat, eloquentiam sibi sumsisse γυμνάσιον φιλοσοφίας, exercitationem sapientiae atque virtutis: neque aliam viam ad eloquentiam veram patere, quam quae per illud ipsum sapientiae & virtutis acerrimum studium ducat. Ab his seminibus nasci, ab his radicibus succum & alimenta trahere debet. Nam primum magni & alti de rebus divinis & humanis sensus, quibus animari pectus Oratoris volumus, ab nulla alia re ingenerari possunt, nisi ab sapientia, hoc est, rerum divinarum & humanarum scientia ea, quae Dei operumque divinorum admirabilem magnitudinem pulcritudinemque, rerum earum, quas homines vulgo vel admirantur & appetunt, vel timent atque fugiunt, vanitatem & contemtibilem levitatem, virtutis autem amabilem praestantiam plane intelligere, ac mente sensuque comprehendere docet. Motus autem illi praeclari, quibus animos in dicendo volumus cieri, a qua vi possunt imprimi atque perennare, nisi pietatis in Deum atque virtutis amore, quo nihil est in permovendis animis efficacius & potentius, denique etiam perennius.

Quanto igitur in errore versantur ii, qui aut propter inscitiam sibi, aut per invidiam aliis persuadent, eloquentiam totam esse in verborum cura, & qui in his puritatem conservare, & troporum figurarumque concinnarum flosculis conspergere orationem possit, eum bene dicere, ei oratoris nomen concedendum esse. Est profecto nulla, sine verborum bonorum copia, delectu, ornatuque, vera & perfecta eloquentia, ipso nomine verborum curam desiderante: nisi erravit magnus ille Caesar, cum in delectu verborum eloquentiae originem esse dicebat, aut non plurimum Ciceronis eloquentiae decessurum putamus, si, conservatis sententiis omnibus, verba ejus horridis & barbaris philo-

so-

fophorum vocabulis commutaremus. Addo etiam hoc: quae eft apud rhetores in praecipiendo ultima, elocutio, eam in difcendo debere effe primam, in eaque puerilem ac juvenilem aetatem legendo fcribendoque maxime exerceri debere. Nam haec aetas valet memoria, & alacritate fua facile vincit moleftiam, quae in rebus tam faepe minutis proponitur, denique ne fuftinere quidem poteft rerum gravitatem. Quod Ariftoteles recte judicavit: qui in Ethicorum principio, quamquam explicans locum philofophiae maxime omnium facilem & planum, tamen procul abeffe jubet adolefcentes, & aliunde fibi, quae difcant, pro aetatis viribus, petere ac comparare. Sed in verbis, quamvis bonis, & fuavibus, & grandibus, quamvis denique apte collocatis, omnia aut fumma effe, id vero nullo modo concedi poteft per ea, quae ante funt difputata.

Dicet aliquis: quid igitur faciendum erit rhetori, qui nullos alios nifi adolefcentes habet difcipulos, fi huic aetati verba magis conveniunt, quam res? quomodo ad eam, quam tu folam veram & perfectam dicis, eloquentiam poterit quemquam eorum adducere? In quo, primum fateor, miferam quodammodo effe hodie eorum, qui eloquentiam profitentur, five ipfius potius eloquentiae, conditionem, in eo, quod illa aetas fola eorum inftitutis utitur, quo tempore autem Graeci Romanique maxime utebantur rhetoribus, hoc eft, aetate corroborata, & quo maxime poteft opera eorum prodeffe, eo vel fe jam oratores putant, vel non poffunt iftius difciplinae exercitationibus apud magiftros uti. Sed aliquid tamen, idque non contemnendum, relinquitur eloquentiae magiftro, fi fapiat, ac non ipfe ftultis opinionibus impeditus teneatur, quo poffit adolefcentibus ad illam eloquentiam, de qua dixi, comparandam plurimum prodeffe. Id quale fit, paucis demonftrabo.

Bene & fapienter fic eft, ante aliquot fecula, conftitutum, ut puerilis juvenilisque difciplina maxime contineretur librorum veterum, Graecorum & Latinorum, interpretatione, & per horum lectionem aditus hominibus fieret ad fapientiam, & ad bene dicendi ac fcribendi intelligentiam atque facultatem: idque e quo

tem-

tempore eſt inſtitutum, barbaries, ſuperſtitio, & multae ac maximae religionis, doctrinae atque vitae humanae corruptelae fugerunt, &, ut de hac una dicam, vera eloquentia per omnes terras eſt reſtituta, quae illius diſciplinae formam probaviſſent: habuitque illa aetas, quae eam prima conſtitutam vidit, ita praeclaros oratores, ut altera aetas aurea appelletur. Sed multum refert, quomodo magiſtri in his libris tractandis verſentur. Neque enim ignoro, non paucos, qui multos annos in iis vel praelegendis, vel cognoſcendis conſumſerint, tamen & in intelligendo, & in dicendo ac ſcribendo reperiri tales, ut eos nunquam attigiſſe videantur: quod, ſatis ſcio, non tam fieri ingeniorum tarditate ac ſtupore, quam perverſitate quadam eorum librorum tractandorum. Si quis igitur nihil in illis libris vel videt ipſe, vel aliis demonſtrat, quam verba & formulas dicendi, e rebus autem ſolos ritus antiquos & hiſtorias, in iisque illuſtrandis maxime occupatur, is ſane eruditionis, nec injucundae, nec inutilis comparandae facultatem dederit, ad eloquentiam illam veram nihil admodum profuerit ſtudioſis. Quid igitur aliud aget? Nempe interpretationem ſcriptorum Graecorum & Latinorum, in primis eorum, qui ſint cum eloquentia conjunctiores, referet etiam ad illa, quibus intelligendis ac percipiendis ingenia ad altitudinem ſentiendi & cogitandi attolli, & animi ad magnitudinem augeri, fortitudinemque firmari & roborari, denique amore rerum divinarum virtutisque incendi poſſe videantur. In quo primum erit hoc, ut propius admoveat animis diſcentium ea, in quibus inſunt alti & magnifici ſenſus, de rebus divinis & virtute, aut motus praeclari, hoc eſt, a virtutis amore & vitii odio nati, efficiatque, ut ſentiant vim ſententiarum, earumque altitudine quodammodo & ipſi attollantur, utque motu ſcribentis pariter moveantur, ament, oderint, indignentur, laetentur, doleant una. Et altitudinem quidem ſenſuum aſſequentur, & paullatim eorum admiratione afficientur juvenes, ſi cauſas magnitudinis explicabit magiſter, & fontes patefaciet, & quaſi quasdam menſuras cujusque talis magnitudinis tradet, easque exercitatione aſſidua adſuefaciet in promtu habere, & ad eas omnia dicta & facta exigere.

Pro-

Proderit etiam, ſi ſubinde juſſerit animadvertere in talibus locis, & interrogare animum, an aliquid ſentiat, quomodo afficiatur, &, quid ſit, quod ſentiat, indagare, denique, quale ſit, & unde eam vim habeat, quaerere. Sed in primis efficax erit ad excitandam hanc animi vim, & inſpirandum vel virtutis amorem & admirationem, vel vitii odium, & in improbe factis indignationem generoſam, ſi in omnibus dictis & factis, quae habent perſpicuam virtutis alicujus aut vitii ſignificationem, eorum judicium permittas juvenibus, qualia quaeque videantur, quomodo placeant, requiras, recteque judicantes, praeſertim cum aliqua ſignificatione animi, vel praeſtantia virtutis, vel foeditate improbitatis commoti, probes atque laudes. Verbo, in omni interpretatione oratorum, hiſtoricorum, & vero etiam poëtarum, referenda omnia erunt ad bonam mentem: ea excitanda, alenda, roboranda, quantum poteſt. Et quando pleni ſunt iſti libri pulcerrimarum acutiſſimarumque ſententiarum de Deo rebusque divinis, de omni virtute, de natura rerum humanarum omnium, cum publicarum tum privatarum, ſine quarum magna & parata copia bene copioſeque dicendi facultas contingere nemini poteſt, huc quoque cura docendi debet dirigi, ut hae a diſcentibus animadvertantur, guſtentur, ac penitus imbibantur animis, atque ingenia hoc quaſi humanitatis cibo alantur. Denique omnia, quantum poteſt, comparare oportet cum literis divinis, & quanto ibi majora illa ſint omnia, & luculentiora, & certiora, admonere, & ſic eorum etiam vim augere. Sed ut ille ait, ſi vis me flere, flendum tibi prius eſt ipſi: ita altius deſcendent omnia in animos, & majorem vim exſerent, ſi in perſequendis divinae ſapientiae, bonitatis, juſtitiae, totius denique providentiae veſtigiis, in admiratione virtutis, magnitudinis animi, & praeclare factorum, in deteſtatione vitiorum & ſcelerum, eo ſono vocis, eo vultu loquaris, ut te quoque commotum eſſe appareat, hoc eſt, ſi ipſe omnibus iis ſenſibus ac motibus plenum pectus habeas, quos imprimere aliis velis.

Haec eſt illa vetus diſciplina, qua Philippum Melanthonem & Camerarium uſos eſſe, ex eorum li-

libris, in primisque praefationibus ſcriptorum Graecorum & Latinorum, intellexi: per quos viros, quis neſcit, omnium bonarum artium, atque etiam eloquentiae ſtudia in his terris eſſe fundata? quae ſi conſervata conſtanter fuiſſet, etiam nunc haberemus ſat multos, quorum laude veterem illam Saxoniae & Germaniae gloriam, per hos duumviros partam, tueremur: hac qui utetur, is in veram & rectam viam deducet ſtudioſos, in qua ſi velint ſtrenue poſtea pergere, haud dubie ad veram eloquentiam perveniant. Atque haec eſt illa diſciplina, qua ipſe per tot annos in veteribus libris interpretandis uſus ſum, neque ſine meo, ut ſatis ſcio, nec ſine aliorum, ut ſpero, fructu, utarque, quoad in hoc curriculo decurrendum erit. Sed cum antea in hac eloquentiae omniumque bonarum artium diſciplina multis, & magnis, & ſuavibus cauſis incitarer: religione primum officii, qua nihil honeſto & Chriſtiano viro debet eſſe gravius, incredibili ipſarum literarum, & vero etiam diſcere cupientium amore, favore porro multorum tum illuſtriſſimorum virorum, tum eruditiſſimorum, & in hac urbe, ac patria, & apud exteros hominum, ſtudiis denique juventutis noſtrae acerrimis: his igitur rebus, aliisque, cum antea ita incitarer, ut nullus me labor frangeret, nulla moleſtia debilitaret, nihil eorum, quae hominum eruditorum ſtudia, praeſertim in hoc genere, refrigerare atque extinguere ſolent, retardaret, exiſtimaremque, in eo ſtudio & induſtria nullum eſſe incremento locum relictum: tamen nunc vel ea acceſſio facta eſt, ut ſuperius illud ſtudium leve fuiſſe videatur, vel ea commendatio acceſſit, ut id multo mihi jucundius ſit factum, poſtquam illud ipſum ſtudium meum honorificentiſſimo AUGUSTI Regis, patriae patris optimi, judicio ac decreto eſt ornatum, quod mihi eloquentiae nominatim docendae munus mandavit. In eo honore etſi beneficium eſt permagnum, & ad fructum animi mei tantum, ut nulla alia commendatione indigeat: tamen longe amabilius & ſuavius eſt factum, cum id mihi traditum eſt per manus virorum ſummorum, quorum ſplendor, immortalia in patriam merita, adverſus bonas literas veriſſimus & intelligentiſſimus favor, incredibilis de-

nique humanitas, quicquid bene cuiquam fecerint, quamvis per ſe leve ac tenue, tamen & graviſſimum, & maximum, denique jucundiſſimum facit: quorum in me retinendo ornandoque ſtudium extitit tantum, ut non tam tenuem hunc hominem, quam ipſas bonas literas ornare, & ſic quoque eas veſtris, Commilitones humaniſſimi, ſtudiis commendare voluiſſe videantur. Hoc ergo beneficium, ſi ego jam dicendo ornare, ejusque gratiam verbis demonſtrare, & ſic me gratum probare inſtituerem, oratio profecto mihi deeſſe non posſet. Ac ſi ullus eſt locus, in quo, quam faciat pectus diſertos homines, re demonſtrare poſſem, hic profecto eſt: quem ego non dimitterem, niſi vererer, ne interdum meus me pudor debilitaret, & pios pectoris motus cohiberet. Atque etiam hoc eſt genus dicendi, in quo me, fateor, omnium minime eſſe exercitatum. In docendo, monendo, ſuadendo, hortando, ut non indiſertus eſſem, laboravi: in officio perſolvendo, magis rem quam orationem exercere conſuevi: animo & factis ſemper gratus eſſe malui, quam lingua & verbis. Illos adeo ipſos, quibus talis debetur oratio, ea eſſe animi magnitudine & prudentia ſcio, ut eam nullo modo deſiderare videantur. Magnus & excelſus animus beneficia tribuit, ut bene faciat, non ut ab eo, cui tribuit, bene audiat: & ut quisque eſt prudentior, ita in omni re ſibi factis mavult ſatisfieri, quam verbis. Quare ſic potius me comparabo, ut beneficium ipſum pietate animi ſempiterna colam, & quibus rebus eſt tributum, in iis non modo nihil remittam poſtea, ſed eas etiam auctiores cumulatioresque reddam.

Neque alio animo eſſe confido vos, Patres ac Profeſſores venerandi, quibuscum jam artiori quodam collegii vinculo conjungor. Non arbitror vos diſertam & verboſam officii promiſſionem expectare, ac requirere: in qua qui verbis ſunt copioſiſſimi, factis plerumque ſunt parciſſimi. Si non vita mea anteacta probat, me talem poſthac fore, qualem maxime velitis: dicendo id vincere, etiam ſi poſſim, tamen nolim. In docendo eſſe aſſiduum, laborioſum, ac fidelem, utilitati literarum atque hujus Academiae communi ſuum commodum poſtponere, ejusque gloriae

&

& famae pro viribus consulere, hac sunt boni Professoris partes: his, opinor, in primis bonum collegam censetis: his a multis annis vobis satisfacere studui: his in posterum etiam ut satisfaciam, curabo. Atque etiam alia quaedam ab humanae divinaeque sapientiae studio bona habeo, quibus me spero commodum collegam fore. Nihil facilius fero, quam dissensum in opinionibus & consiliis, & mihi habeo persuasum, nunquam me ad eam sapientiam perventurum, ut aequum existimare possim, omnes idem mecum statuere ac velle. Omnibus non modo artibus, sed etiam hominibus, qui in aliquo genere excellenter versari cupiunt, impense faveo, & eorum laudes & utilitates paene duco meas. Si cui possim prodesse, etiam non rogatus: magis ejus causa laborare possum, quam mea: & si cui profui, ignaro in primis, & non animadvertenti, vehementer & sincere gaudeo. Interdum non bonam gratiam retuli: nec tamen poenituit: neque enim eam spectaram. Alienissimus sum a suspicionibus, & facile credo, mihi omnes esse amicos. Subinde deceptus sum, a quibus non putaram: tamen animum hunc non mutabo. Malo centies in hanc partem decipi, quam semel in alteram. Prudentiam scio existimari, non facile credere hominibus, praesertim de nobis. Sed ego ad eam sapientiam ut pervenirem, nunquam laboravi: & istius prudentiae tormento etiam posthaec libenter carebo. His studiis nostris, si velimus docere assidue, & discere, quae restant; (restant autem semper infinita) & scribere aliquid, quod prosit iis, qui nos audire non possunt, nec dedecori sit nomini nostro, & huic Academiae, sed veterem ejus gloriam defendat: haec, inquam, si velimus, ut debemus certe, facere pariter, tranquillitate opus est animi atque vitae, ut toti iis rebus vacemus. Sed nihil est tam occupatum, tam distractum, tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam animus suspiciosae isti prudentiae deditus. His igitur rebus si potero Collega placere: & quidni possim talibus viris? haud dubie placebo: aliis artibus placere nondum didici.

Quid autem possum, Commilitones humanissimi, aut vobis promittere, quod non speretis, aut a vobis

ſperare, quod non dudum abunde praeſtiteritis? Non dicam, quantum veſtrum erga me ſtudium multis rebus cognoverim: quod etiam haec veſtra frequentia ſignificat, qua novi muneris initia, in hac tanta tempeſtatis foeditate, honeſtatis. Quae ad meum proprie honorem pertinent, etſi non ſunt ingrata, praeſertim a vobis, tamen non magnopere a me requiruntur: quae ad veſtram laudem & utilitatem, & hujus Academiae gloriam, pertinent, longe ſunt, uti debent, jucundiora. Quis ergo ignorat, quanta veſtra ſemper frequentia fuerit in me audiendo, cum ex hoc loco, aut domi, Ciceronem, aliosve ſcriptores Graecos & Latinos interpretarer, aut ad librorum ſacrorum intelligentiam aditum per literarum antiquarum praeſidia facerem? Quod non mea cauſa dico. Neque enim iſtam gloriam meam poſſum putare; qui ſciam, ſaepe majores me in hoc genere viros in aliis Academiis prope ſolos in cathedris relictos fuiſſe, atque in tali ſolitudine etiam num quosdam verſari. Immo veſtra iſta laus eſt, Academiae noſtrae iſta gloria eſt. Non exiſtimabitis, ut ſpero, me hoc auribus veſtris dare. Non aſſentatorem me vobis datum eſſe ſcio, ſed doctorem. Poſſum vobis ſancte affirmare, ſaepe viros doctiſſimos ex aliis Academiis, qui iſtos veſtros concurſus vel vidiſſent, vel audiſſent, felicem me praedicaſſe, cum juventutem hic haberem eam, quae guſtum, ita loquebantur, humaniorum literarum caperet, cum in aliis plerisque Academiis, juventus iſtas res pro verbis contemnere, & quandam verborum barbariem pro rebus magnis ſectari, & doceretur & diſceret.

Quidni ergo ſperem, hunc vos amorem illarum literarum conſervaturos eſſe? aut quid ego vos ad earum ſtudium cohorter, quo vos veſtra ſponte video eſſe incenſos. Nempe haec eſt veterrima hujus Academiae gloria, habere juventutem iſtarum literarum amantem ac ſtudioſam, ſi quis eam vel mediocriter excitet ac ſuſtentet: eſt ipſius urbis, quae quadam ſibi propria elegantia amorem humanitatis & elegantiorum literarum videtur inſpirare. Qui primi literarum bonarum ſcholas hic aperuere, Herm. Buſchius, Jo. Rhagius Aeſticampianus, etſi brevi tempore a Theologiſtis & Sophiſtis barbaris ſunt ejecti, qui de ſe & de ſua ſapien-

pientia actum videbant, si illa studia convaluissent: tamen juventutis maximos ad eos concursus factos esse constat, & per illius ipsius juventutis ferventia studia tandem vicisse Georgium Heltum & Joachimum Camerarium: nec unquam magistris discentium studia defuerunt, modo docentium recta studia nunquam defuissent. Quare tenete hoc, tam vobis honestum, atque etiam haud dubie utile futurum studium, neque ab eo vos ullius vocibus abstrahi sinite. Ego vero vobis polliceor, me studiis vestris nunquam defuturum, sed etiam cum incommodo & molestia mea, si aliter fieri non possit, inserviturum esse.

Vos autem, A. A. mecum vota facite, ut Deus O. M. cujus beneficio & res Saxonica universa, & haec Academia per tot secula stetit, primum AUGUSTUM Regem, patriae patrem optimum, cum Augusta conjuge, & celsissimum filium heredem, bonarum literarum grande praesidium, cum celsissima uxore, celsissimisque filiis, totam denique regiam domum, omni regali felicitate beet: eos porro quorum consilio, prudentia, cura, vigiliisque, res Saxonicae administrantur, felici consiliorum & rerum omnium successu, dignis denique meritorum praemiis ornet, ut hanc Academiam usque ad finem rerum humanarum incorruptae Christi doctrinae, & omnis verae sapientiae sedem esse jubeat: urbem autem ipsam, quae ei pulcerrimum & saluberrimum domicilium praebet, omni bonarum rerum copia affluentem reddat: uti omnes, qui in divinarum humanarumque artium studiis, vel docendo vel discendo versantur vero & integro animo, laboris studiique fructus uberrimos capere sinat: denique etiam omnibus meis institutis ac coeptis prosperos & constantes successus largiatur.

ORATIO
DE
INSTITUTIS CRITICORUM
IN STUDIIS THEOLOGIAE IMITANDIS

DICTA

PROFESSIONIS THEOLOGICAE
ADEUNDAE CAUSA

PRID. KAL. MAJ. A. C. CIϽIϽCCLIX.

Philoſophus de Socratis ſchola, A. A. cum ei unguentum eſſet oblatum, delinitus odoris ſuavitate, male precari coepit effeminatis hominibus, qui unguentis ad mollitiem abutendis commiſiſſent, ut res tam jucunda infamiam contraheret, & ab honeſtorum atque gravium virorum uſu removenda putaretur. Vix digna videatur philoſophi gravitate tam vehemens in tanta rei levitate indignatio: & tamen etiam Alexandrino Clementi, acerrimo voluptatis & deliciarum inanium inſectatori, bene utilitatis moderationem ab abuſus intemperantia videtur ſecreviſſe. Quod ſi philoſopho licuit iraſci mollitiae illorum, qui rem levem ac voluptariam abuſu corrupiſſent, atque infamem reddidiſſent: profecto vix ſatis odiſſe poterimus temeritatem, audaciam atque improbitatem eorum, qui res pulcerrimas ſaluberrimasque pervertendo, & quantum in ipſis fuit, ad perniciem trahendo,

do, eas vel ſuſpectas bonis, vel inviſas imperitis, & propemodum infames reddidere. Enimvero, quam multa ſunt vel in ſtudiis doctrinarum, vel in bonis vitae humanae, quae per licentiam humanam in hoc ſaepe adducta ſunt diſcrimen, ut iis etiam de honeſtate ſua & de fama eſſet dimicandum. Ut nihil dicam de rebus iis, quae nullam habent conjunctionem cum ſtudiis doctrinarum; pulcerrima profecto & generi humano utiliſſima eſt philoſophia, quae ingenium ad verum videndum praecipiendo ac docendo fingit, & rerum divinarum humanarumque ſcientia locupletat, quae cupiditatum omnium coërcendarum refrenandarumque rationem ac modum demonſtrat, animum ad virtutis ſtudium praeceptis ſuis inſtitutisque adducit, vitam denique omnem humanitate imbuit. An vero eſt quisquam, qui neſciat, quantas invidiae tempeſtates ſaepe ſubierit, quantaque infamia adſperſa ſit, per temeritatem atque licentiam eorum, qui vel ipſam ſtultiſſimis, & religioni, virtuti, vitaeque humanae noxiis opinionibus contaminarent atque corrumperent, vel ejus ſubtilitate, ad labefactandam veritatem literis divinis traditam, abuterentur? At huic tamen, in tali incommodo ac periculo, ad tuendum ſtatum ſuum dignitatemque obtinendam hoc contigit percommode, quod in iis, qui ſe ad quamcunque partem doctrinae conferrent, permagnus ſemper numerus fuit eorum, qui ſibi philoſophiam, non modo ipſius cauſa, ſed etiam, ut neceſſarium & magnum ad doctrinas omnes bene percipiendas tractandasque adjumentum, aſſumendam putarent. Longe diſpar, in pari incommodo, fortuna fuit Criticae; de qua cum antiquis temporibus ita judicatum eſſet, ut in ea faſtigium & perfectio doctrinae liberalis poneretur, cumque ante duo ſecula plurimum adjumenti attuliſſet, & ad reſtituendam doctrinae ſacrae integritatem, & ad debellandam ſuperſtitionem, fraudem, dominationemque Romanam: repente ita converſa ſunt omnia, ut non modo de dignitate retinenda, ſed etiam de ſalute conſervanda cogitare cogeretur. Etenim cum non modo illi, qui ad ſcriptores humanos, Graecos & Latinos, conjecturis ſuis corrumpendos ſe contulerant, ad ornandam temeritatem ſuam pulcro ejus nomine abuſi eſſent, ſed etiam ad oc-

occultandam arrogantem impietatem atque inſcitiam hi, qui ſacros libros vel auctoritate divina privare, vel detrahendo, interpolando, corrigendo depravare, atque ita cum erroribus ſuis in concordiam cogere conarentur: non modo illi inanes judicio Critici indoctae atque impiae licentiae notam tulerunt, ſed ipſius Criticae nomen longe lateque coepit gravi invidia ac propemodum infamia laborare. Neque enim facile eſt maximae hominum parti, ſingulorum culpam ſegregare ab innocentia univerſorum: pronumque eſt natura ingenium humanum, ad vitia hominum cum rebus communicanda. Et potuiſſet facilius hanc a ſe labem depellere, ſi multos habuiſſet diſciplinae ſuae bonos & probatos alumnos, quos teſtes innocentiae ſuae & quaſi cognitores daret. Sed Critica paucorum ſemper hominum fuit; ſive quod ipſa contenta eſſet colentium paucitate, & multitudinem a ſua conſuetudine ſegregaret; ſive quod longe maxima ſtudioſorum pars, rerum diſcendarum prope innumerabili multitudine, ac diſcendi exercendique difficultate ac diuturnitate ab ejus diſciplina ſe deterreri paterentur. Itaque ſcio hoc interdum accidiſſe viris probis atque doctis, praeſertim ex ordine Theologorum, ut ad ejus nomen, tanquam ad malum omen ac paene prodigium, expaveſcerent, quod ſerio deteſtarentur, longeque a ſe cuperent amoveri.

Quae cum ita ſint, miretur fortaſſe aliquis fiduciam animi mei, qui, in his Profeſſionis Theologicae auſpiciis, nomen Criticae uſurpare audeam, quo in partem meliorem commemorando malum omen facere videar. At ego, primum, verba facio in conventu virorum doctiſſimorum, & bonarum literarum, quarum domina eſt Critica, amantiſſimorum, & audiente juventute ea, quae artes eas amet ac ſequatur, denique in Academia Lipſienſi, cui in hoc genere artium ac diſciplinarum, e quarum exquiſita ſcientia Critica efflоreſcit ſua ſponte, omnium aliarum conceſſu principatus tribuitur. Neque vero ipſam Criticam laudabo, ne quis timeat, aut in Theologia aſſumendam demonſtrabo: quod ſi facere luberet, oratio mihi deeſſe non poſſet. Etenim, ut cetera ejus bene merita de literis ſacris, de antiquitate & hiſtoria eccleſiaſtica, de ipſa

Eccle-

Ecclefia noftra, tacerem, fi ejus judicio fubtraherem libros divinos, eique nihil in eos juris relinquerem, quod ea fibi profecto numquam arrogavit: magna tamen ei laus relinqueretur haec, quod corruptelas, fraudesque ingenii humani & impietatis profanae protrahit in lucem, atque idoneis argumentis convictas repellit. Mali enim & corrupti judicis pravum judicium refelli, nifi ab alio peritiori & juftiori judice, non poteft. Nec me ad hoc laudandi confilium impellit meae artis & facultatis amor. Non enim ipfe fum Criticus, ne quis erret: non ita valeo, neque ingenio, neque doctrina. Sed quoniam vitae meae & muneris ante fufcepti rationes ita tulerunt, ut mihi plurimus effet ufus cum fcriptoribus Graecis & Latinis, eorumque interpretibus, in primis iis, qui criticae facultatis laude excellerent, videor mihi hoc confecutus effe, ut inftituta bonorum Criticorum virtutesque penitus noffem, & ad ea rationes meas, non modo in eodem genere literarum, fed etiam in aliis doctrinis, quae fimilitudinem & conjunctionem cum illis haberent, dirigere utcunque poffem. Quem ego illius ftudii fructum femper judicavi permagnum, & fimillimum ei, quem e philofophicarum & mathematicarum doctrinarum ufu cepi; certe maxime capere volui. Sunt enim hae artes omnes ejufmodi, ut non tam profint, ubi perceptae fint, fcientia rerum, quamquam hac quoque, quam cum percipiuntur, difciplinae modo & exercitatione quadam ingenii, per quam celeritas intelligendi & veri videndi atque judicandi, denique elegantia quaedam & dexteritas rerum omnium, in primis fimilium, tractandarum venit. Itaque non alienum, arbitror, me, neque ab hujus orationis confilio, neque a perfona mea, facturum, fi quid earum artium atque inftitutorum, quibus critica difciplina maxime continetur, fcientia, atque in ftudiis Theologiae imitatio, vel mihi profuerit, vel prodeffe cuicunque poffit, breviter demonftrem. Nam ita facillime, unde veniam, quo tendam, quid & quomodo non tantum egerim, fed etiam acturus fim, intelligetur. Quod dum facio, rogo vos, A. A. ut me, ficut adhuc feciftis, benigne atque diligenter audiatis.

Jam primum, quoniam Critici, quos vulgo & maxi-

me dicimus, ingenii ſolertiam & cogitandi diligentiam in primis collocant in rebus iis, quae de Graecis & Latinis ſcriptoribus ducuntur, in ſapientia antiqua, in ritibus antiquis ac moribus, in rebus geſtis, in artibus recte, copioſe, ornateque dicendi; propterea ſummam artis ac diſciplinae ſuae ponunt in hoc, ut fontes harum rerum adeant, ex iisque vel ſolis, vel maxime, eas ſibi petendas & hauriendas putent. Atque ut hanc ſibimet ipſis legem eas res diſcendi faciunt, ita diſciplinae ſuae alumnis eandem primam proponunt, ad hanc diſcere omnia, hac proficere volunt; ceteros denique omnes, qui easdem res vel tractare, vel didiciſſe videri volunt, ex ea lege ſeveriſſime judicant, nec ullo in numero habent, qui alios ſibi magiſtros ac doctores fecerit. Itaque nihil ſaepius ex iis audias, quam laudes veterum, qui cui ſoli placeant, eum, ſe profeciſſe plurimum, jubent exiſtimare. Atque adeo contemtim ſolent de recentiorum ſcriptis loqui. Lege veteres, dictum eſt Grotii, ſperne recentiores, & eris noſter: non, quo plane contemnant, quae viri docti, praeſertim quos ex ipſis fontibus ſua hauſiſſe conſtet, ſcripſerint, neque enim ſua quoque contemni volunt: ſed quod incipere quemque a veteribus, in recentioribus deſinere, in illis robur copiarum, in his tantum ſubſidiarias copias eſſe volunt, in illis habitare quemque, apud hos tantum diverſari, de illis maxime intelligendis laborare, in eo labore, ubi haerent, ab his audire, quid ad illos bene intelligendos adferre poſſint. Sed in primis de compendiis antiquitatum, hiſtoriae, aliarumque artium, quae ex ſcriptoribus veteribus ducuntur, multum detrahere ſolent: neque, ſi quis tale compendium aut ipſe undecunque congeſtum ac compilatum ediderit, aut lectionibus ſcholaſticis ſaepe adoleſcentibus praelegerit, eum antiquarium, aut hiſtoricum, aut rhetorem, aut philologum agnoſcunt. Neceſſitati iſta concedunt pucrilis ac juvenilis aetatis, ut cognoſcant univerſa doctrinae cujusque capita, ſciantque, quid diſcendum ſit, quo intendendus animus in legendis antiquis, denique ut, quae ex genere quoque repererint, ea referre ad certa capita & facilius tenere poſſint: ipſam veram ſcientiam earum rerum & eruditionem,

nem, dignam viro docto, in iis esse pernegant. Itaque non in iis esse ita acquiescendum praecipiunt, ut talibus compendiis, vel lectione, vel in scholis alicujus Professoris cognitis, eam partem doctrinae se jam bene tenere putent, aut omnem aetatem in eorum angustiis conterant, sed cum tirociniis abjici, & velut crepundia puerilia, casulas chartaceas, & arundines longas, relinqui jubent.

Haec ergo disciplinae atque institutorum pars non vobis videtur in studiis Theologicis tanto magis & Theologis ipsis praecipiendo, & studiosis discendo imitanda, quanto majores sunt libri ipsi, quos in fontium Theologiae numero ducimus? Nam Graeca illa & Latina scripta, in quibus Criticorum studium consumitur, quamquam excellentia, tamen sunt non minus humana, quam cetera recentiorum: at hi nostri Theologiae fontes de coelo scaturiunt, ex ipsis divinitatis sanctissimis recessibus ad nos per Dominum nostrum Jesum Christum, filium Dei, qui in gremio Patris est, & Spiritum Sanctum, qui abdita divinitatis rimatur, ad nos sunt propagati. Hi soli habent hoc juris, ut errent nusquam; hi soli praestant hoc, ut qui eos solos sequatur auctores atque magistros vero & integro animo, nunquam erret aut labatur. Non ergo hi soli audiendi studioso doctrinae sacrae, in iisque intelligendis omne studium, omnis opera debet consumi? praesertim cum alumni Lutheranae disciplinae sint ii, qui solas Scripturas sacras, solum Jesum Christum cum Prophetis suis & Apostolis, audiendum profiteantur, atque acerrime defendant adversus eos, qui divinae auctoritati humanam adjungi velint? Dicet aliquis: Quid ergo? non hoc faciunt, qui se ad doctrinae sacrae studium contulerunt? Scio sane esse, qui hoc faciant, scio esse, & fuisse, praesertim in hac Academia, doctores, qui & ipsi libros sacros lectionibus publicis privatisque interpretarentur, & exemplo, praeceptis, cohortationibusque ad eorum per linguarum subsidia recte & accurate cognoscendorum studium incenderent. Sed quam paucos semper, & hic, & aliis in locis, fuisse putemus, qui faciles his praeceptis aures praeberent? Immo, non docuit hoc usus, plerosque in compendiis doctrinae & dictatis magistrorum

ita

ita acquievisse, ut in his se satis Theologiae ex Academia auferre putarent, nec postea de libris sacris assidue legendis & excutiendis, & augenda literarum earum scientia, laborarent, per quam aditus ad interiores eorum recessus munitur? Non videmus, quanta permultis injiciatur trepidatio, cum per supplicationum publicarum occasiones proponuntur dicta sacrorum librorum pro concione explicanda, & ad exercitationes pietatis & poenitentiae illis diebus aptas conferenda? quam cupide emantur libelli, quibus in ea re possint adjuvari, qui interpretationes & dicendi materiam suppeditent? An vero hoc posset accidere, an his talibus libellis opus esset, si literas sacras ita amplecteremur, ut Critici, eorumque discipuli libros Graecos & Latinos: quibus cum est de aliqua parte antiquitatis, historiae, dicendum aut scribendum, non opus est compendiis, quae plerique ne attigerunt quidem, nec erat necesse, sed ex assidua illorum lectione facile occurrit, quid recte ac bene dici possit. Pudere profecto debet Ecclesiam nostram talium libellorum. Quid enim putamus dicere adversarios nostros in Ecclesia Romana, si talibus libellis opus esse videant his, qui sibi literarum sacrarum contemtum exprobrent, & de earum auctoritate & sufficientia tam magnifice disserant? Sed quomodo Critici in illis suis Graecis & Latinis libris tractandis versentur, & an inde quoque aliquid utilis admonitionis peti a studiosis possit, videamus.

Ac primum videte, quanta reverentia atque religione in ea re utantur. Nam, quoniam iis legendis viderunt, quanto ingenio, quanta doctrina homines, quanta in rebus omnibus & cognoscendis & oratione exprimendis cura ac diligentia fuerint; si quid occurrit ejusmodi, quod aut sensu abhorrere videatur a veritate, aut verbo ab accurata elegantia, quomodo laborant, ut id vel cum veritate componant, vel ratione quadam emolliant, vel denique interpretando defendant? Citius utique eo descendunt, ut se non satis rem aut verba intelligere fateantur, aut verba a librariorum incuria aliquid vitii traxisse existiment, quam auctores ipsos, praesertim principes illos, quos classicos appellant, peccasse,

in

in primis gravius, concedant. Eo autem cum res deducta eſt, non levibus conjecturis agendum putant, quas etiam ridere & vituperare ſolent, ſed libros ſcriptos eosque antiquos & bonos, aut qui ex iis diligenter editi ſint, in conſilium vocant; ſi hi deſtituant, ad conjecturas quidem interdum confugiunt, ſed hac cum modeſtia, ut eas non in textum inferant, ſed eruditis judicandas, & libris fortaſſe aliquando melioribus confirmandas, quod ſaepe contigit, relinquant: in praeceptis autem omni modo reprimunt pruritum, &, ut appellant ſubinde, ſcabiem corrigendi, quae quis non intelligat, & ut quisque ab ea eſt remotior, ita ſaniorem Criticum judicant.

Quid igitur? A. A. an meliorem diſciplinam praeſcribere poſſumus his, qui ſacros libros tractent, qui in iis tractandis etiam Critici eſſe viderique velint? Non, ſi quis haec inſtituta imitetur, &, propter exercitationes in illorum ſcholis ſuſceptas, imitari poſſit, non, inquam, hunc bonum & probandum Criticum putetis? Non ſimiles illis eſſe debent, qui in Scripturis ſacris Critici eſſe inſtituant? Non haec ratio ac diſciplina docet, primum, quam inſanierint hi, qui, ut primum aliquid in Scripturis ſacris reperérant, quod non ſatis caperent, quod vel cum philoſophorum decretis, vel cum hiſtoriis, vel cum aliis eorundem librorum locis non convenire videretur, id ad contemtum & irriſionem librorum ipſorum traxerunt, & ad eripiendam iis auctoritatem divinam converterunt: & quod honoris habetur libris humanis, propterea, quod per plura ſecula apud humanitate cultos populos in tanta dignitate & laude fuerunt, id his non tribuerunt, cum multo eſſet tribuendum magis, qui per tot ſecula divinitatis auctoritatem habuerunt, divinitatisque illius tot tam claris ſignis lucent? Non porro eadem nos Criticorum inſtituta docent, quam impudentes ſint hi atque dementes Critici, ut ſe appellari gaudent, ſacri, id eſt, ut bene Latini loquuntur, cum de hominibus dicunt, deteſtabiles, qui tam proni ſunt ad corrigendum vel Hebraicum vel Graecum textum, nec modo de auctoritate unius aut alterius Codicis, interdum non boni, ut Beza ſubinde fecit

fecit in Graeco, etiam Erasmus, ſed etiam de conjectura, & ſaepe non aliqua gravi aut neceſſaria de cauſa, ſed ut melius ipſi intelligant, ut Spiritus Sanctus magis ſecum & cum ſuis opinionibus conſentiat? Vere hoc poſſum dicere, quod diligenter indagando cognovi, quicumque ſint ex illa ratione, eos nunquam diſciplinam & vera inſtituta Criticorum in tractandis auctoribus Graecis & Latinis cognoviſſe, multoque minus uſu & exercitatione ſevera in aliquo genere ſcriptorum vel Latino vel Graeco conſecutos eſſe, ut iis recte uti poſſent. Clericus, cujus notiſſima eſt in eo genere temeritas, etſi librum edidit, quem Artis Criticae nomine honeſtavit, tamen nihil minus egerat unquam. In Latinis vix mediocriter doctus, & plane deſtitutus erat ſcientia accurata: in Graecis autem, quam ſaepe e participiis, & adjectivis nomina propria, e populis ſingulos homines, e genitivis nominativos, e quolibet quidlibet fecit*? Unde ergo homini tanta confidentia? primum a fame, quae etiam corvos cogit humanas voces tentare, deinde a compendio philoſophiae, quod ſcripſerat, in primis a Dialectica, quam ex Arnaldo compilaverat, in cujus admirabilis ac divinae doctrinae poteſtate ſcilicet ſunt omnia. Quid? Wetſtenius ille nuperus Novi Teſtamenti editor e critico genere, quo tempore ad illius operis ſuſcipiendi conſilium acceſſit, an lege ſevera in Criticorum ſcholis profecerat, ut ad eam rationem ſe poſſet componere? Nullo modo, ut audivi ex iis, qui cum eo Baſileae notitiam quandam habuerant: & ſi quid poſtea expulſus e patria profecit legendis priſcis ſcriptoribus Graecis, id ille tamen omne ad ſuſceptas ſemel de certorum locorum lectionibus opiniones fucandas retulit, nec in toto opere diligentiae & eruditionis criticae laudem tenere potuit,

* Si quis ita eſſe dubitet, adeat vel fragmenta Heſiodea, in quibus reperiet p. 332. Λελέγων *Lelegon* pro *Lelegum*, ἀλέας, *Aleas*, pro *crebros*, *multos*. p. 338. Θεσσάμενος, *Theſſamenus*, pro *reveritus*, *honorans*. &c. quae Robinſonus, editor Britannicus, omnia ſervavit.

tuit, ut alio tempore fpeciminibus fatis perfpicuis docui. Quare fi quis eft inter vos ita erecti & elegantis ingenii, ut artes criticas in libris divinis tractandis attingere, aut de iis prudenter judicare poffe cupiat, ei auctor fim, ut ante in humanis libris difcat eas recte cognofcere, & ad ufum conferre, ubi etiam minus periculofe peccatur, ut rem per fe difficilem non modo curiofe, fed etiam reverenter ac religiofe tractare difcat, atque ita antiquis illis Ecclefiae Chriftianae Criticis, Origeni, Gregoriis, Bafilio, Chryfoftomo, Theodoreto & Hieronymo fimilis reperiatur.

Jam qua oratione potero fatis exprimere feveritatem difciplinae criticae in interpretando; quae eft tanta, ut eam perpauci fubire ac fuftinere velint ac poffint, malintque fequi lenitatem & indulgentiam philofophiae novitiae, quae compendia viarum demonftrat ea, per quae poffit juvenis mediocriter ftudiofus ac diligens unius aut duorum annorum fpatio, & parvo unius aut alterius libelli fumtu, ita decurrere, ut mox ipfe doctorem philofophiae agere, & praeceptorem etiam dubitationibus vexare poffit: cujus rei dulcedo memet ipfum adolefcentem propemodum decepit. Qualis ergo eft ifta feveritas, & quibus in rebus cernitur? Dicam, quam breviffime potero. Primum, quia omnis interpretatio vera & certa ducitur maxime ab intelligentia verborum, quam docent Grammatici, non modo praeceptis, nec iis folis, quae in vulgaribus libellis grammaticis reperiuntur, fed etiam obfervationibus, quas ab aliis acceptas augere etiam novis licet: propterea nihil prius aut magis exigunt, quam earum praeceptionum & obfervationum fcientiam, quae non modo fit accurata in intelligendo, fed etiam tenax in retinendo, & facilis ac promta in reddendo. Itaque in primis urgent exercitationem, cujus affiduitate efficiatur, ut familiaritas jufta cum iftis rebus omnibus contrahatur, propter quam eae fe officiofas praeftent, ut praefto fint, quoties earum opera uti poffimus. In quo quantum laboris, curae ac moleftiae proponatur, facile vel ex ipfa rerum prope infinita multitudine intelligitur. In ea porro fcientia comparanda ftatim ufum adjungunt, quo prope uno

artes

artes omnes maxime conſtant. In illo autem interpretandi uſu non dant hanc tam expetitam vulgo, tam opportunam ignaviae pariter atque inſcitiae licentiam, ut e verbis utcunque intellectis, ſenſum poſſint fingere, non abhorrentem a re, aut contextu, aut ſuis opinionibus: nam ea ratione nihil didicerunt eſſe fallacius: ſed omnia cogunt diligenter revocare ad praeceptorum ſubtilitatem, & obſervationum veritatem, ut ad verum ſenſum, & verbis, & rebus, & contexto conſentientem, pervenias. In quo credi vix poteſt, quam aegre in poteſtatem artis ac diſciplinae tam ſeverae ac rigidae, redigatur, non dicam ignavia juvenilis, ſed alacritas ingenii & quaſi laſcivia impatiens talis tarditatis, & ſemper elabi & expedire ſe aliquo ſaltu cupiens. Sed illi uſque iis inſtant, & in hac quaſi arena fatigant, donec penitus ſubacti, recte atque ordine, & vero etiam innoxia & ſecura celeritate, progredi poſſint. Ad easdem rationes examinare conſuefaciunt aliorum interpretationes, nec quicquam tribuere cujusquam auctoritati, niſi hactenus, ut diligentiam & modeſtiam quaerendi augere jubeant propter auctoris claritatem.

Jam, ut ego non dicam, haec inſtituta Criticorum bonorum eſſe digniſſima imitatione in libris ſacris interpretandis, non vos ipſi veſtra ſponte intelligatis, ac fateamini? Immo vero injuriam me facturum putem veſtrae eruditioni & ſapientiae, & adverſus libros ſacros reverentiae, niſi exiſtimem, vos, dum iſta audiretis, etiam vota feciſſe, ut illius rationis imitatores ſe permulti praeberent, & eos optimos interpretes ſacrorum librorum fore, tacite judicaſſe, qui illo modo ad interpretandi facultatem ſint eruditi, & conſuefactione adducti. Sed illius generis interpretes non admodum frequentes eſſe in Eccleſia noſtra, non mea querimonia, ſed multorum de Theologis noſtris admonitio, ſive ingenua confeſſio eſt. Neque vero eam rem cum Richardo Simonio ad contemtum Commentariorum traxerim, quos a noſtris Theologis, praeſertim antiquioribus, ſcriptos habemus. Eſt ſane fatendum, eos magis locos theologicos tractaſſe per occaſiones, quas verba ſcripturarum obtuliſſent, quam verborum accuratam interpretationem curaſſe, qualis

hodie

hodie desideratur, & animadversiones criticas; cujus generis est Lutheri in Genesin merito laudatissimus olim Commentarius: sed ea res primo excusationem habet hanc, quod illis temporibus ars interpretandi & Critica nondum ea praesidia habuit, quibus nunc est instructa; deinde Commentarii tales fere nati sunt e lectionibus Academicis, quae tum erant dissimiles institutis nostris. Lutherus, quod ego sciam, nunquam, nisi forte extremis temporibus, iisdem lectionibus universa Theologiae capita, certo ordine inter se nexa, explicavit: sed aut commentatus est in libros Codicis sacri singulos, aut capita doctrinae ea, quae tum maxime dabant materiam disputandi, accurate & copiose illustravit. Itaque non poterat non disputationes theologicas inserere Commentariis, more instituto-que Patrum ecclesiae, quae ne nunc quidem a Theologo interprete in lectionibus Academicis possunt omitti. Et nescio quomodo illae disputationes de locis theologicis in talibus Commentariis sunt illustriores, & copiosiores atque hilariores, quam in ipsis corporibus doctrinae, nec ullo modo contemnendae. Ego quidem fateor, me quondam plus ad rerum theologicarum scientiam profecisse ex Harmonia Chemnitiana, per Gerhardum & Lyserum locupletata, quam ex omnibus Collegiis theticis vel audiendo vel legendo profeceram. Sed hae disputationes felicius procedunt, si ab accurata & severa Interpretatione proficiscuntur, nec propter illas haec negligenda aut contemnenda est: ad quod multi sunt hoc procliviores, quod in hac, quam Critici commendant, est major difficultas proposita. Enimvero, non turpe Theologo foret, in libris divinis eas difficultates refugere, quas ceteri tam cupide suscipiunt in humanis; & in opere uno detrectare, quod illi non recusant in tam multis? quos adeo tanta diligentia excutiunt, ut etiam modum excedere non nullis videantur. Sed nulla diligentia nimia est, quae in rebus bonis consumitur.

Quamquam in hoc genere facilius putem excedere modum eos, qui Philologiam sacram tractant, quam qui alteram, quae ad interpretationem Graecorum & Latinorum confertur: nec male facturos illius studiosos, si in hoc quoque magistros hujus sequantur aucto-

res. Etenim, quicunque Philologiam illam ſacram tractant, non ſubacti Criticorum diſciplina & inſtitutis, ſaepe profecto nimis vexant verba atque torquent, cum longis ea diſputationibus obruunt, congerendis omnibus, quae reperiri poſſint, ut ex uno interdum tropo fiat liber: quae ratio nullam profecto ad bene intelligendum atque interpretandum vim habet. Boni Critici exiſtimant, interpretationem omnem comparari ad res traditas bene intelligendas: ſed rerum perſpicientiam impediri longis diſputationibus de verbis ſingulis, adjuvari apta brevitate. Itaque hac brevitate utuntur in illuminandis ſcriptoribus Graecis & Latinis, quoad verbis continentur. Quod tanto magis debemus in libris ſacris imitari, quanto res ibi traditae ſunt majores atque praeſtantiores.

Sed quoniam multi hac ſunt opinione imbuti, ut putent, Criticos tantum verbis occupari, res ipſas negligere aut ignorare, idque ad invidiam eorum, aut contemtum artis criticae conferunt; hic error minuendus, atque paucis oſtendendum eſt, in rebus quoque e ſcriptoribus quibusque diſcendis atque docendis ratione uti Criticos bonos ea, quae Theologiae ſtudioſis in primis ſit imitanda. Sunt autem rerum, quae e libris Graecis & Latinis diſcuntur, duo genera. Primum eſt, quod pertinet ad aliquam partem doctrinae, velut ad philoſophiam, ad hiſtoriam, antiquitatisque omnis ſcientiam. Hic jam ſupra dixi, Criticos non admodum delectari Compendiis aut Corporibus earum doctrinarum: tironibus ea comparata eſſe, aut fortaſſe ad memoriam adjuvandam prodeſſe poſſe, ſi quis cupiat interdum omnia doctrinae capita animo & cogitatione percenſere. In quo magnum adſtipulatorem habent Baconem Verulamium, qui in omni diſciplina caveri vult a compendiis & a praecocitate doctrinae; quam ex compendiorum uſu venire, & juvenes implere opinione doctrinae accuratae & plenae, cum ab ea longiſſime abſint. Accuratiorem & copioſiorem rerum ſcientiam ipſis fontibus aſſidue legendis boni Critici quaerunt, atque ita veluti inundant pectus ſuum doctrina, ut, quicquid opus eſt, expromere inde ſine haeſitatione ac difficultate liberaliter poſſint, nec certis locis ac teſtimoniis uti cogantur, ſed quae ex re-

cen-

centissimis lectionibus occurrant. Atque hoc est, quod mihi in studiis theologicis in primis imitandum, in primis utile ad copiam in disserendo atque in concionando videtur, ne semper idem dicere cogamur, nempe quod e Compendio & dictatis didicimus, ne inopia appareat, non decora oratori, ne in disputando, si forte, quae testimonii causa prolata sunt, in dubitationem vocentur, destituamur. Qui libros sacros assidue legit, atque ita scrutatur, ut quid in quibusque dictis sit, quid inde colligi possit, ad quod caput doctrinae referenda sint, cogitet, ei nunquam argumenta deesse possunt, semper nova, saepe etiam clariora reperiet. Haec est illa ratio, qua usus sum semper in lectionibus, quibus Novi Testamenti libros Criticorum more interpretatus sum: haec est, quam in Theologis olim desiderabat idem ille Baco Verulamius, in praestantissimo de Incrementis doctrinarum opere; qui has emanationes scripturarum vocabat, & curiosioribus atque subtilioribus dogmaticorum disputationibus & enucleationibus verborum scripturae longe praeferebat. Recte profecto ac sapienter. Nam ut vina, quae sub primam uvarum calcationem leniter defluunt, molliora & suaviora sunt iis, quae torcularis vi & pressu eliciuntur; quod in illis purus uvae succus est, haec ex acinis & e cute uvae aliquid trahunt: sic suaviora, salubriora & efficaciora sunt, quae e scripturis leniter quasi pressis effluunt, quam quae artis & subtilitatis vi exprimuntur: praesertim in concionibus habendis, ad quarum tamen usum maxime comparata esse theologica scientia debet. Brevis enim & parvus doctrinae fructus est, qui scholae angustiis ac tenebris continetur: unus maximus & pulcerrimus est, qui in Ecclesiae luce apparet.

Atque ad ejus usum pertinet maxime genus alterum rerum, in quibus cognoscendis tractandisque, Criticorum instituta saluberrime ad imitationem trahi posse contendo. Etenim Critica versatur, ut ante dixi, non modo in verborum integritate, sententia, bonitate, pulcritudine judicanda, sed etiam, & prope magis, in sententiarum earum judicio, quae non quidem ad aliquam partem doctrinae scholasticae referuntur, sed tamen interiorem indolem naturae divinae, quoad

 habet

habet cum homine conjunctionem, animorum porro humanorum, & rerum humanarum omnium exprimunt cum quadam novitate, gravitate, cum quodam grato & perſpicuo acumine, denique etiam cum quadam ſuavitate. Has ſententias boni Critici curioſe notant in omni genere ſcriptorum, atque requirunt, unde ductae ſint, quae ſit cauſa gravitatis, magnificentiae, ſuavitatis, indagant atque explicant: comparant etiam inter ſe ſimiles, & varietate ingeniorum variatas, & illius ipſius varietatis modum conſiderant. Atque id faciunt non modo propterea, quia in iis eſt permagna & prope dicam maxima pars ſapientiae, quae ad vitam publice privatimque prodeſt plurimum; antiquiſſimis quidem temporibus haec una ſapientia fuit: ſed etiam, quia in earum copia & uſu maxima pars eſt oratorii ornatus, atque etiam maxima in dicendo vis: nec ullo modo in oratorum, qui proprie dicuntur, numero haberi poteſt, qui non e talibus ſententiis enthymemata, argumentationesque nectere didicerit, per quae argumenta alantur, roborentur, atque ad animos audientium contorqueantur. Enimvero, quia tales ſententiae non ſaepe faciunt ad fidei dogmata, & morum praecepta, quae in arte & ſchola tractantur, propterea, ſi non negliguntur, certe non ea diligentia a ſacrarum literarum ſtudioſis tractantur, qua & ſcriptorum Graecorum & Latinorum interpretes e genere critico ſolent. In quo mihi non parum videtur peccari, & magna opportunitas bene in coetu Chriſtianorum dicendi praetermitti. Etenim tantus eſt in libris ſacris numerus pulcerrimarum, acutiſſimarum & graviſſimarum ſententiarum, quae vim & ornatum orationi poſſint addere, quanta eſt in nullo Graecorum & Latinorum ſcriptorum. Pleni enim ſunt Pſalmi Davidici, pleni diſputatorum in hiſtoria Jobi ſermones, pleni Salomonis libri omnes, in quibus is nominatim, qui Proverbiorum titulum habet, nihil eſt aliud, quam liber Sententiarum. Atque etiam illud dico, quod fortaſſe mirum videbitur nonnullis, ſed mihi profecto poteſt credi, qui omnes libros Graecos & Latinos, in quibus hic ornatus ſententiarum laudatur, poëtas, philoſophos de Socratis ſchola, hiſtoricos, oratores aſſidue legi, & id genus ſententiarum diligenter notavi, at-

que

que tractavi, credi mihi igitur poteſt, non modo communes habere libros ſacros permultas ac paene dicam plerasque, ſed etiam plurimas praecipuas ac proprias, easque & ſenſus & verborum pondere graviſſimas. In his igitur cognoſcendis, ponderandis, & ad eloquentiae eccleſiaſticae uſum conferendis, velim ſe curioſum praeſtet ſacrarum literarum ſtudioſus, & hoc ſancto & divino cibo alat ingenium ac pectus ad bene & graviter in concione dicendi facultatem, ne neceſſe habeat, cum concionetur, nihil aliud quam particulam Collegii thetici aut moralis, & in eodem argumento ſemper eandem proferre, & templorum amplitudinem in ſcholae anguſtias cogere.

His commemorandis ac demonſtrandis planum me feciſſe arbitror, quam multa bene inſtituta ſint in Criticorum bonorum diſciplina, quae bene ac ſalubriter ad imitationem vocari in tractandis Theologiae, in primisque ſacrarum literarum ſtudiis, poſſint? Haec autem mihi demonſtranda ſumſi in his novae Profeſſionis auſpiciis, ut intelligeretur, qualis diſciplina noſtra futura eſſet in parte ea, quae ad ſacrarum literarum interpretationem pertineret: in qua profecto eſt rei theologicae caput & ſumma, initium & finis. Itaque cum in omni parte diſciplinae bene mihi ſuccedere coepta & inſtituta cupiam, non mea cauſa (neque enim mea cauſa doceo) ſed ſtudioſorum, & Academiae, & Eccleſiae, tum vero maxime in hac id mihi contingere opto. Et magnam ſpem habeo, me nec temere hoc, nec fruſtra optare: non quo dignus ſim tanto beneficio divino: immo vero me & hoc & ceteris omnibus indignum judico, quibus me Deus a pueris ad hanc usque aetatem, ſupra quam mihi in mentem venit optare, cumulavit: ſed me ſacrae literae, quibus credo, docuerunt, Deum non deſerere, ſed benigne adjuvare eos, qui vero & integro animo laborare, & utilitati publicae literarum & Eccleſiae conſulere cupiant; cujus talis animi ſum mihi liquido conſcius. Non ego ullum laborem timeo aut recuſo, ne inimicitias quidem & pericula, & fortunarum jacturam, pro veritate & utilitate publica; prae qua omnia, memet ipſum, veriſſime contemno. Paratus ſum, ore, calamo, depugnare cum hoſtibus veritatis Euangelicae

omnibus, in primis cum dominationis Romanae mancipiis, & disciplinae meae alumnos odio eorum acerrimo implere. Auget spem etiam hoc, quod nutu divino ad hanc disciplinam suscipiendam veni. Et didici usu, bene procedere, quae ita suscipiantur. A puero me destinaram Theologiae: literarum humaniorum studium assumseram, ut adjumentum Theologiae bene discendae ac docendae. Ita eram institutus a patre, Theologo veteris & orthodoxae disciplinae, qui hoc praeceptum se accepisse a praeceptoribus suis, a Calovio, Bebelio, Walthero, & usu verum comperisse, dicebat. Ecce annuit mihi Deus per Stiglitium, aeternum hujus urbis decus, (quo erat mihi etiam nutus ille amabilior) ut literas humaniores docerem. Parui. Factum est vitae genus, quod alius vitae generis adjumentum fore speraram. Optime mihi successit omnibus partibus, quod ita susceperam. Interea nunquam dimisi, quod ante egeram. Scrutatus sum Scripturas. Legi Patres Ecclesiae, in primis Graecos, in hisque maxime, qui vel religionem Christianam defenderent, vel Scripturas interpretarentur, vel historiam Ecclesiae traderent: in quo etiam literis humanioribus plurimum adjuvabar. Mitto alia. Coepi ante duodecim amplius annos proferre ista studia ad utilitatem studiosorum interpretandis libris Apostolorum, etiam hac de causa, ut eos ad amorem literarum humaniorum magis accenderem: scripsi etiam parvos libellos ad eam partem, atque ad controversias pertinentes. Probavi operam, & potitus sum consilio. Nunquam antea cupidiores bonarum literarum studiosos cognovi. Repente autem vocor ad Theologiam docendam. Etsi aetas, locus, & alia dubitationem adferebant, tamen parere decrevi: praesertim cum me etiam tacitus quidam stimulus impelleret. Etenim, ut hoc unum commemorem, senseram, quoties inter sacra publica viderem aliquem ad concionandum prodire, pectus mihi moveri, pulsus cordis incitari, tanquam cupientis in talem locum progredi, nec post tantum intervallum motus ille potuit opprimi & extingui. Itaque etiam, cum primum post viginti amplius annos, ad concionandum processi, tanta alacritate me elatum sensi, tanta cum fiducia dixi,

quod

quod etiam alii ſe ſenſiſſe dicebant, tamquam per totam vitam hoc egiſſem. Quomodo ergo dubitem, bene eventurum, quod agere decrevi, quod nunc in hac Academia agere inſtituo? praeſertim cum mihi liceat confidere, vos etiam, Viri venerandi, quibus aggregor, hujus mei ſtudii & conſilii fautores & adjutores, vel propter veterem amicitiam, vel utilitatis communis cauſa, futuros. Pro qua humanitate & benivolentia ego vos viciſſim, omni ratione colam, nec ulla in re officium meum patiar deſiderari. Brevis eſt & parum ornata promiſſio: ſed agendo curabo, ut luculentiſſima & ornatiſſima reperiatur.

Vos, ceteri Collegae excellentiſſimi, nova promiſſa arbitror non exſpectare. Quae ante vobis ex hoc loco promiſi de meo in vos & Academiam noſtram animo, ea omnia iterum dicta & promiſſa exiſtimate. Nec alius in vos ero, quam ante fui, cariſſimi Commilitones. Immo vero augebo indies ſtudium aſſidue & fideliter docendo vobis conſulendi, & de omnibus veſtris commodis cogitandi. Non modo hoc me putate in vos eſſe animo, ut ſi, quicquid per tam multos annos magno labore didici, poſſem una hora vobis totum tradere, id non modo libentiſſime facerem, ſed ſumma etiam me felicitate potitum putarem. Neque vero unquam recuſabo, praeſertim in hac temporum iniquitate, pro vobis vota facere, deprecari, laborare. Atque hanc rationem mihi maxime conſtitui grati animi demonſtrandi, primum erga Regem ac Dominum noſtrum, patriae patrem optimum, deinde erga poteſtatis ejus in gubernanda Academia adminiſtros illuſtriſſimos atque excellentiſſimos: quod ad ſuperiorem eloquentiae profeſſionem etiam hanc Theologiae & ſacrarum literarum addiderunt. Nam pietatem, fidem, obſequium, & quicquid hujusmodi promitti poteſt, dudum debui, & libenter debui, &, ut bona fide praeſtarem, curavi: nec aliam ſcio gratiam deſiderari, niſi quae munere credito bene & fideliter adminiſtrando cernatur.

Te, Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſupplex veneror atque oro, ut mihi ſervo tuo, etiam in hoc novo munere benignus atque propitius adſis, ut mentem meam Spiritus tui lumine impleas, & in omni-

nibus rebus ad veritatem tuam dirigas. Serva hunc mihi animum, ut in ea quaerenda, ac tuenda nunquam me defatigari ſinam; denique diſciplinam meam eccleſiae, Academiae & juventuti noſtrae ſaluberrimam redde. Noli oblivifci ſervum tuum, nec ego tui, tuae veritatis, tuorumque praeceptorum obliviſcar. Sed multo magis reſpice, Domine ac pater optime, Regem noſtrum & univerſam domum regiam, in hac tanta adflictione ſua. Redde nobis patrem, redde ipſi decus, majeſtatem; gloriam, & fac, ut mox vero & laeto ore dicat: *Deprimendo me, Domine, exaltaſti me.* Reſpice etiam adminiſtros poteſtatis regiae, qui vel vi hoſtili a patria communi diſtracti ſunt, vel praeſentes malis publicis ingemiſcunt. Reſpice patriam noſtram, propter Sanctum Euangelium tuum, quod in his terris primum in lucem e tenebris protractum alias terras lumine ſuo implevit, nec ſine hoſtes veritatis Euangelicae hanc laetitiam capere, ut hanc terram videant vaſtatam ab iis, qui ſe Euangelii defenſores profitentur. *Excita, Domine, potentiam tuam, ut ſalvos facias nos: & revoca diſperſos in terram tuam, in hanc patriam ſuam: ut ſalvos facias nos.* Memento hujus Academiae & urbis totius, quae ei hoſpitium praebet: reſpice miſerias utriusque, & iis celerrime ita medere, ut earum nullum veſtigium triſtius relinquatur. Integritatem ei, veritatem tuam coeleſtem conſerva, & eam ſtudiis ſapientiae & virtutis magis indies effloreſcere jube. Has tu, Pater, preces ita ratas habe, uti tu unus verus Deus es, a quo omnis ſapientia, omne auxilium venit, utique te nobis filius tuus Jeſus Chriſtus morte ſua placavit, & nos tibi gratioſos fecit!

ORA-

ORATIO
DICTA IN CREATIONE
ET
INAUGURATIONE
MAGISTRORUM PHILOSOPHIAE
A. C. CIƆ IƆ CCLIX.

Veterrima eſt opinio philoſophorum, cum ipſa propemodum philoſophia nata, & in clariſſimarum ſcholarum placitis celebrata; res corporeas & ſenſibiles omnes aſſiduo motu agitari, continenterque labi & fluere, nec ullum certum ſtatum tenere: unum Deum eſſe immobilem, unum nullis commutationum vicisſitudinibus jactari & variari, unum ſtatus ſui aeternitate nulla ſeculorum multitudine terminanda potiri: ab hujus porro mente profecta, & ad humanam intelligentiam propagata rerum intelligibilium incorporea ſimulacra in communionem divinae conſtantiae ac perpetuitatis & veluti hereditatem venire, & pariter immortalitatem quandam obtinere. Sed rerum corporearum ac ſenſibilium inconſtantiam imitantur res humanae omnes, opiniones in primis ac mores, & tanto quaeque magis, quanto majorem habent cum corporeis ac ſenſibilibus conjunctionem, per quam vicisſitudinis quodam veluti contagio adficiuntur. Non videmus, quanta ſit eodem tempore morum atque opinionum de rebus bonis, pulcris,

expetendis diverſitas, non modo gentium ac populorum multitudine, ſed etiam prope ſingulorum hominum paucitate variata? Quis autem eſt adeo rerum humanarum imperitus, ut, ſi non legendo cognoverit, at fando audierit, in eadem civitate quam varii mores fuerint, variaeque de rebus omnibus humanis opiniones? quam celeriter boni mores lapſi ſint, quam parva re impulſi ierint praecipites? opiniones autem de rebus laudandis atque expetendis quam inſtabiles fuerint, quam ſaepe, quam repente, in contrarium verſae? Non aëris fluxus tantam ventorum vicisſitudinem, non freti ullius, non Euripi anguſtiae tot tam celeres motus, tantas ac tam varias habent agitationes aquarum, quantas vicisſitudines & quaſi aeſtus habet ratio morum atque opinionum humanarum. Unus annus; annum dico? una ſaepe dies, detrahit rebus decus, pulcritudinem, ſuavitatem, quam iis opinionis vanitas adjunxerat: fit repente contemtibile, deforme, quod honeſtum decorumque viſum erat, & quod ſumma cupiditate, magno ſaepe ſumtu, expetitum erat, id faſtiditur ſubito & repudiatur. Nempe nihil firmum eſt ac certum, non ſua vi nixum; nihil perpetuum ac ſtabile, quod non certae rationis & immutabilis virtutis radicibus haereat. Opiniones autem moresque humani a ſenſibus & cupiditatibus originem ducunt, quorum perenni motu atque agitatione ipſi quoque neceſſario moventur & labefactantur.

Quam vero eſt dolendum, pulcerrimas artes ac doctrinarum diſciplinas, etſi propriam quandam pulcritudinem habent, non a ſenſibus & cupiditatibus commodatam, tamen, quoniam ab hominibus fere tractantur, qui ſenſibus & cupiditatibus, & opinionibus temere ſuſceptis, ducuntur, in ſocietatem iſtius inconſtantiae cogi ac trahi! nec magis in veſtitu, in cibis, in ſupellectili repente ac ſaepe commutari opiniones moresque, quam in ſtudiis artium atque doctrinae. Quam ſaepe pulcerrime fundata philoſophiae, eloquentiae & ceterarum bonarum artium diſciplina ita concuſſa eſt & labefactata repentino aliquo motu, ut ſe vix teneret? quam ſaepe inductis ſtultis opinionibus ita convulſa & dejecta eſt, ut per multos annos reſtitui non poſſet? Neque apud univerſas modo gentes,

tes, ut Graecam olim & Romanam, has vicisſitudines habuit vera & incorrupta artium doctrina: ne in ſingulis quidem urbibus ac ſcholis ſtatum ſuum perpetuo tenere potuerunt. Teſtis eſt haec ipſa noſtra literarum & doctrinarum Univerſitas: in qua nunquam tam bene actum eſt cum bonis literis, & vera atque incorrupta earum diſciplina, ut conſtantem ac certam dignitatem tenuerint. Diu barbaries locum ſapientiae tenuit, infantia eloquentiae, ſtupor doctrinae: ſaepe barbaries & inſcitia loco pulſa redire conata eſt, ſaepe reciperavit prope totas veteres poſſeſſiones: ſaepe dignitas philoſophiae ingenuae, & a barbariae ſordibus purae, eloquentiae, & omnium humaniorum literarum obſcurata latuit, ſaepe ita abjecta jacuit, ſaepe ita agitata eſt, ut vix parvo loco haerere poſſet: ſaepe eloquentia vera, hoc eſt, bene loquens ſapientia pro verbis contemta, ſaepe barbara verba pro ſapientia valuere.

Non arbitror alienum fore ab hujus conventus ſolennitate, ſi de ea re pauca ad vos verba faciam. Sed ne ea oratio aut parum auſpicata & grata, aut nimia longitudine moleſta ſit, ita eam temperabo ac moderabor, ut eloquentiam & artes bene dicendi ſolas complectar, nec modo adverſae fortunae triſtitiam, ſed etiam ſecundae laetitiam auribus mentibusque veſtris proponam, & harum converſionum cauſas indagem, quibus cognoſcendis & nosmet ipſi, qui bonas artes profitemur, earumque ſtudia regimus, ſed multo magis alumni diſciplinae noſtrae, & hi Candidati noſtri, juvenes ornatiſſimi, admoneantur, quid ſibi ſequendum, quid cavendum putent. Quam orationem dum recito, rogo vos, A. A. ut me, ſicut adhuc feciſtis, benigne ac patienter audiatis.

Jam primum ſatis conſtat, initia hujus Academiae incidiſſe in ea tempora, quae tota barbariae tenebris demerſa jacerent: quibus non modo ſacra contaminata eſſent foeda ſuperſtitione, ſed etiam ſapientiae humanae partes omnes verborum barbarorum immenſa mole obrutae atque oppreſſae. Dominabatur, non verus Ariſtoteles, ſed commentitius, aut primum per abhorrentes verſiones miſere deformatus, deinde per multo abſurdiores interpretes atque commentatores di-

diſtortus ac plane depravatus. Nullus hic eloquentiae & artium dicendi honos, cujus vix nomen ad aures accidebat. Praecepta & exempla eloquentiae verae, libris veterum Romanorum prodita, paſſim erant per Germaniam ſparſa: ſed latebant in bibliothecarum monachalium, in turrium tenebris, ubi cum pulvere, ſordibus, carie & blattis pugnabant. Satis conſtat inde extracta poſthaec eſſe, & Poggium Florentinum, cum per Germaniam iter faceret, in turri aliqua reperiſſe laceratas Orationes ſeptem Ciceronis, atque ita perniciei eripuiſſe. Quae cum ita eſſent, non poterant profecto huic Academiae contingere doctores verae eloquentiae. Sed erat tamen illis temporibus inſita animis hominum haec opinio, ut nihil magis in diſciplina publica curandum exiſtimarent, quam ut linguae juvenum, ſtudia aemulantium, acuerentur in dicendo ac diſſerendo. Itaque ut prope quotidianae erant vel privatim, vel in communibus conventibus, exercitationes disputandi, ita omnis occaſio quaerebatur orationum habendarum, & in petitione honorum noſtrorum hoc primum quaerebatur, an quis utroque genere exercitationis eſſet ex publicae diſciplinae legibus uſus: quorum inſtitutorum nunc vix umbra tenuis apparet. Ex quo intelligi poteſt, illis temporibus non tam ſtudium hominibus, quam facultatem diſcendi defuiſſe.

Sed ex tantis tenebris bona repente lux coepit affulgere Academiae, exacto propemodum ſeculo, cum unus & item alter, nullius invitatu, ſed ſua ſponte celebritate urbis allecti, quae jam tum pulcra appellabatur, huc ſe contuliſſet, qui artes dicendi, e veteribus ſcriptoribus hauſtas, communicare cum Lipſienſi juventute vellent, viri admirabili doctrina & facundia, Herm. Büſchius primo, deinde Jo. Rhagius, Aeſticampianus. Quid ergo? quomodo nova horum diſciplina accepta, quo in pretio fuit? Nempe accidit etiam tum, quod ſolet in rebus novis, ut diverſa eſſent inter ſe multumque diſtracta ſtudia hominum & judicia; ſed ita, ut rectius & incorruptius judicarent diſcipuli, quam magiſtri. Etenim ita avide auditi ſunt novi doctores, tanti ad illam novam dicendi ac diſſerendi rationem, quae e Romanis ſcriptoribus traderetur, cognoſcendam, concurſus facti, ut locus ſaepe non caperet

peret multitudinem. Sed deerant exempla librorum, quae enarrarentur. Ecce paratae juvenum manus ad describendum: parata memoria ad partem eam, quam audissent, ediscendam, parati mox librarii, qui typis describerent: estque vix credibile iis, qui non viderunt, quam multi Latini libri illis temporibus hic sint per typographorum formulas vulgati. Quid autem magistri nostri? qui jam illis cernentibus talia sensus? Parum abfuit, quin rumperentur invidia & odio in hos magistros novos, quos nihil nisi verba habere clamabant, cum penes se rerum copia esset. Sed surdas aures pulsabant juvenum, toto impetu ad novae disciplinae elegantiam ruentium. Ergo itum est in bellum, & arma expedita in illos viros omnia, quae arrogantia, invidia, odium posset ministrare? nec prius finis factus, quam illi certaminibus fatigati ac victi ex urbe discederent. Adeo etiam tum, & in illo genere, verum repertum est, quod Cicero demonstrat in Oratore, indoctos, hoc est, expertes artis plerumque verius & rectius de eloquentia judicare, quam doctos. Nam illi fere de sensu pectoris incorrupto judicant, ad quem maxime spectat eloquentia, hi fastum suum, invidiam, etiam quaestum in consilium adhibent, quorum corruptissimum est judicium. Quamquam nescio, an etiam ipsius Buschii & Rhagii quaedam culpa intercesserit. Etenim Buschium reperio ferocioris & turbulentioris ingenii fuisse, certe linguae petulantioris: Rhagium autem in vituperandis sophistis vehementiorem, ut qui ea de causa ante Colonia ejectus esset: quod fuit alienum in ista disciplinae rectae novitate, cujus invidia erat modestia, lenitate & obsequio minuenda. Omnino primi illi, in primis in Italia, instauratores bonarum literarum huic licentiae nimis videntur indulsisse, etiam Erasmus, qui se, fatetur ipse, proniorem ad dicteria, eaque re impedimento potius bonis literis, quam adjumento fuisse. Nunquam bene consulitur bonae causae, neque per convicia, neque per mordacia & ad risum excogitata dicteria. Plus proficias ferendo iniqua judicia, tacite contemnendo indignitates leves & injurias, perpetiendo, & sensum earum occultando. Nam hoc ipsum mordet vehementius quovis vel dicterio, vel maledicto, & tamen paul-

paullatim vel pudorem injicit, vel odium frangit atque coërcet.

Quantos autem triumphos cecinisse putatis sophistas barbaros, victis & abjectis duobus deinceps eloquentiae novae magistris? Non Hannibalem plus victoria ad Trasimenum & ad Cannas gloriatum crediderim. Sed illa laetitia ad irritum recidit. Nam semina doctrinae elegantis & disertae a tot ingeniis accepta, & fota, germinare coeperunt, & messem efferre non parvam. Sed tamen iis justa auctoritas deerat, nec poterant publice convalescere, exclusi ab stipendiis & beneficiis publicis, quae, nimia indulgentia Principum, in potestate sophistarum erant: quidam, in his egregius ille Ge. Heltus, Camerarii praeceptor, ne ausi quidem sunt prae se ferre suum de iis judicium, ne odium incurrerent adversae partis, & rebus suis aliquid incommodi adjungerent. Majori aliqua vi opus erat ad fundanda eloquentiae studia: quae mox iis se praebere coepit. Nam Georgius, Saxoniae dux, Princeps, nisi quod veteri superstitioni, vel sua sponte, vel incitatus ab improbis hominibus, addictior, & causae Euangelii inimicior fuit, profecto admirabilis, adversus bonas quidem literas incredibili studio & favore praeditus: hic ergo Georgius literas & dicendi artes fovere sua auctoritate & liberalitate, & earum studia constituere aggressus, perfecit, ut eae jam caput in hac Academia tuto erigere possent. In quo usus est Petri Mosellani ingenio & doctrina, quem, inscientibus atque invitis sophistis, lauto, ut tum erant tempora, stipendio conduxit, ut bonas artes, in primisque Graecas literas doceret, in quo ipso magnum eloquentiae studiis adjumentum est adjunctum. Atque ille non minus erat invisus magistris nostris, quam Buschius & Rhagius: sed cum mitioris esset ingenii, & auctoritate atque favore Principis sustentaretur, qui pro gravitate & severitate sua coërcebat acerrimis edictis invidos & malevolos, etiam coram in arce Plissica objurgabat, facile vicit adversarios, & cum magna dignitate in maximo juvenum conventu docuit, gratiosus apud Principem, & carus omnibus, a quibus audiretur. Nam nobilissimi juvenes ad eum audiendum in primis ventitabant, in his duo maximi postea viri, Julius Pflugius

&

& Chriſtoph. Carolovicius, quorum ille Moſellanum etiam monumento in aede S. Nicolai poſito decoravit, quod nunc quoque extat, alter tantam bene dicendi facultatem adeptus eſt, ut merito ſuo, quemadmodum inter prudentiſſimos illius aetatis, ſic inter doctiſſimos numeraretur. In quo intelligi poteſt, primum, quanta ſit vis ad recta ſtudia commendanda & ſtabilienda in favore & auctoritate Principis prudentis & gravis, & quam ſit optabile, ut Principes ipſi hanc curam ſuſcipiant potius, quam aliis permittant: deinde quam praeclara tum indoles fuerit juventutis Academicae, etiam generoſioris, quae tanta cupiditate amplecteretur illa eloquentiae ſtudia. Etenim memoriae proditum eſt, illum Moſellanum fuiſſe non modo tam parva ſtatura, ut iis, qui non noſſent, contemtum afferret adſpectu, voce autem tam tenui, ut parum jucunda eſſet audientibus. Et tamen eum amabant juvenes vehementer, & audiebant ſummo ſtudio. Videbant enim rerum potius, quas traderet, dignitatem & pulcritudinem, neque tam, quem, quam quid audirent, cogitabant.

Sed ne ſic quidem conſtituta ſatis eloquentiae ſtudia fuiſſent, niſi poſt in hanc Academiam, commendante Philippo Melanthone, & juvantibus Bornero, Fachſio & Camiciano, qui novum Academiae patrimonium ab Mauritio acceptum curabant, ab immortalis memoriae Principe, Mauritio, vocatus fuiſſet Joachimus Camerarius. Hic enim vir eſt, cujus ingenio, doctrina, labore ita effloruere ſtudia bene dicendi, ut jam Lipſia principatum in eo genere dubium redderet Vitembergae vicinae, ut Saxonia jam eſſet prima ſedes ut purae religionis, ita omnis ſapientiae, doctrinae & verae eloquentiae, unde aliae ſcholae atque Academiae peterent doctores bonarum artium & eloquentiae, ſeque felices praedicarent, ſi diſciplinae vel Philippicae vel Camerarianae alumnum nanciſci poſſent. Haec, haec fuit patriae noſtrae atque huic Academiae vere aurea aetas, haec feliciſſima, ut ceteris, ita dicendi artibus tempora.

Sed quam miſere hoc comparatum eſt, quod feliciſſima quaeque in rebus humanis fere ſunt breviſſima. Etenim vivo adhuc Camerario, & vidente, & per mul-

multas occaſiones fruſtra querente, ac gemente, facta tanta rerum converſio, ut haec recta bene dicendi ſtudia vileſcerent, & in contemtum atque etiam odium venirent: ut ille magnus Camerarius, cujus ſchola olim tanto juvenum concurſu celebrata fuiſſet, qui gratia apud Principes paene omnes, auctoritate ac dignitate apud exteras nationes, & ubicunque honos aliquis literis eſſet, maxime floreret, ut ille, inquam, paullatim vileſceret, & ad extremum non modo prope ſolus relinqueretur in ſchola, ſed etiam ob illa ipſa ſtudia oneraretur invidia: quod profecto etiam Philippo Vitembergae accidiſſet, niſi in tempore ſubtractus rebus humanis fuiſſet. Cujus mali cauſa fuit non modo in ingenii humani inconſtantia, cui nunquam optima ſtudia diu placuere, ſed etiam in infauſtis certaminibus, quae in his terris de religione nata ſunt: per quae, dum medius eſſe Camerarius vult, dum mitiora ſuadet, & concordiam, in invidiam & odium incurrit, cujus proferendi occaſio forte diu quaeſita erat ab his, qui ſplendorem nominis ejus ferre non poſſent, & ſe ubique primos eſſe vellent. Quae res magno argumento eſſe poteſt, quam parum aptae ſint his humanitatis & eloquentiae ſtudiis concertationes omnes, in primis de religione, quam adverſae potius atque inimicae. Atque ut facilius e ſummo gradu ad imum dejicitur aliquid, quam dejectum reſtituitur in priſtinum locum: ita tum labefactata & praecipitata ſtudia iſta nunquam potuerunt ad illum priſtinum gradum rurſus eniti: nec quisquam poſtea extitit, qui ad illorum duumvirum vel gloriam, vel in docendo felicitatem poſſet accedere. Rediit rurſus magna pars priſtinae barbariae, ſcholaſticae tenebrae rurſus ſapientiae ſtudiis offuſae, doctores eloquentiae & humaniorum literarum ſatis beati viſi, ſi a paucis expeterentur, cum omnia alia potiora his ſtudiis viderentur.

Neque tamen plane extincta ſunt haec ſtudia. Quamquam pauci ſemper, tamen fuerunt, qui, niſi apud ſuos, tamen apud exteros clari eſſent: & manſit opinio, hanc eſſe urbem, ubi fortunam facere poſſent, qui in iſtis literis egregie profeciſſent. In quo profecto plurimum valuit ſenatus urbani prudentia, qui etiam primis illis temporibus ſemper fovit humanitatis docto-

tores, eoque nomine eorum literis praedicabatur, quem non modo ipſum, ſi recordari voletis, ſemper habuiſſe reperietis, atque etiamnum habere Senatores, qui in hoc genere doctrinae excellerent, & gloriae eſſent urbi & Academiae literarum cauſa, eamque enixiſſime juvarent, ſed qui etiam curavit, ut in ſacerdotum urbanorum Collegio, in Scholis ſuis haberet, qui iſtis artibus bene ornati & clari eſſent, easque docendo, ſcribendoque tuerentur: ut ei profecto & hoc & aliis nominibus plurimum ſe debere Academia, ſi grata eſſe velit, fateri neceſſe habeat.

Nunc ſunt ea tempora, quibus vel maxime convaleſcere atque effloreſcere haec ſtudia poſſe videantur. Habemus principem optimum, mitiſſimum, indulgentiſſimum, & omnium bonarum & pulcrarum rerum & intelligentiſſimum & amantiſſimum: principem juventutis autem & paterni principatus heredem, qui ſtudia doctrinae, in primis elegantioris, & artes bene diſſerendi & dicendi vehementer amet, & omni ratione fovere paratus ſit: Miniſtros porro poteſtatis principalis & antiſtites Academiae noſtrae, intelligentiſſimos amantiſſimosque omnis elegantis doctrinae: In hac ipſa urbe & Academia ab omnibus ordinibus impenſe favetur ſtudiis humanitatis & dicendi artibus, & ſi qui ſunt, qui malo ſint in eas animo, vix hiscere contra audent, ſi audeant, contemnuntur, & judiciis omnium, qui non plane deſipiunt, reprehenduntur: ipſa juventus noſtra non eſt aliena ab his ſtudiis, ſed ea ſectatur ſtudioſius & acrius, quam in ulla alia Academia. His tot ac tantis opportunitatibus, non eſt committendum nobis, qui ſtudiis doctrinae praeſumus, ut ipſi deeſſe videamur. Utendum eſt felici facultate, urgenda occaſio, & agenda omnia, ut laetius indies efflorescant haec pulcra, haec etiam ſalutaria verae religioni & ſapientiae ſtudia, quibuscum olim veritas doctrinae divinae & puritas e tenebris ſuperſtitionis & barbariae protracta & in plena luce collocata eſt, quibus vel oppugnandis vel contemnendis ac negligendis periculum creatur veritati religionis, & via munitur redire cupienti ſuperſtitioni, errori, & dominationi Romanae. In quo paullo poſt veſtrae etiam quaedam partes erunt, Candidati humaniſſimi, cum Doctores bonarum artium, eritis

creati: veſtrum quoque erit commendare haec ſtudia & juvare docendo ac ſcribendo, quae antea amaſtis & coluiſtis, non adjungere vos iis, qui propter ſuperbiam contemnunt ea, quae vel propter ignaviam, vel propter ingenii humilitatem, abhorrentem a talium ſtudiorum elegantia, non didicerunt. Atque ejus rei ſpem nobis injeciſtis non levem, nec, ut opinor, fallacem vita anteacta, & in examinibus, per quae ſtudiorum veſtrorum ratio nobis explorata eſt. Ea ſpes ne nos, ne hos omnes, quibuscum eam nunc communicamus, fallat, etiam atque etiam cavebitis. Atque hac fretus ſpe, e decreto Ordinis noſtri, Ego Jo. A. E. Procancellarius creandis philoſophiae & bonarum artium Magiſtris, vobis [*hic nomina eorum recitata ſunt*] hanc licentiam do, atque tribuo, ut ſummos philoſophiae honores capeſſere atque adire poſſitis: in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti.

Salvete vero, Licentiati philoſophiae, & bonarum artium doctiſſimi, amici optimi, & iterum ſalvete, nacti, quod petiſtis, h. e. poteſtatem capeſſendi gradum doctoris, rem profecto majorem, quam pro aeſtimatione vulgi, & ſuaviorem, quam illiberales animi ſentire poſſint. Quid enim eſt docere alios, niſi ingeniis animisque hominum praeeſſe & quaſi imperare: & imperare non per vim & metum, res alieniſſimas ab humano ingenio & libertate, qua nihil hominibus datum eſt dignius excellentia naturae ſuae, ſed ratione explicanda, & conſilio impertiendo, cui parere & dignum libertate, & ipſa libertas eſt. Quod ſi omne imperium pulcrum eſt, nec quicquam majus expetunt homines; quam praeclarum putatis, imperare ingeniis, ea regere praecipiendo, & ad humanitatem fingere docendo? Nec ejus imperii vis modo pertinet ad eos, quos docemus, ſed etiam ad poſt futuros: ad quos diſciplinae noſtrae vis propagatur per eos, qui a nobis doctrinae cultum accepere. Quid porro poteſt eſſe praeclarius ac pulcrius rebus iis, in quibus tradendis verſari debet doctrina veſtra? Quid enim majus eſt humana ſapientia, illa omnium rerum humanarum veriſſima ac digniſſima domina? Quid admirabilius eloquentia, quae ſapienter dicendo teneat flectatque mentes humanas, quo velit, & reflectat,

unde

unde velit? quid uberius hiſtoria, quae prudentia largienda conſulit vitae humanae, & rei publicae? quid ſuavius poëtica & omnibus aliis liberalibus diſciplinis, in quibus eſt veriſſimus humanitatis cibus? Enimvero harum tot ac tantarum rerum omnium doctrina vobis traditur ac creditur: harum omnium Doctores mox creabimini. Quod ſi nondum experti neſcitis, quanta in docendo inſit ſuavitas, credite nobis, per multos annos prope quotidie expertis. Nam & ipſa cogitatio rerum earum, quas tradimus diſcentibus, jucunda eſt, & illud ipſum docere habet aliquam naturalem commendationem. Non videmus in pueris, in quibus optime perſpicitur incorrupta vis naturae, quam ſint cupidi ea aliis tradendi, quae audiverunt, viderunt, didicerunt? quod multo magis eſt in adultis, & tanto in quoque magis, quanto magis ſapere, quanto doctior ſibi videatur. Ac mihi videtur hoc natura ſapienter eſſe machinata, ut quae res plurimas maximasque utilitates afferret generi humano, ad eam ſuſcipiendam homines alliceret, & moleſtiam laboris, quae & in comparanda doctrina ſapientiae, & in tradenda capitur, illius cupiditatis dulcedine leniret. Hujus igitur tam praeclarae, tam jucundae rei facultatem cum nacti eritis, non magnam acceſſionem factam ad felicitatem veſtram putabitis? Ego quidem fateor, me malle hanc quamquam laborioſam docendi per multas quotidie horas provinciam, quam otium ejusmodi, in quo mihi ab omni laboris moleſtia ſejuncto paratiſſimis voluptatibus aſſidue veſci liceret.

Sed illa naturalis docendi dulcedo, quae eſt ita in quoque maxima, ut ipſe eſt liberalis maxime, ſicut extinguitur ſaepe vitio hominum, ita alitur atque acuitur prudentia. Nam ei profecto nullo modo poteſt eſſe jucunda docendi provincia, qui ipſe parum didicit, quod aliis tradere velit, quem non juſtae doctrinae conſcientia, & amor juventutis, ſed lucri cupido ad eam expetendam ſuſcipiendamque adduxit, qui vel reprehenſionem inſcitiae ſuae timere, & omnia ſuſpecta habere cogitur, vel ad ſingulas horas circa libros trepidare & commentarios, ut ante ſubito diſcat, quam ad alios erudiendos deſcendat. Sed nulla major

eſt in docendo & efficacior ad ſuavitatem commendatio, quam ab doctrina prompta & parata: quae ita eſt in poteſtate doctoris, ut ex ea, quid & quantum velit, aut opus ſit, quolibet loco ac tempore proferre & aliis tradere poſſit. Ea autem non eſt res repentina, nec ſine labore ac veluti per luſum paratur. Immo eſt, ut in utendo facillima & expeditiſſima, ita in comparando laborioſiſſima, praeſertim ſi verſetur in iis rebus, quae ſint numero prope infinitae, genere autem ita vel variae vel parvae ac minutae, ut eas vix unius hominis ingenium capere, nedum ſatis percurſas & notatas habere poſſe videatur. Sed omnes difficultates vincit, non ita longo tempore, exercitationis aſſiduitas & conſtantia; cujus in omnibus rebus tanta vis eſt, ut ipſam rerum animorumque humanorum naturam mutare, ut omnia efficere, omnia expugnare poſſit. Hanc, hanc igitur in ſubſidium vobis vocandam exiſtimate, L. D. hanc vobis ut fidam adjungite ſociam, per quam vobis non modo Doctoris nomen honeſtius, verum etiam munus docendi jucundius fiat. Atque ego non ignoro, hanc eſſe maculam ac labem temporum noſtrorum, quod pauci ſevera lege proficere velint, per omnia amoena omnes ire ad doctrinam eamque audiendo modo, ad ſummum legendo, conſequi: in quo plerumque mera voluptas ſpectatur, a pulcritudine, a varietate rerum, quibus cognoſcendis tempus ſuaviter falli cupimus. Vos autem L. C. non ſic a nobis inſtituti eſtis, non ita vos praebuiſtis, non ita ſpectati eſtis, ut ea vos quoque labe contaminatos exiſtimare cogamur. Quod ſi qua ejus contagio vos in ſuperioris aetatis infirmitate attigit, exigendum eſt ex animo atque e tota vita penitus, quicquid ab ea traxiſtis, & tota vita ab omni alia re ad ſtudium & exercitationes doctrinarum optimarum legendo, cogitando, commentando, docendo ac ſcribendo transferenda. Quod facite, quaeſo, cariſſima capita, & cum Doctoris & Magiſtri nomine & honoribus capeſſite hunc animum, unum dignum iſto nomine & gradu, ut in ſtudio doctrinae vel augendae & exaggerandae, vel etiam bene dictis & ſcriptis proferendae, nullis vos neque otii & voluptatis delinimentis avocari, neque laboris moleſtia retar-

tardari ſinatis. Atque, videte, quo me provehat, & inſitus omnis honeſtae doctrinae amor, & integerrima in vos benivolentia, vos tales fore, tales vos praeſtituros, quales deſcripſi, huic tali Conventui promitto, atque hoc etiam vinculo vos adſtringo, quod vobis non tam mea, quamquam hoc quoque, quam veſtra ipſorum cauſa debet eſſe ſanctiſſimum. Te vero, doctiſſime Weiſſi, te nominatim appello. Venit enim mihi in mentem patris tui, amici quondam noſtri, verſaturque ob oculos imago ejus, jubentis me, cum ipſe non poſſit, in hunc animum te omni ratione impellere. Hic vir fuit, qui ſeveriſſimi parentis ſub diſciplina adultus, praeter modum laborioſus in omni genere reperiretur; ad extremum ſub illa mole laborum ſuccumberet, cum mallet brevem vitam, ſed cum utilitate Eccleſiae & Academiae laborioſam, quam cum otio inutili longam. Hujus tu nominis & laudis unus heres, mox, cum te huc aſcendere juſſero, ſtabis in ipſis ejus veſtigiis. Quae cum calcabis, fac animum dignum tali patre capias, immo fac ut poſthaec oſtendas: & oſtendes profecto, niſi omnia me fallunt, quibus ingenia juvenilia judicamus. Sed ne benigne magis quam vere de vobis promiſiſſe videar in poſterum, agite ſpecimina jam legitima edite, quibus fides dictis meis concilietur.

Ita ergo commendati, admoniti, atque etiam ſpectati, adſcendite e loco eo, ubi audiſtis ac didiciſtis, in hunc ſuperiorem, unde dicatis poſtea, diſſeratis ac doceatis.

Salvete primum in hac conſtituti cathedra: & mementote, ſedem hanc non eſſe otii & ignaviae, ſed induſtriae & laboris: in qua qui ſedeant, vel ſint, vel eſſe debeant magis exerciti laboribus, quam qui in ſtudiorum curriculo decurrant; quae ſit eadem ſedes doctrinae & ſapientiae, quae ſe hic conſpicuam fieri velit docendo ac diſſerendo; quae nunc vos ornet, poſthaec a vobis velit ornari. Accipite vero jam Inſignia, quibus cum ornati eritis, doctores vos rite appellem.

Primum capitibus addo Inſigne Pilei, qui vos donatos oſtendat libertate, per quam liberi ſitis ab exercitationibus ſcholaſticis, quibus diſcentes contineri

 ſo-

ſolent: ſed qui idem vos admoneat, immunes jam vos eſſe debere ab omnibus, quae libertatem talem dedecorent, operamque dare, ut libertatem hanc vobis merito tributam factis oſtendatis. Mercurii inſigne pileus eſt, interpretis Deorum, cui linguis ſacra ſiunt, quia facundiae Deus eſt. Facite, ut veri Dei, (nam iſti ſunt commentitii & nugatorii) ut veri Dei, itemque ſapientiae omnis interpretes, ſed diſertos & facundos vos probetis.

Habete porro dextris annuli aurei inſigne: in quo facite vobis in mentem veniat illius Demoſthenici annuli, quem ille τὸ πιστὸν τῆς ἐλευθερίας vocabat, pignus libertatis, quo ſe eripere poſſet ſervitutis periculo: ſed multo magis illorum Cyri apud Xenophontem militum, qui ſe pignus libertatis non modo in manibus, i. e. gladium, ſed multo magis in animis geſtare dicebant, h. e. fortitudinem. Ut ſine hac fruſtra militi gladius in manibus eſt, ſic fruſtra inſigne illud libertatis in digitis geſtabitis, niſi animis inſit fortitudo iſta, quae ſapere audeat, & eripere ſe tyrannidi erroris, praejudicatae opinionis, voluptatis, ſuperbiae, & omnium cupiditatum.

Sed hujus fortitudinis liberae auctores, cohortatoresque prudentes, & adjutores fidos habebitis multos, ſi modo conſulere atque audire voletis. Hi ſunt viri docti & ſapientes, qui per libros ſuos vobiscum colloqui, quoties voletis, non recuſabunt.

Itaque vobis aperio librum. Bene habet. Ariſtoteles eſt. O! quam bonus vel auctor libertatis hujus perſequendae vel adjutor tuendae ac retinendae. Hic eſt, quem vos vel maxime audire velim, philoſophiae & ſapientiae doctor, ſed idem bene dicendi magiſter optimus, tanto melior magiſter intelligendi, quanto melior dicendi, & tanto melior dicendi, quanto melior intelligendi. Hic eſt, qui optime admoneat & praeceptis & exemplo ſuo, ne vos ita in ſervitutem cujusquam dedatis, ut ab ejus dictis latum unguem diſcedere non audeatis, cum ipſe non veritus eſſet a Platonis, philoſophi ſummi, quem magiſtrum habuiſſet, auctoritate diſcedere: ſed ut honeſta & ſalutari libertate utamini in judicando, ut nihil probetis, niſi quod ipſi diligenter expendendo verum judicaritis.

At-

Atque hoc vos etiam admonebit liber clausus: cujus haec vis est, ut intelligatis, aliam jam esse conditionem vestram, posteaquam hac, quam dixi, libertate donati estis. Non jam vobis adhaerendum esse libris Commentariorum scholasticorum, e quibus elementa doctrinae hausistis, ut sciretis, quid de quoque capite doctrinae philosophi & magistri artium statuerent, sed ut ipsi omnia expendatis, & quid verum falsumque sit, statuatis: modeste tamen & verecunde, ac sine arrogantia: quae est una vera & digna docto homine libertas.

Atque ita dictis & peractis omnibus, quae dicere, quaeque facere mos est rite inaugurandis creandisque philosophiae & bonarum artium Doctoribus, quod F. F. F. sit communi patriae, huic illustri Academiae, & ordini nostro, Ego Jo. Augustus Ernesti, philosophiae & bonarum artium Magister atque Doctor in hoc ipso loco rite creatus, hoc tempore autem Facultatis Philosophicae & bonarum artium Professor atque Decanus, primum Carolum Fr. Hofmannum &c. Magistros Philosophiae & bonarum artium ante creatos, in hoc ei rei solemni loco renuncio: deinde te, Christianum Samuel. Weissium &c. Philosophiae & bonarum artium Magistros atque Doctores facio, creo, creatosque renuncio, hac lege atque conditione, ut quibuscunque uti, frui, quaeque facere jus & potestas est in hac Academia & in hoc loco rite creatis & renunciatis, ea omnia facere, iisque omnibus uti fruique vobis jus & potestas sit: in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti, a quo, per quem & in quo sunt omnia, cui uni vero Deo sit laus, honor, & gloria in omnia secula. Amen.

Reliquum est, ut huic cerimoniae gratiarum actione finis imponatur: cujus carmen ex Te — fac ut audiamus.

O R A T I O

DE

STUDIIS PHILOSOPHIAE DISCENDAE DOCENDAEQUE REGENDIS

DICTA IN

PANEGYRI MAGISTRORUM PHILOSOPHIAE CREANDORUM PROCANCELLARII

NOMINE

A. C. MDCCLXI.

Cum majoribus noſtris placuiſſet, in honoribus philoſophiae & bonarum artium tribuendis, dignum tali re ornatum adhiberi; ita rem totam ſapienter inſtituerunt, ut majorem utilitatis communis, quam vanitatis rationem habendam putarent. Itaque totam prope cerimoniam orationibus compleverunt eorum, per quos doctores publici honores tales tribuendos cenſuiſſent. Etenim primum exiſtimabant, nihil eſſe neque ad honores ipſos, neque ad eos, quibus tribuerentur, ornandos pulcrius aut uberius oratione diſerti viri, quae vere & bene laudaret ingenia juvenum, honoribus condecorandorum. Neque enim aut certius, dignius, jucundius denique decus poteſt contingere homini liberaliter inſtituto atque erudito, quam profecta ab intelligente judice laudatio, aut honoribus major & certior commendatio,

tio, quam a dignitate & laudibus eorum, ad quos ornandos honores conferuntur. Sed ita quemque ſperabant oratione laudaturum ſuos, ut eadem incitare acrius ad ſtudium doctrinae, & ſtudium ipſum dirigere ad certam & veram normam tentaret: quo nihil eſſe ſciebant huic aetati magis vel neceſſarium vel ſalutare. Id cum fieri non poſſit, niſi vel de parte aliqua doctrinae, vel de doctrina univerſa, vel denique de ſtudiis doctrinarum ipſis diſcendo docendoque regendis, dicatur: exiſtimo, me facturum, quod conſilio & inſtitutis majorum conſentiat, ſi mihi hoc tempore & in hac parte cerimoniae, quam ad me delatam recepi, argumentum orationis ſumam hujusmodi, in quo detur quaedam opportunitas dicendi, quae habeant admonitionem utilem vel diſcentibus, vel novis mox ſapientiae doctoribus, quibus, quidquid eſt hujus actionis noſtrae, comparavimus. Romanorum hoc inſtitutum fuit, ut adoleſcentes ingenui, tirocinium cum toga praetexta poſituri, a parentibus, cognatis & amicis parentum, deducerentur in forum, in toga autem virili reducti una cum iisdem coenarent, hi denique & inter deducendum reducendumque, & per coenam omnem nullos alios ſermones, niſi de vita bene inſtituenda, & laude per virtutem & res patriae utiles gerendas expetenda, facerent, quibus aures adoleſcentum animique imbuti incitarentur ad viam virtutis alacri animo ingrediendam & conſtanter perſequendam. Ea res ſi plurimum profuit Romanae juventuti, ut auctor eſt Polybius, & ad implendos animos verae laudis ſtudio, & ad vitam prudenter agendam: dubitemusne, orationem, quam inſtitui hoc tempore habere de ſtudiis doctrinae, profuturam his noſtris juvenibus, quos in diſcendi docendique velut confinio conſtitutos videtis, & tirociniis doctrinae liberalis poſitis ad ea, quae bene didicerunt, aliis tradenda mox tranſituros. Dicam igitur de ſtudiis philoſophiae diſcendae docendaeque bene prudenterque h. e. ita regendis ac moderandis, ut ad veram, elegantem & modeſtam, quae ſola publice privatimque utilis eſſe poteſt, ſapientiam aditus detur. Hanc orationem, uti benignitate & facilitate ea, quam mihi ſemper ex hoc loco dicenti praeſtitiſtis, R. A. M.

&c. audiatis, vehementer etiam atque etiam rogo. Non eſt ea vobis comparata aut deſtinata, Doctores ſapientiae conſultiſſimi: non vos aut docere aut monere in animo habeo. Ipſi abundatis ſapientiae praeceptis atque inſtitutis, nec cujusquam, aut meis praeceptis atque conſiliis vobis opus eſt. Et nobis nullius niſi juvenilis aetatis erudiendae praeceptis, & conſiliis regendae provincia mandata eſt: cui, ſatis habemus, ſi utcunque ſatisfacere poſſumus. Ad ſolam juventutem omnis dirigetur oratio: huic prodeſſe, huic conſulere, ſi poſſumus, ut omnibus in rebus & inſtitutis noſtris, ita & hac diſputatione cupimus: hanc a nobis animadverſa diſcendi docendique vitia quaedam ut caveant, virtutes expetant, hortabimur. Et hoc aequius feretis, me ſolam ſpectare juventutem noſtram, cui ſoli, quicquid eſt hujus cerimoniae, quicquid hic agimus, comparatum ſcitis.

Triginta amplius anni ſunt, ex quo vivere in Academiis coepi & inter ſtudia doctrinae: idque tempus omne vel diſcendo vel docendo conſumſi. Per hoc tantum temporis ſpatium ſemper memini hac felicitate in his locis uſam eſſe philoſophiam, ut ea nemo carere poſſe putaretur, qui in ullo genere doctrinae altioris recte cuperet feliciterque verſari: hac acui ingenia ad videndum judicandumque verum, hac linguam etiam, ad rem quamque recte atque ordine diſſerendo explicandam: hanc rerum praeſidia in aliis diſciplinis plurimum profutura ſuppeditare: hac qui bene inſtitutus ſit, ea omnia in ceteris bene procedere. Itaque ſemper philoſophorum ſcholas maxime vidi frequentari: hic ſapientiam denſa humeris bibit aure turba. Haec omnia philoſophiae recte tribui judicio hominum, hanc ei felicitatem ſummo jure ac merito ipſius contingere, omninoque dignam eſſe philoſophiam, quae omnium ingeniis ac pectoribus avidiſſime combibatur, & fateor, & ſcio. Ipſe ſemper & inde ab initio ſtudiorum Academicorum cum magna voluptate philoſophiam, veteribus & recentioribus philoſophiae auctoribus ac principibus cognoſcendis, tractavi, & me etiamnum memoria illius ſitientis aviditatis delectat, qua ad ejus praecepta ab praeceptoris, qui mihi primus Vitebergae contigerat, ore hau-

rienda ac prope rapienda acceſſi. In hoc ergo tanto omnium ad philoſophos concurſu, & ipſius philoſophiae admiratione tanta, quis dubitet, hanc aetatem noſtram non minus felicem eſſe copia non modo bonorum philoſophorum, ſed etiam egregiorum in omnibus altioris doctrinae generibus virorum, ut ad quae homines tam bene praeparati, ſubacti & inſtructi philoſophiae artibus ac praeceptis, venerint? quis non proventum bonorum doctorum & ſcriptorum huic tantae ſegeti parem ac dignum ſperet? Atque ego pervelim ita eſſe, & omnia praeclaris ſcriptis ac doctoribus redundare. Nec nego ita eſſe: nam nec mihi hoc ſumo, ut de ea re in alterutram partem judicem, nec eſt iſtud meum judicium, qui non nimis multos de recentioribus libros legi, & de diſcipulis meis eorumque profectu, potius judicare, quam de viris & doctoribus didici. Sed me in ea re conturbarunt ſaepe, & nunc quoque conturbant voces multae multorum, conquerentium de paucitate ac prope inopia talium virorum ac ſcriptorum. Nec eae querelae in occulto ſunt, aut mihi ſoli auditae: quibus ſi quis forte rem in majus augeri dicat triſtitia quorundam & moroſitate, temporum felicitati invidentium, magnum adverſarium habeat conſpirantem in ea re conſenſum omnium, qui de talibus rebus vel judicare debent, vel judicare poſſunt. Adite quaeſo eos, quibus datum eſt ſub examen vocare ingenia & doctrinam eorum, qui ad capeſſendam aliquam rei publicae vel ſacrae vel civilis partem accedere volunt, & quam ſaepe iis contingat aliquem reperire, qui ita poſſit caput aliquod doctrinae via & ratione, perſpicue & ſubtiliter explicare, ut diſciplinae philoſophicae ars appareat. Quid? quam raro reperire licet vel in Eccleſia ſacra facientem, vel ex alio genere, quod ſe in doctis haberi vult, qui ſe multum a philoſophia, ad quam in Academia unum & alterum annum cucurrerat, adjutum dicat, quin ſe eam dudum penitus abjeciſſe & oblitum fateatur: quod me ſaepenumero memini audire. Scio etiam, ſaepe praeclare doctos homines eſſe conqueſtos, quod juvenes ſaepe modeſtiae parum tribuerent in judicando, cum de graviſſimis & ſubtiliſſimis capitibus, & ab omni aevo controverſis, tan-

tanquam de facillimis & ſibi penitus perſpectis pronunciarent & alia ſentientes & diverſa a ſe, h. e. a magiſtro, ſine miſericordia damnarent. Poſſum alia his ſimilia commemorare, quibus intelligatur, quae de philoſophiae fructu praedicentur hodie, plerumque in verbis eſſe, rem ipſam non apparere. Sed nolo longus in his eſſe, ne philoſophiae detrahere velle videar, quod profecto eſt a conſilio ac ſenſu meo alieniſſimum.

Neque vero iſta philoſophiae culpa eſt, quae profecto recte & fideliter percepta ſemper haud dubie frugifera eſt maxime: nec in ea re docentium vitium tenetur, qui fidem & dexteritatem in docendo, profectum diſcentium praeſtare non poſſunt: qui ſi eſſet in docentium poteſtate, quis iis viveret hominum beatior? In quo ergo reſidet vitium, quo ſtudii pulcerrimi fructus intercipitur? Ubi eſt cauſa mali? Nempe, ut mihi penitus, nec, ut opinor, temere habeo perſuaſum, primum omnium in perverſo diſcendae philoſophiae modo: qui ita late vagatur, ut nullo modo poſſit philoſophiae quaſi ſatus illam bonam frugem edere, cujus ſemina feliciſſima ſpargere in mentibus hominum ſolet.

Atque ego non commemorabo hoc, quod multi tam parum praeparati ad philoſophiam accedunt, h. e. ſine ſcientia idonea literarum Graecarum & Latinarum, quod profecto ad philoſophiam percipiendam vehementer obeſt, niſi omnes omnium ſuperiorum ſeculorum viri clariſſimi philoſophiae ſcientia, turpiter falſi ſunt, & niſi potius novi quidam ſapientes audiendi ſunt, qui tanto quemque aptiorem ſtudiis philoſophiae putant, quanto eſt iſtis literis rudior. Neque vero hoc ſpectat eo, ut ipſa verba Graeca & Latina ſono ſuo & literis proſint ad ingenia philoſophiae praeparanda: ſed res eae, quae iſtis literis cognoſcendis per ſcriptorum veterum lectionem diſcuntur, & iſta exercitatio in rebus grammaticis, & in ſcribendo ad praecepta certa, habet lenem & utilem agitationem ingeniorum puerilium, per quam excitantur, & roborantur, ut quandam virium maturitatem nacta, ferre graviorem philoſophiae diſciplinam, & quaſi concoquere ſolidiorem hunc cibum poſſint. Illud autem profecto permagnum

magnum eſt juvenilis aetatis in diſcendo vitium, quod in cognoſcendis rebus non contenta intellexiſſe philoſophi cujusque, de rebus praeſertim ſubtilibus & difficilibus, ſententias, ſtatim etiam judicare audet, quid verum falſumve ſit. Nam ita fit, ut propter imbecillitatem judicii pro vero ac certo arripiat, quicquid primum audiit, atque ita ad quemcunque magiſtrum eſt tanquam a vento aliquo delata, ad eum velut ad ſcopulum adhaereſcat. Atque etiam multi ſunt, qui etiamſi non omnino rudes literarum humaniorum acceſſere ad philoſophiam, tamen ſibi jam non opus eſſe amplius earum ſtudio exiſtiment, immo eas jam longe infra ſe & ſtudiorum novorum altitudinem putent, nec earum ſtudium ſibi ſemper cum philoſophia copulandum ducant. Ita fit, ut, etiamſi res bonas utcunque perceperint, tamen eas perſpicue, diſtincte & accurate explicare atque ediſſerere non poſſint. Quae res etiam hoc incommodi adfert, quod fiunt ad exercitationes ſcribendi ac diſputandi tardiores, quibus ſolis res bene perceptae ita rediguntur in poteſtatem, ut ſemper ſint in promptu, poſſintque, ubi uſus venerit, expedite & eleganter una continuatione explicari. Omnium autem maximum vitium eſt hoc, quod totum fere philoſophiae ſtudium unius aut alterius anni anguſtiis concludunt, & ubi illum ſuum, quem vocant, curſum ſemel, aut ad ſummum bis decucurrerunt, philoſophiam jam ſatis perceptam, ſeque plane philoſophos putant: quo fit, ut paucis annis poſt tota illa ſapientia obſcuretur, ad oblivionem redeat, & pro vetere & inutili ſupellectili contemnatur, etiam, quod ſaepe audivi, rideatur. In tanta igitur, tam manifeſta diſcendae tractandaeque philoſophiae perverſitate, mirandumne videtur, ſi multis omnes illae bonae horae male pereunt, nec quicquam verae & duraturae utilitatis a philoſophiae ſtudio capitur?

Quid ergo? His tot ac tantis malis quomodo medebimur? Nempe aliis & melioribus regulis dirigendo ac moderando ſtudio philoſophiae, hoc eſt, iis, quae & rectius percipiendae, & firmius retinendae, & pertinacius exercendae, & ad uſum futurae vitae ſalubrius conferendae hujus diſciplinae rationem de-

demonstrent. Oportet igitur, si quis bene & feliciter tractare haec studia velit, ante omnia sibi penitus persuasum habere, non esse leve onus philosophiae verae, non juvenilium humerorum, sed quod non nisi virili robore ingenii sustineri queat. Profecto, si quis putat, juvenem uno & item altero anno, semel aut bis audienda compendii alicujus interpretatione, philosophiam recte aut satis posse discere, ut se jam philosophum ferre possit, is non minus pueriliter errat, quam si quis putet, elementis rhetoricis semel aut bis audiendis, aut aliquot orationibus legendis, disertum aliquem aut oratorem fieri posse, aut factum esse. Immo ista institutio nihil nisi viam demonstrare existimanda est, quae post ingredienda, & per omnem aetatem virilem calcanda sit, lectione omnis generis philosophorum, & assidua exercitatione scribendi ac differendi. Viam quidem nosse, etiam infirmo facile est: at ingredi, persequi usque & urgere iter, donec ad finem viae longae perveneris, id vero virium, & roboris, & exercitationis opus est. Videte, vetus illa Graecia quot quam claros philosophiae scientia viros tulerit, quam promtos ad differendum ac disputandum de unaquaque quaestione proposita, etiam sine cogitatione & praeparatione. Sed illis temporibus etiam viri ad philosophos audiendos veniebant, & virile opus putabatur philosophiam bene discere.

Jam hoc primum ubi quis imbiberit animo, multum jam erit ad veram scientiam comparandam profligatum. Enimvero ita statim consequetur alterum, ut juvenis intelligat id, quod est ad cavendas praejudicatas opiniones, & temeritatem arrogantiamque judicandi vitandam maxime salutare, sibi, in istis studii philosophici principiis, nihil nisi historiam quandam dogmatum philosophicorum esse discendum. Neque enim aliud aut plus potest. Itaque in magistro spectabit nihil magis, quam perspicuitatem. Ea ubi erit maxime, ibi se optimum doctorem reperisse putet. Ita operam dabit, ut, quae sint capita philosophiae, quae cujusque sententia sit, quibus quaeque res argumentis defendatur, cognoscere curet: judicium ipsum differat, dum & aliorum sententias & argumenta cognoverit, &

mul-

multo magis, dum usu rerum & exercitatione multa in dialecticis praeceptis ad rem quamque conferendis, paullatim venerit aliqua maturitas judicandi. Cogitet identidem, quanta sit obscuritas rerum plurimarum & maximarum, quanta imbecillitas mentis humanae, praesertim in aetate juvenili: quaestiones autem maximas esse ejusmodi, ut de iis eruditissimi semper homines diversa statuerint: quod est difficultatis argumentum permagnum: denique quantae, non dicam temeritatis & audaciae, sed prope dementiae sit, juvenem velle judicem sedere inter Platonem & Aristotelem, Cartesium & Gassendum, Leibnitium & Newtonum, Wolfium & alios claros viros. Neque enim hoc minus esse arrogans ac stultum potest, quam si quis studiosus Juris duorum annorum, jus controversum tractare, & se arbitrum ferre Scabinis Lipsiensibus & Vitebergensibus velit. Interea vero tractare etiam pergat literas & exercitationes scribendi, per quas etiam ingenii contendendi, & in certis cogitationibus figendi facultas venit. Sed multo maximus fructus inde capietur hic, & in omnibus, quas posthaec tractabit, disciplinis, sive leget aliquid, sive scribet ipse, quocumque sermone, perutilis, ut res cogitatas possit, perinde uti cogitavit, & circumscripte ac definite omnibus partibus ac modis exprimere. Quid enim prodest, res nosse quamvis bene, nisi hanc pariter facultatem teneas? Sed hic, hic est scopulus, ad quem juvenilis vel ignavia vel impatientia haeret: hoc, hoc est, propter quod tam multos tanta philosophiae dulcedo capit; quamquam non philosophiae, sed umbrae alicujus inanis ista dulcis illusio est. Scio hoc profecto, longo & multo usu edoctus, per exercitationes scribendi ac disserendi, quibus apud me permulti sunt usi. Quaestiones philosophorum, ut quaeque major, aut magis controversa est, ita majores habent illecebras cognoscendi apud ingenia juvenilia, propter novitatem, & jactatam a multis rerum magnitudinem. Ergo illa aviditate primum, deinde etiam bonitate memoriae adjuti, facile capiunt, si non res, de quibus quaeritur, at verba rerum, ut jam possint, quae de spatio, de mundo optimo, de libertate, & similibus quaestionibus dicantur, utcunque commemorare.

rare. In quibus diſcendis & retinendis nullus labor eſt, merum otium ac luſus. At cum res ad verba venit, in quibus tam multae tenues ac puſillae obſervationes ac regulae tenendae, in quibus ne ſyllaba quidem aut litera labi licet, h. e. in quibus permagna accuratione opus eſt, tum vero ilicet, dormit memoria, & ille vigor ingenii. Monueris errantem decies amplius, voce, ſcriptura, tamen rurſus errat ac peccat. Ea res debebat admonere juvenem, hic eſſe utilem exercitationem ingenii ad ἀκρίβειαν comparandam, quae etiam in philoſophia profutura ſit. Sed horum nihil videt: mavult philoſophari, hoc eſt, otiari, & in rebus ſeriis ludere. Enimvero hoc ipſum plurimum obeſt ad accuratam & veram philoſophiae ſcientiam comparandam: tantoque magis aliquid efficere in philoſophia ſerio cupienti erit hoc fugiendum, tanto acrius intendenda diligentia cogitandi & talia tractandi, ut & hinc ad veram philoſophiae ſcientiam adjuvetur, praeſertim cum hinc etiam arrogantiae & confidentiae remedium contingat. Etenim hic ſenſus difficultatis in rebus tam tenuibus, ſive tales ſint, ſive ipſi videantur, ſalubriter poterit juvenem admonere, ut intelligat, non eſſe tantam ingenii ſui felicitatem, quantam ſibi erroris & aſſentationis cujusdam opinione fingit. Quomodo enim magnum eſſe ingenium, & rerum magnarum & obſcurarum capax poſſit, quod ad res parvas, perſpicuas, certas ita hebeſcat, nec eas in poteſtatem ſuam facile redigere poſſit. Haec ergo qui teneat, & ſibi in diſcenda philoſophia propoſita habeat, ei ego ſpondeam felicem illius ſtudii ſucceſſum, hunc conſecuturum promitto, ut aliquando non modo philoſophiae egregiam ſcientiam adipiſcatur, ſed etiam in aliis diſciplinis pari felicitate verſetur.

Atque hinc etiam alterum intelligi poteſt, quod nobis de docendae cum fructu philoſophiae modo demonſtrandum reſtat. Quae omnis oratio mihi futura eſt non cum doctoribus, ſed cum iis, qui ad philoſophiam aliquando docendam appellere animum deſtinarunt, in primisque vobiscum, Candidati honorum philoſophicorum & doctoratus philoſophiae ornatiſſimi.

Primum igitur pulcerrimam, atque ad commenda-

dationem ingenii, doctrinaeque efficacissimam disciplinae partem putabitis esse in modestia judicandi, quam non modo praeceptis & verbis, sed multo magis factis & exemplo laudabitis & commendabitis disciplinae vestrae alumnis. Habet autem haec modestia multas partes, nec modo res complectitur, sed etiam homines attingit. Ante omnia discipulos docebitis, rem haud facilem, sed multis magnisque difficultatibus, magnae multis locis obscuritati obnoxiam esse philosophiam, & natura rerum ipsarum, & multo magis propter hebetudinem ingenii humani in rebus inadspectabilibus, quas sola mente contueri possimus, infirmitatemque judicii, praesertim in aetate ea, quae nondum subacta sit exercitationibus, & careat usu rerum, qui est magister veri videndi optimus Itaque jubebitis non modo sibi diffidere in judicando, sed etiam vobis: nihil tribuere auctoritati vestrae, omnia rebus: satis habere, si possint intelligere quaestiones singulas, quid a philosophis & quomodo dicatur, judicium autem ad aliud tempus & ad maturiorem aetatem differre. Illud etiam fuerit salubre ad modestiam, ut jubeatis intendere ingenium ad videndum, si quid non satis perspicuum sit, si qua in re dubitationis aliquid possint invenire: in eo esse signum haud ambiguum ingenii melioris & acutioris: itaque tanto quemque vobis cariorem fore, quanto saepius aliquid reperire possit atque afferre in medium, quod sit adversum sententiae ei, quam vos probetis. Sed in primis hoc facietis in difficilibus & multa multorum ab omni aevo dissensione ac disputatione exagitatis quaestionibus, quales sunt in metaphysicis permultae; in quibus ita judicabitis, ut vobismet ipsi diffidere videamini, nec vobis sumere hoc, ut controversiarum tam difficilium & impeditarum judices vos haud dubios feratis Nec debebitis timere, ne hac verecundia minuatis opinionem discipulorum de vobis & doctrina vestra susceptam: immo vero augebitis apud eos, qui non sunt egregie stulti, quibus placere quis vere doctus cupiat? cum sit haec constans & verissima omnium sapientum sententia, ut, qui imperitorum laudem expetat, & ex errore atque inscitia stultorum pendeat, in magnis viris non sit habendus, sed in pusillis & minutis philosophis numerandus.

Et haec eſt, quam rebus debetis, modeſtia. Quid vero? hominibus quantum vos dicam debere? Non minus profecto, ac, prope dicam, multo etiam plus. Haec autem modeſtia duabus rebus cernitur: quarum altera eſt in diſſenſu ferendo, altera in adverſariis ſententiarum noſtrarum leniter atque verecunde tractandis. Omnino hoc debet eſſe perſuaſum omnibus, ut magnam partem ſapientiae verae eſſe putent in lenitate diſſentientium ferendorum. Etenim cum propter varietatem ingeniorum, & multo magis ſtudiorum, cum non iisdem omnes magiſtris uſi ſint, non eosdem libros eodem modo legerint, verbo, non eadem omnes fecerint, nullo modo poteſt fieri, ut eadem omnes ſentiant in rebus difficilibus & ambiguis ſua natura. Non autem ſtultum & immanis ſuperbiae eſt, poſtulare, quod non patitur ingenii humani & rerum communis natura? Quid autem eſt, cur me moveat & male habeat alterius opinio: quae ſi falſa eſt, & veritas mecum ſtat, habeo quod gaudeam, non quod invideam aut iraſcar: ſin forte vera, quod poteſt accidere, quod profecto, ne quis erret, ac ſibi nimis placeat, ſaepe accidit: quid indigner ei, cui etiam cedere, a quo diſcere debeam. Neſcio, quid alii ſentiant: ego hoc animo ſum, ut ſi quis ſit, qui omnia in omnibus eadem mecum ſentiat ac dicat, eo ego non magis delecter, quam ſi mihi aliquis occurrat, qui mihi a capite ad calcem ſimillimus ſit, nulla parte corporis ac ne veſtis quidem a me diſcerni poſſit: quem ego profecto ut veriſſimum ſpectrum fugiam. Nempe illum ego hominem, qui ſententiarum conſenſu perfecto eſſet alter ego, profecto me aſſentando decipere, deceptum autem, id quod faciunt omnes, qui alterum aſſentationis dulcedine fefellere, in ſinu ridere velle exiſtimarem.

Haec autem aequitas animi adverſus diſſenſum gignet etiam alterum modeſtiae genus, quod in ſcholis veſtris in primis dominari debet, ut neminem judicio veſtro contemnatis, in ſententiis veſtris defendendis: multo autem minus ei infamiam aliquam jactandis Spinoſismis, Fataliſmis, ſimilibusque invidioſis nominibus, adſpergere tentetis. Nam praeterquam quod ea res vos ſuſpectos diſcipulis, qui paullulum ſapiant, facit,

cit, ceteros autem ad inverecundiam & impotentiam erudit, quae est perniciosissima disciplina: quot & quanta incommoda hinc consequantur, videte. Primum verissimum est profecto in omni vitae genere, quod Livius ait, conjunctissimas res esse, contemnere & contemni: & ego non paucos in hac vita Academica cognovi, qui, cum possent honesti esse, & aliquandiu fuissent, contemnendis aliis, in contemtum venerant. Deinde, quid ista mala merx Spinosismorum, Fatalismorum, Anthropomorphismorum, Paganismorum, Rusticismorum (nolite mirari Rusticismum: non est deterior ceteris: immo pater ceterorum) quid ergo ista merx afferet lucri? Nempe ut parem mercem recipias: pro Spinosae necessitate tibi Epicuri casus reddetur, pro alia aliud. Tum tu incipies queri, injuriam tibi fieri clamabis. At tu recepisti, quod dedisti; & philosophi semper habuerunt legem eandem cum mercatoribus, qui permutatione mercium utuntur; par pari referre: sed in eo deteriorem mercatoria, quod in hac est, quod utrique lucro sit, in illa, quod utrumque mordeat. Quo magis hanc sibi haud paullo meliorem legem debebunt statuere omnes, qui ad docendam philosophiam accedent, ut ab omni tali acerbitate verborum, sive potius maledictorum, abstinendum sibi, non modo sua, sed etiam discipulorum causa, putent: praesertim, cum id etiam vera sapientiae ratio desideret, quae semper est, ut S. Jacobus ait, pacifica, mitis, lenis, aequa omnibus, ab omni superbia, contemtu & contumelia sejuncta. Hanc igitur sectamini, Candidati optimi, hanc vobis omni modo amplectendam ac retinendam putate.

Et quoniam supra demonstratum est, neminem posse in philosophia aliquid praeclari efficere, nisi cum ejus studio conjungat literarum humaniorum studium, & exercitationes assiduas scribendi ac disserendi: hanc putabitis esse non exiguam partem bene docendi, ut eas literas, non modo non, tanquam verba, contemnatis, quibus non sit opus sapientiae, aut ut rem profanam & paganicam vituperetis, quo non modo stultius nihil, sed ne improbius quidem dici potest, sed etiam serio commendetis. Si secus feceritis, non modo fidem non probabitis in docendo, sed etiam

plurimum mali vobis contrahetis. Nam primum non profecto honeftum vobis erit, in hanc opinionem venire, ut bonas literas ipfi ignorare exiftimemini: quod accidit omnibus femper philofophis, qui tali oratione funt ufi, (nemo enim fua contemnit ac vituperat) atque ita inter barbaros numerari. Quid autem? quam faepe in hanc neceffitatem venietis, ut vobis negandum fit, vos ita de iftis literis judicare ac dicere, cum vobifcum hoc nomine expoftulare coeperint, qui eas contemni nolint: ut denique confugiendum fit in illam latebram, non intellectus fum, quae eft praefertim in tali re, & philofophiae doctori, cujus prima & fumma virtus eft in perfpicuitate, parum honefta. Socrates folebat eos vehementer vituperare, qui difcidium cordis ac linguae induxiffent, quorum effet a natura fumma conjunctio, cum non in ratione modo, fed etiam oratione humanitas effet, & ratione colenda oratio, oratione autem colenda ratio crefceret. Hunc auctorem ergo vobis fi fequendum putaveritis, eritis haud paullo ceteris, docendo, & juvenum ingeniis ad fapientiam formandis feliciores.

Nondum omnia dixi, quibus modus regendae difciplinae hujus continetur: fed praecipua tamen dixi & maxima, & fortaffe etiam pro tempore nimis multa. Atque haec dixi, non quo vos indigere admodum talibus confiliis & admonitionibus putarem, quibus dudum vos audiendis adfuefactos fpero, fed ut audiretis aliquid, quod effet huic tali tempori veftro aptum, quod bonum omen facere aufpiciis novi honoris posfet, in quo recognofcere bona difciplinae, qua per annos fuperiores ufi eftis, & vero etiam veftra bona poffetis. Quo facio etiam libentius, ut vos commendem, honoribusque Doctoratus philofophiae & bonarum artium ornandos inaugurandosque tradam Decano Ordinis noftri graviffimo.

Te igitur jam appello, Decane Ordinis Philofophorum fpectabilis, collega conjunctiffime, cujus beneficium exfpectant hi, quos vides, Candidati noftri. Eos fi tibi laudem & dignos honoribus, quos petunt, praedicem, injuriam videar facere judicio tuo. Nam ipfe teftis, auditor, & fpectator adfuifti, cum eorum in omni genere liberalis doctrinae profectus explora-

ba-

bamus, eosque jam tum judicii tui praerogativa creavisti. Absolve igitur beneficium tuum, &, quod tum eos jussisti sperare, eo, fac, ut nunc per te potiantur. Ei adeo rei, atque huic candidatorum spei ne longior a me mora sit; primum, quod felix, faustum, fortunatumque sit, vobis, Candidati ornatissimi, Ordini Philosophorum, Academiae nostrae & universae rei literarum publicae, Ego Jo. Aug. Ernesti, philosophiae & bonarum artium Doctor in hoc ipso loco rite creatus, earundemque in hac universitate literarum Professor publicus, jure ac potestate Procancellarii, cujus hoc tempore personam sustineo, vos Candidatos ornatissimos [*hic omnium nomina recitata sunt*] omnes ac singulos philosophiae ac bonarum artium Licentiatos creo atque renuncio, vobisque hanc potestatem facio, ut honores in philosophia summos rite capessere possitis, in nomine Dei P. F. & Sp. S. Hujus autem juris ac facultatis fructum ut quam celerrime possint percipere, tibi, Decane spectabilis, eodem Procancellarii jure hanc potestatem do atque facio, ut eos ex his discentium subselliis in cathedram docentium producas, & Doctores philosophiae ac bonarum artium more majorum crees, creatosque rite renuncies. Quae res ut & ipsis & Academiae nostrae & bonis literis felix & salutaris sit, vehementer etiam atque etiam opto.

ORATIO
DE
DOCTRINAE
ACCURATAE ET PROMTAE
LAUDIBUS
IN SCHOLA THOMANA
INAUGURANDO CONRECTORI
IO. FRIDER. FISCHERO
DICTA
A. D. XV. KAL. FEBR. A. C. CIↃIↃCCLI.

Recens adhuc eſt, diuque recentem gratiam conſervabit, beneficium, quod Scholae Thomanae nuper ab Senatu ampliſſimo attuliſtis, Viri ampliſſimi, cum in eam deduxiſtis ſucceſſorem Bachio, virum arte & humanitate praeſtantem: ecce novum defertis hodie, cum ei traditis virum accuratae parataeque doctrinae, non utilitatis modo, ſed etiam decoris plurimum ei allaturum: beneficium, inquam, quod nulla orationis commendatione indiget, cum ſuis ſe bonis ſatis commendet: ſive quod ab iis datur, quorum omnia, vel minima munera, nobis debent

eſſe

esse gratissima; sive, quod per eos traditur, quos amamus maxime; sive, quod in eo ipso cumulate insunt omnia, a quibus tale beneficium solet ac debet spectari. Unam partem bonorum dixi, cum accuratam doctrinam paratamque commemoravi. Etenim insunt multa alia, quae, quando nemo me perspecta habet melius, qui multorum annorum disciplina & usu, neque modo in discendo, sed etiam in docendo, cognovi virum, nemo alius potest, vel commemorare planius, vel laudare verius atque uberius. Sed unum illud, quod dixi, tantum est, ut vel solum justam commendationem possit efficere.

Multa variaque bona habere potest eruditio. Laudant alii magnarum rerum scientiam: alii praedicant subtilem doctrinam: admirantur etiam copiosam, & variam. Vere omnes ac merito. At ego nihil magis probem, cum in omni scientia, tum in primis in hac humaniori, quam, si sit accurata, promta & parata.

Quae igitur est accurata eruditio? Nempe ea, quae sit e fontibus ducta ipsis, non e lutulentis compendiorum rivulis: quae illos ipsos fontes non leviter delibaverit, sed hauserit penitus: quae severe sit ad disciplinae cujusque leges exacta, diligenterque conformata: tota denique directa ad certam aliquam normam, ut nusquam peccet, nusquam aberret, ne titubet quidem, aut vacillet, aut vagetur incertis regionibus, sed semper habeat, quod spectandum sibi, quod sequendum fugiendumve putet. Atque talem eruditionem ego vel solam veram, ac dignam doctrinae nomine, solam docentibus pariter ac discentibus utilem, solam probandam laudandamque arbitror.

Etenim, quis hoc, nescit, primum esse videndum in omni vera scientia, ut sit certa: ut scias, quod te scire putes, neque ullo modo vereri debeas, ne falsa pro veris teneas. Parum enim aut nihil differt ab indocto, qui opinionis magis levitate fertur, quam doctrinae firmitate & constantia regitur: & nihil aliud, nisi honesta specie obducta ignorantia est, ad opinionem usque doctum esse. Illud ipsum autem certum, quomodo esse potest in iis rebus, quae non ex ipsis fontibus sumtae sunt? Nihil dicam de Theologia: quam, quis non intelligat, totam humana fide, qua nihil in-

certius eſt ac fallacius, niti, niſi ab ipſis literis ſacris ducta, & quaſi ab ipſo Prophetarum & Apoſtolorum ore accepta ſit: nihil de Jurisprudentia, quae potius doctorum incerta opinio, quam vera juris legumque ſcientia ſit, niſi ex ipſis legibus repetatur: haec noſtra linguarum veterum, antiquitatisque Graecae & Latinae diſciplina, quid habere certi poteſt, quod non ab ipſis auctoribus veteribus acceptum teneamus. Quo enim ſponſore freti confidemus, eos, quos, praeter illos, ſequimur, verum in illis interpretandis vidiſſe, & non ſaepe, vel inſcitia, vel negligentia, vel aliqua imbecillitate, lapſos eſſe? Non, credo, ſat multis exemplis conſtat, quam ſaepe, quam graviter, interdum etiam doctiſſimi in hoc genere homines, errarint? Nusquam tuta fides eſt, ut ille apud poëtam ait, niſi apud eos, quos etiam vulgo ſolos auctores appellamus, quippe ſolos dignos, quibus credamus, quibus nos in diſciplinam tradamus, a quibus humaniorem doctrinam petamus.

Jam, ſi doctrina quaevis eſt rerum certarum, beneque digeſtarum, apta & perfecta coagmentatio: ſi in omni ſcientia, non modo ordo quidam, & ratio, & modus rerum, ſed etiam abſolutio requiritur: ſi non, ut quisque quascunque, & utcunque perceptas, aut temere arreptas potius, particulas legum, conſuetudinisque forenſis, tenet, ita ſtatim JCtus vocatur, aut jure vocari poteſt: ſi porro plebejus concionator potius eſt, quam Theologus, qui tantum eas librorum ſacrorum particulas utcunque cognovit, ſuper quibus dici ad populum, aut e quibus repeti elementa ſacrae doctrinae ſolent: non profecto, etiam in hoc noſtro genere, vere doctus debet exiſtimari, qui modo unum, & item alterum de ſcriptoribus antiquis, & tantum ex parte aliqua, leviterque, cognoverit: ſed qui totum illum quaſi chorum eorum, qui principes numerantur, penitus norit, uniuscujusque bona ſciat, in eorumque communionem venerit, ut hinc & ipſe, quae opus habeat, ſumere, & aliis, quantum velint, impertire poſſit.

Qui vero non diſciplinae ejus, ad cujus ſtudium ſe contulit, leges & accurate tenet, & ad eas omnia referre, exigere, ac dirigere didicit, quomodo ullo

modo

modo in eo genere vere doctus poteſt exiſtimari? Ut artificem non niſi eum, in quocunque genere, veluti in muſica, agnoſcimus, qui leges artis omnes calleat, ad easque vocem, manumve, ita accommodare poſſit, ut nunquam aberret: ſic etiam doctum neminem, niſi ab hac diligentia cognoſcendi, probare debemus. Etenim, ſi haec abſit, ſemper incertus vagatur, neque, ubi conſiſtat, habet. Itaque ſi quando verum videt, caſu potius felici ſublevatus, quam vera doctrina adjutus videt, neque propterea doctus debet haberi: niſi etiam ille, apud Ciceronem, porcus ſcribendi artem calluit, qui, dum roſtro terram ruit, caſu literam aliquam effinxit. *

Quod ſi doctrina, quae accurata non ſit, verae eruditionis nomine indigna habenda eſt: non profecto, neque magiſtro, neque diſcipulis, utilis magnopere eſſe poteſt. Nam in docendo nihil profecto miſerius eſt, quam, aut non ſatis tritum eſſe in ſcriptoribus antiquis, proptereaque timere conſulentium diſcipulorum curioſitatem, cum vereare, ne, aut omnino nihil reſpondendo, aut differendo reſponſum, aperias tenuitatem ſcientiae, aut ſenſu & conſcientia parum accuratae & imperfectae ſcientiae debilitari & angi, quae ſemper ſuis ſe indiciis prodit, neque ita tegi & occultari poteſt, ut non multa minimeque obſcura praebeat veſtigia ſui; unde, ſi nihil aliud, contemtus certe naſcitur: quamquam nonnulli ita ad ſenſum inſcitiae ſuae obduruerunt, ut, quanto quamque rem minus accurate ſciant, tanto confidentius in praecipiendo judicandoque verſentur, aut ſcientiae vicariam aſſumunt impudentiam & arrogantiam, cujus beatiſſima eſt in ignorantia poſſeſſio. Quid autem contra in docendo laetius & alacrius juſtae accurataeque doctrinae conſcientia, quae nullius, ne male quidem curioſi, quaeſtiones expaveſcat, ſed obvia ſit omnibus, cupiatque ſaepiſſime conſuli? Quid conſtantius & firmius, quam, poſſe in docendo cum fiducia verſari, neque opus habere, ut ad ſingulos prope gradus trepides, lapſus periculo ac metu.

Quid? quam ſalubrem diſcentibus talis magiſtri diſci-

* de Divin. I. 13.

ciplinam putatis, per quam non modo recte accurateque omnia percipiunt, fed etiam, quod prope majus eft, mature adfuefiunt, in difcendo ac cognofcendo diligenter accurateque verfari. Enimvero etiam hac maxime de caufa in primis utilem ad omne genus doctrinae arbitror literarum humaniorum difciplinam, quod in ea omnium maxime requiritur fumma diligentia & cura, atque adeo non dubie adhibetur ab idoneis profefforibus, ut etiam nimis, vel minutis in rebus, diligentes effe videantur, eoque nomine ab imperitis irrideantur. Nihil eft hic, neque tam retrufum, ad quod non penetrare, neque tam tenue, quod non excutere conetur diligentia; quae etiam fyllabas omnes ac fingulas paene literas perfequitur. Non hujus difciplinae magiftri, vel jucunda & invifa, ut Stoicorum Dii, vel minima, ut in jure Praetor, non curant. Hic etiam culices percolantur, cum alibi cameli abforbeantur impune. Quare, fi Geometria, omninoque mathematicorum difciplina, exiftimatur acuere ingenia, non tam materia fua & argumento, quam, quod paene cogit intendere mentis vim, & faepe cogendo confuefacit intendere: quidni hanc noftram difciplinam pariter, confuetudine animadvertendi diligentius, acuere putemus diligentiam, animadverfionisque contentionem, cujus in omni doctrinae, atque adeo vitae genere quanta neceffitas, quanta utilitas fit, quis ignorat?

Quod fi nulla effet accuratae doctrinae commendatio ab utilitate: illud ipfum tamen accuratum, illa ipfa diligentia probaretur, neque alia, quam accurata, doctrina jure laudaretur. Eft profecto hoc confitendum omnibus, qui mentis humanae vim intelligant, naturam ipfam nos ad fenfum illius diligentiae acuiffe, naturaque nobis, quod accurate factum fit, probari, placere; quod fecus fit, improbari, difplicere: neque modo in rebus gravibus, magnis, & cum publica privataque falute & utilitate conjunctis, in quibus maxime cura defiderari folet, fed etiam in minutis, levibus, jocularibus, aut ad folam delectationem comparatis. Mufici, non videmus, quantopere illud accuratum, quod dico, fequantur? quam offendantur, fi quid vel leviter difcrepet, ac diffonet? Quid? in veftitu

vestitu amictuque, mulierculae, si elegantes sint, non magis prope diligentiam, quam magnificentiam, appetunt? In ipsis ludis, quibus nihil levius est, quis nescit, neminem libenter sodalem habere eum, qui leges ludi cujusque non accurate calleat, non praesens sit oculis & animo, non plane se ad leges ludendi componat? Et mirabimur, in doctrina diligentiam tantopere expeti & laudari?

Enimvero, quid esse dicamus, quare veteres illi Graeci & Latini, quos auctores classicos, hoc est, optimos principesque, nominamus, inde a tot seculis locum suum obtineant, ac dignitatem; cum ceteri, & quidem, ut quique magis ab iis dissimilitudine sejuncti sunt, ita magis paullatim aut pereant omnino, aut obscuri fiant. Non, arbitror, me falli, si dicam, causam esse hanc, quod apud eos, in rebus, sententiis, & verbis, illud ἀκρίβεια, illa diligentia, quam saepe dico, omnium maxime reperitur, suntque soli omnium, & in rebus ipsis mente concipiendis, & in iis, quae cogitaverint, exprimendis, accuratissimi. Cujus virtutis tanta, tamque minime dubia, est opinio, ut, si quid in iis abhorrens a vero, in nominibus, numeris, aliisque, si quid non satis eleganter, acute, perspicue dictum putetur, plerique sint proniores in eam partem, ut aut commoda interpretatione molliant & corrigant, aut a librariorum potius, quam auctorum, inscitia & negligentia profectum, emendandumque ingenio & doctrina Criticorum, putent. Quod longe secus est in ceteris scriptoribus: quibus vulgo etiam affingunt errores, quoad possunt; quorum lapsus augent verbis, &, quae ambigue dicta sunt, citius in deteriorem, quam in meliorem & veriorem partem interpretantur: veluti hoc debeant veterum virtutibus, ut omnibus modis recentiorum scriptorum inscitiam & negligentiam arguant, & eos summa vi a communione illius laudis atque opinionis, quae de antiquis est, prohibeant. Ac profecto valde rara est hodie vetus illa diligentiae virtus in doctis hominibus, eorumque libris; propterea, quod ita ad ignaviam & voluptatem haec tempora inclinaverunt, ut nihil magis quam diligentiae molestiam fugiant homines, sintque, ut in discendo levissimi, ita in scribendo docendoque negli-

gligentissimi: unde produnt libros, quos, velut ingenii partus, magis inchoatos immature, per vim, excussisse, aut, per temeritatem, effudisse, quam cura & diligentia absolutos edidisse videantur. Sit igitur propria haec accuratae doctrinae laus, ut sola & vera, & docentibus discentibusque utilis, sola denique probanda judicetur.

Sed doctrinam non modo accuratam esse velim, verum etiam paratam: quae erat virtus altera, a qua maxime eruditionem & judicandam, & probandam, dicebam. Est autem parata doctrina ea, quam habemus ita in potestate, ut semper sit in promtu: ut nobis facile ac statim, quae opus sint, sine sollicita & ambitiosa prensatione, offerat, occurratque ubivis in tempore, velut officiosa quadam apparitione, qua se gratam pro assiduitate sui colendi praestet. Talem autem eruditionem qui consecutus est, is vero, ut alias commoditates taceam, omnium maxime, sive potius solus, est ad docendum vel voce, vel literis, accommodatus. Etenim non cogitur, neque, quoties vel docendi tempus appropinquat, vel scribendum est aliquid, diu circa Indices, Lexica, Commentariosque trepidare, neque, cum ad docendum consedit, chartulae confidere, &, docendi munere huic permisso, ipse lectoris partes agere: sed ex ingenio, & conditis domi copiis, promere potest, quae apta quoque tempore, & utilia vel audientibus, vel legentibus, videantur: unde mira alacritas & facilitas oritur, quae omnem illam molestiam abstergit muneri docendi, de qua toties conqueri multos audimus.

Hac autem facilitate nihil utilius esse dicam discentibus. Nam & suaviter docet, qui facile docet, eaque re mirifice allicit ad audiendum animos, erectumque retinet discendi studium, & majori cum fructu discentium docet. Etenim in omni re maximam commendationem habet illa facilitas, qua etiam, veluti certa aliqua nota, agnoscitur ipsa veritas, praesertim in hoc genere literarum, in orationibus, in carminibus, in interpretando emendandoque: neque ullo modo placent elegantibus hominibus ea, in quibus difficultatis in efficiendo vestigia animadvertantur, quaeque, ut ita dicam, nitentis, & e partu difficili laborantis,

vultum

vultum habeant. Vis probari obſcuri loci vel emendationem, vel interpretationem? Ne quaeratur laborioſe, ſed occurrat ſtatim, ſitque ejusmodi, ut omnibus in mentem venire & potuiſſe, & debuiſſe, videatur. Vis orator laudari? Similis in dicendo ſis L. Philippo, qui tanta facilitate dicebat, ut ſaepe, cum, jam os aperiens ad dicendum, primum verbum nondum ſciret, tamen eleganter ornateque diceret. Poëta bonus cupis haberi? Sponte ad numeros veniant verba, non ſevero & tardo delectu conſcribantur, non diligentiae veluti machinis in ordinem cogantur.

Sed hanc tam potentem, tamque efficacem facilitatis commendationem maxime, ſecundum ingenium quidem, quod valet, ut in omnibus, ita etiam in hoc genere, plurimum, in his rebus omnibus affert & gignit paratae vis doctrinae, neque illa ſine hac contingere cuiquam poteſt.

Jam quis hunc talem doctorem non videt una hora plus agere, quam pluribus eos, qui, difficultate & diuturnitate commentationis retardati, longius ſingulis horis progredi non poſſunt, quam commentando potuerunt? Soli diviti datum eſt liberalem eſſe, hoc eſt, ei, qui copias paratas jam tenet, non, qui ipſe quotidie circumſpicere aliena auxilia cogitur, non, qui in diem quaeſitis vivit. Maximus & pulcerrimus divitiarum fructus eſt, bene facere, multisque multa impertire: & ſi eae generoſi pectoris homini contigerunt, afferunt cupiditatem largiendi, ſuique cum multis, in primis dignis, communicandi. Simillima ratio eſt paratae doctrinae. Non modo prodire in lucem vult, ac conſpici; quod fortaſſe non minoris vanitatis videatur, quam in divitibus, iisdemque avaris mulierculis, quae & ipſae conſpici divitias ſuas cupiunt, in veſtitu & ſupellectili, communicare cum aliis nolunt; ſed etiam profundit ſe, & cum quam plurimis, quam ſaepiſſime, &, ſi fieri poſſit, ſimul tota communicari geſtit, tantoque cupit magis, quanto magis profundendo augetur, & ſaepe tradendo certius tenetur. At ut pauperes ipſa neceſſitas tenaces facit: ſic doctores ii, qui non ſunt promti & parati ſatis a doctrina, neceſſario parci fiunt in tradendo, ac tardi. Itaque neque explere cupiditatem capacium ingeniorum poſſunt, ne-

que lentorum tarditatem incitare, ſed, ſi nihil aliud, illis contemtum ſui injiciunt, his ſtuporem augent, ſomnumque offundunt ipſum. Hinc ſunt illi profeſſores ac doctores Callipidae, qui aſſiduo curſu vix cubitum unum procedunt: hoc eſt, qui multos menſes, totosque annos, in una mediocri, aut duabus Ciceronis oratiunculis, paucisve ejusdem epiſtolis, aut alia exigua ſcriptoris Graeci Latinique particula, conterunt: ſive, quod crebro, temporis abſumendi cauſa, in certos ratosque de moribus locos digrediuntur, ſuper iisque graviter concionantur, ſive quod eandem particulam ſaepius, & ad nauſeam usque diſcentium repetendo, in ſuccum, ut ajunt, & ſanguinem convertere volunt: ſive quod in copiolis, quas diſcentibus exponant, cogendis, nimis acerbi ſunt, aut cum in nimis pinguem praedam inciderunt, ab ea abſtrahi vix poſſunt, eaque de cauſa diutius, quam neceſſe, aut utile eſt, ſingulis immorantur: ſive denique, quod vana quadam popularitate incenſi, valde docti, & copia rerum undique congeſtarum abundantes, videri tironibus volunt. Ex eodem genere ille ſcholae, neſcio cujus, magiſter fuit, qui tres quatuorve Novi Teſtamenti Graecas particulas, totidemque epiſtolas Ciceronis delegerat, ſuper quibus omnes tirones ad ſe adductos, (etenim ſaepe fit repente, ut praeparandi tempus non detur) profectus cognoſcendi cauſa, eadem interrogaret: cujus etiam uxorem, aſſidere ſolitam, aſſiduitate & diuturnitate eadem audiendi, omnes tandem quaeſtiones cum legitimis reſponſionibus didiciſſe, ajunt, &, vice mariti, tirones explorare potuiſſe. Hinc omnino examinatores iniqui, qui imparati interrogare neque audent, neque poſſunt, quae alios imparatos reſpondere poſſe volunt. Hos omnes autem quis aut multum prodeſſe docendo, aut quis eorum diſciplinam magna laude dignam putet?

In magna parte felicitatis ponendum eſſe arbitror iis, qui docendi munere funguntur, quod tempus, a docendi labore vacuum, poſſunt, vel legendis bonis libris, cogitandisque rebus divinis & humanis, conſumere, atque ita augere indies doctrinae copiam, vel libris, in commune, poſteritatique ſerae profuturis, ſcribendis impendere, atque ita diſciplinam ſuam im-

immortalem efficere: cum ii, qui causis in foro agendis, vel jure dicundo, judiciisque exercendis, aut de jure respondendo, aut aliis negotiis publicis tractandis, operam reipublicae navant, non modo & ipsi plures horas desidere cum collegis cogantur, sed etiam reliquum tempus cognoscendis causis, commentariisque actorum legendis, consumere necesse habeant: quo nomine saepe audimus praestantissimos ex eo genere homines queri. Etenim, si vere velimus judicare, omnem vel perfectissimam virorum excellentium disciplinam, quoad quidem scholis habendis continetur, non modo mortalem, sed etiam brevissimae vitae reperiemus. Solenne hoc, & perpetuum fatum fuit disciplinae, ab ingeniis excellentibus optime constitutae, ut, propter paucitatem satis studiose aemulantium, aut ignaviam posterorum, paullatim convulsa dilaberetur. Ut de antiquioribus taceam, quorum disciplinam barbaries prorsus abolevit: quid perfectius atque uberius quondam fuit disciplina Philippi Melanthonis & Joachimi Camerarii? e quorum scholis, velut e duobus montibus, uberrima verae elegantisque doctrinae flumina per omnem Germaniam decucurrerunt. At quam pauci anni elapsi sunt, cum ista tam celebrata Philippica & Camerariana disciplina ita obscuraretur, ut, nisi vestigia ejus impressa libris reliquissent, funditus periisse videretur. Etenim nimis pauci ex iis, in quibus erudiendis studium & opera doctoris elaboravit, ad docendi studium se conferunt: & ex his ipsis quam pauci praeceptorum solertiam assequuntur? Ferrarius quidem, excellentis vir ingenii, claraeque doctrinae, cum omne vitae tempus tradendis per Italiam humanitatis disciplinis consumsisset, senex fatebatur, si potestas sibi daretur deligendi e discipulis suis, qui sibi mortuo surrogaretur, vix unum se, ex omni illo haud parvo numero, inventurum, qui explere muneris ejus partes posset. Si divini illi homines, Scaligeri, Casauboni, Salmasii, nihil aliud, quam adolescentes erudiissent, quam parum nobis ex immensa illa doctrina reliquum foret, quam scriptis eorum proditam admiramur? Itaque multum vidit magnus ille Erasmus, cum adversario importuno, seque contemnenti, quod non eam, quam ipse, concio-

cionandi auctoritatem haberet, (quod ipsum est eximium genus docendi) respondit: (*) *atqui & ego olim sum concionatus, & arbitror, me posse meliora dicere, quam audio te aliquando proferentem: sed puto me majus operae pretium facere scribendis libris: tametsi tuam industriam non improbarem, si modo doceres ea, quae faciant ad bonos mores.* Sed ista tam jucunda, tam privatim publiceque utilis felicitas docentibus contingere nullo modo potest, sine illa paratae doctrinae facilitate, quae sola tempus, scientiae augendae librisque bonis scribendis necessarium, largitur.

Quod si tanta est eruditionis accuratae parataeque praestantia & opportunitas, si tanta, in doctore publico praesertim, utilitas, facile intelligi potest, quam bene consultum sit Scholae Thomanae rationibus, cum ei magister a Senatu amplissimo datus est hic Jo. Fridericus Fischerus, Coburgensis, Philosophiae Magister doctissimus, in quo talis doctrinae comparandae studium, ab illo inde tempore, animadverti, quo disciplina mea coepit uti: quod illi ita bene feliciterque cessit, ut jam non unum accuratae elegantisque doctrinae specimen idoneum antea, paratae autem & promtae, nuper, in hoc ipso loco, ediderit.

Quo magis spero vos, Discipuli carissimi, quod officii causa necessario facere debetis, etiam libenter facturos, primum, ut gratiam habeatis maximam Ordini amplissimo, qui talem vobis magistrum dederit, in quo nihil nisi dignitatem, nihil nisi elegantem illam, accuratam, promtamque doctrinam, hoc est, utilitatem vestram spectarit: deinde, ut non modo laeti faventesque excipiatis novum magistrum: quod, non dubito, vos esse facturos in eo, quem vestra praerogativa ipsi creavistis ante, quam ab Senatu amplissimo crearetur: sed ut docenti quoque, praecipienti, monenti, etiam objurganti, si ita necesse sit, (quamquam eum, pro ingenii lenitate, scio optare, ut nunquam tristis illa & misera necessitas veniat) ei igitur, ut benignam, promtam, paratamque audientiam, obedientiam, cum omni genere officiorum praestetis, quae praeceptoribus, praesertim bonis, debentur.

Maxi-

* In Epist. ad Dorpium.

Maxime autem hoc vobis auctor sim, ut ejus studium, diligentiam, assiduitatem in discendo, cognoscendo, exercendoque in primis, imitemini, & vos ita ad exemplum ejus conformetis, ejusque adeo exemplo discatis, quod me, cum alias saepe praecipientem audivistis, tum ante hos tres ipsos dies, auctore apud Xenophontem Socrate, in omni re, in primisque in literis, minimum esse in studio audiendi, intelligendi, & cognoscendi, quod propter suavitatem scientiae est in sat multis, maximum ac summum in cura & assiduitate exercendi, cujus molestiam vix ferunt plerique.

Etenim nulla alia est via ad accuratae & paratae doctrinae facultatem, nisi quae per exercitationes crebras, diuturnas & constantes ducit. Hanc ingressi olim Graeci & Latini, ad eam perfectionem doctrinae omnis, ad eam bene dicendi scribendique de rebus omnibus paratissimam facultatem pervenere, quam admiramur, & laudamus omnes, assequi, nullam aliam ob causam, non possumus, quam quod exercendi industriam & pertinaciam imitari non sustinemus. Nihil dicam de Demosthene, cujus pertinacissimas exercitationes Graecorum Latinorumque literis celebratas scitis. Ciceronem nihil aliud, secundum ingenium quidem, tam promtum lingua calamoque fecit, quam exercitationis & contentio, & constantia. Admiratos vos interdum animadverti, (& quis non admiretur, nostros homines, qui vel disertissimi videantur, comparans) cum audiretis, eum, in consulatu, audita seditione, quae in theatro propter legem Rosciam commota esset a plebe, repente advolasse, evocatamque inde plebem oratione disertissima ita placasse ac mitigasse, ut non modo ignosceret Roscio, cui paullo ante succensuisset graviter, sed etiam laudibus & plausibus hominem prosequeretur: eodemque anno, cum Catilina, de conjuratione merito suspectus, atque lege Plautia reus, in Senatum tamen venire ausus esset, incensum ira, dixisse pulcerrimam illam Catilinariam primam: altero die, cum fugisse Catilinam cognovisset, in concionem prae laetitia escendisse, & habuisse alteram: item tertiam, & quartam una eademque die, cum deprehensi conjurati essent, nulla

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

commentatione uſum: ſimiliterque multas multis temporibus, inque his Philippicas nonnullas. Quid? illud non promtiſſimae doctrinae & eloquentiae admirandum, atque illo ſuperiori prope majus documentum eſt, quod idem, tribus annis, omnes philoſophicos libros, neque modo, qui exſtant, ſed etiam, qui periere, ut Hortenſium, de gloria, plures oratorios, ut Brutum, Oratorem, Partitiones, Topica, ſcripſit: menſibus autem non totis duobus, Aprili & Majo, unaque ruſticatione, tres libros de Natura Deorum: duos de Divinatione, Catonem, Laelium; neque id tempore a moleſtiis vacuo, ſed pleno turbarum, periculorum, & timoris, Caeſare paullo ante interfecto, interpellatus modo literis amicorum, modo ſalutationibus, etiam Octavii, e Graecia redeuntis. Adeo ille & orationis facultatem, & omnis doctrinae elegantis accurataeque copiam in poteſtate habebat! Sed totum hoc, quantumcunque eſt, quod eſt profecto, ut intelligitis, maximum, & prope incredibile, id omne ille conſecutus erat, ut ipſe fatetur, exercitationibus, primum ſcribendi, commentandi, declamandi, cum ſummis Romae, Graeciae, Aſiae oratoribus, & apud Rhetores praeſtantiſſimos, deinde diſſerendi ac diſputandi apud Antiochum, Philonem, in primisque Diodotum Stoicum, iisque quotidianis, & nunquam intermiſſis, ſed, inde a juventute, usque ad ultimum vitae annum continuatis. Quare agite, quaeſo, cujus dicendi vim, diſſerendique ſubtilitatem & elegantiam admiramini, ejus induſtriam in exercendo imitamini. Ita, ad quodcunque genus doctrinae adpuleritis animos, in eo accuratam promtamque ſcientiam, & laudis utilitatisque, privatim ac publice, plurimum habituram conſequemini. Ardua via eſt, ſcio, & fateor, moleſtiarum, atque etiam ſolicitudinis, plena, qua vos contendere ad eruditionem volo. Sed nullam aliam ſcio: immo nulla alia eſt, quae vos perducere, quo velim, poſſit. Et accuratae parataeque doctrinae laus petitur: operae pretium eſt, credite mihi, vel graviora & moleſtiora facere ac perpeti.

Sed faciliorem hujus itineris decurſum iis efficies tu, vir doctiſſime, ſi te nobiscum iis ducem fidelem, comitemque jucundum praebebis: ſi eos praeceptis, &

co-

[library stamp]

cohortationibus tuis incitabis, exemplo conformabis, institutis denique & disciplina continebis, ne se defatigari molestia, aut de via instituta deduci patiantur. Hoc inter alia spectavit Ordo amplissimus, cum te magistrum huic Scholae delegit: hoc voluit Collegium venerabile, quod judicio decretoque Ordinis amplissimi auctoritatem suam tribuendam putavit. Suscipe ergo munus, quod tibi mandatur, idque e consilio & voluntate Collegiorum amplissimorum, atque e spe nostra, hoc est, e gloria Dei, salute atque utilitate discipulorum administra. Una haec est ratio, qua tueri judicia de te, tam honorifice facta, qua te gratum pro beneficio tributo praestare possis. Quamquam tu non is es, qui aut mea, aut ullius adhortatione indigeas. Nimis bene te, pietatem tuam in Deum, virtutem, amoremque literarum bonarum, patientiam in labore, constantiam in consiliis rectis novi, quam ut de prolixa voluntate tua bene de hac Schola, de religione, de bonis literis merendi dubitare ullo modo possim. Socios laborum benivolos, adjutoresque fideles habebis cum me, hosque Collegas nostros, viros doctissimos, atque optimos, tum vel maxime Deum, cujus tibi auxilium ita efficax adfuturum confido, ut disciplina tua uberrimos celerrimosque fructus efferat.

Ceterum vota mecum facies, vir doctissime, vosque collegae optimi, discipuli carissimi, facietis, ut Deus optimus maximus Senatui amplissimo, cujus tutela & clientela haec Schola acquiescit, dignitatem antiquam & gloriam conservare, & ejus consilia religioni, literis, universae civitati salutaria: Magnificum deinde consulem, qui cum maxime Ordini amplissimo, summa cum dignitate, & pari bonorum favore, praesidet, hosque amplissimos viros, qui non modo communi Senatus universi, sed etiam propria quadam, & praecipua benivolentia hanc Scholam amplectuntur, salvos, sospites, omnibusque rebus florentes esse velit: denique hanc Scholam potenti tutela complecti, in eaque pietatem, virtutem, literas magis magisque in dies efflorescere jubeat.

PROLUSIO ORATIONIS PANEGYR.

IN

FRIDERICUM CHRISTIANUM

PR. ELECTOREM SAX.

RECTORIS ACAD. LIPS. NOMINE.

Moris magis & humanitatis causa facimus hoc, ut vos, Patres ac Cives, rogando vocemus ad celebrandum pietatis officium, quod memoriae sanctissimae Principis optimi, heu! nuper nostri, persolvere instituimus, quam quod ita necesse sit, & quisquam vestrum desideret preces & cohortationis incitamentum, ac non potius rogando & cohortando sibi injuriam fieri putet. Etenim, quem non modo communibus cum universa Patria causis, iisque plurimis & maximis, sed etiam propriis, nec illis obscuris, & olim, & nuper, in felicissimis Principatus initiis verissime ac justissime & amavistis, & coluistis, & laudibus tulistis, in ejus honorem si quid institui, parari, fieri audiatis, quomodo non in societatem talis muneris venire gestiatis? Nostrae quidem pietatis festinatio vix exspectavit hujus diei tarditatem, nec quicquam dudum tam cupimus neque videre, quam effusa omnium, in primisque vestrum, studia hujus diei celebrandi, neque audire, quam laudes Principis talis,

qua-

qualem, ut Hilarii Arelatenſis (*) verbis utamur, *reminiſci dulce ſit, quali carere ſupplicium.*

In hoc autem praefandi & veluti proludendi munere, quomodo poſſimus oblivifci doctrinarum & artium, quae in morte Friderici Chriſtiani tantam fecere jacturam, aut ullam in ejus honore mentionem priorem ducere & aptiorem propenſiſſima ejus in ipſas, earumque officinas & magiſtros, voluntate, quam dictis, factis, & antea ſaepe, & in ipſa Principatus brevitate prolixe declaravit. Non autem de univerſis literarum ac doctrinarum laudibus diſſeremus: nemini minus haec praedicatio convenit, quam earum profeſſoribus: nec omnem principis ex eo genere laudem amplectemur, ne oratoris noſtri provinciam videamur invadere: ſed ita rem moderabimur, ut ſtudiis doctrinarum e judicio talis Principis aliquid vel defenſionis vel decoris paremus, illius ipſius autem judicii elegantiam, veritatem, & ſapientiam demonſtremus.

Etenim ab omnibus, qui de noſtris, poſt illum optatiſſimum ejus in patriam noſtram reditum, ad eum adierant, hoc in primis accepimus quaeſiſſe, quae frequentia eſſet apud nos juvenum, ſtudia doctrinae aemulantium, & ſibi vehementer laetum aſſeveraſſe, cum priſtinam audiret rediſſe frequentiam, atque etiam majorem ſperari. Timuerat, ne accidiſſet id, quod ſaepe inter bella evenit, ut congregationes Academicae diſtraherentur, & ſolitudinem in ſcholis facerent belli mala. Sed cura illa atque ſollicitudo inanis fuit, ſi vere judicant ii, qui etiam minui frequentiam illam volunt, & melius conſultum fore exiſtimant reipublicae rationibus, ſi ad paucitatem redigatur numerus literas tractantium. Invidioſum fuerit, cauſas novae hujus ſapientiae commemorare, quamquam ſunt in promptu: nec nos accuſandi ac reprehendendi cujusquam, ſed laudandi cauſa hanc diſputationem ſuſcepimus: & ſunt etiam, qui ſic paucitatem probant, ut delectum ingeniorum inducant, rem verbo ſpecioſam, ut

(*) Or. in *Honoratum Ep. Arelat.* T. II. Opp. *Leonis M.* (ed. *Frr. Balleriniorum*) p. 347.

ut ſunt alia multa mortalium optata, ſed quae ſine effectu evaneſcat, ubi, quemadmodum & per quos agi oporteat, quaeratur. Noſtri quidem illi magni Principes, ne de externis dicamus, qui literarum disciplinas in his terris fundarunt, maxime numeroſos diſcentium coetus maxime probarunt, ut eſſent, nullis parcentes ſumtibus, laborarunt, &, cum effeciſſent, ut de magna parte felicitatis publicae laetati ſunt. Quam laetabatur Fridericus is, qui hac etiam de cauſa Sapiens eſt appellatus, quod ſapientiae ſtudia omni benivolentia & liberalitate foveret, quam laetabatur, inquam, cum Vitebergam ſuam ita frequentari videret, ut, quemadmodum in epiſtolis noſter narrat Lutherus, capere vim adfluentium juvenum non poſſet? quid non eodem tempore faciebat Georgius Dux, ut eandem frequentiam efficeret in ſua Lipſica Academia? quid non, qui poſt illos fuere, Mauritius & Auguſtus, fauſtiſſima literis nomina? Nec illi tam externorum frequentiam allicere cupiebant, quamquam hanc quoque; in quo lucrum ſibi ſuum, & decus inane quaeſiſſe viderentur, quam ſuorum, utilitatis publicae cauſa. Quid enim voluerunt illae tot in utraque Academia menſae publicae, & iis deſtinata frumenti, pecuniae, tanta vis? quid illa tot ſtipendia, etiam aedificia habitanda ſtudioſis literarum? Nihil profecto aliud, niſi ut quam plurimi popularium, quos tenuitas rerum domeſticarum a ſtudiis doctrinae avocaret ac retardaret, ad voluntatem diſcendarum literarum impellerentur, fieretque numerus ex eo genere maximus, quod adjumentorum publicorum ſpe & fiducia ad Academias noſtras conflueret; unde velut coloniae literarum atque doctrinae deducerentur in omnes patriae urbes, per quas bonum literarum communicaretur cum omnibus reipublicae partibus, doctrinisque aditus pateficret in Conſilia publica, in Forum, Curias, Scholas, atque ita literis, quae admodum fuerant rarae, redundaret Saxonia. In quo quam praeclare conſultum ſit rebus patriae, ſi non res ipſa loqueretur, non difficile foret copioſe demonſtrare. Injuriam profecto faciat judicio Principum illorum, quos conſentiens poſteritatis vox in viris ſummis numeravit, tum

.um ceterorum, qui haec eorum inſtituta diligenter conſervanda atque etiam augenda putarunt, ſi quis ea liberalitate ignaviae perfugium paratum, nimis multos ad hanc diſcendi profeſſionem tractos, eamque ob cauſam etiam minuenda illa dicat. Nobis ſuffecerit paucis diſſeruiſſe, ita beatiorem patriam fore, ut plures literarum ſtudia ſequantur, & quod habet haec patria noſtra, ſive haec noſtra Saxonum natio, in ingeniis moribusque, characterem recentior aetas vocat, inſigne ac proprium, quo maxime adhuc placuit ac laudata eſt externis, hoſpitibus, etiam hoſtibus, id ei adflatum eſſe felici quadam contagione literarum, ab illis temporibus inter nos frequentiorum.

Et quoniam hanc noſtram Urbem velut Saxonicas aut Germanicas Athenas, ipſam autem patriam quandam Germaniae Atticam vel appellant, vel appellare licet; initium diſputationis aptiſſime ab illis antiquis Atticis ducemus: in quorum charactere: utamur enim hoc verbo, conſuetudinique potius ad intelligendi facilitatem ſerviamus, quam cum ambiguitate Latinitati, quae *mores* appellat, quem *characterem* vocant: in eorum igitur charactere, pulcerrime expreſſo in Periclea apud Thucydidem (II, 35.-46.) Oratione, ponitur etiam τὸ φιλοκαλεῖν μετ' εὐτελείας & φιλοσοφεῖν ἄνευ μαλακίας: quorum illud ineſt in ſtudio rerum pulcrarum, quod in omnibus ſermonibus & vitae actionibus, in omni denique cultu, in aedificando, in ſupellectili ad vitae uſum, ſpeciem humanitati aptam, & liberaliter oblectantem ſenſus animosque humanos, ſequitur; hoc autem, τὸ φιλοσοφεῖν, in artibus diſcendis & exercendis, quibus ingenium acuitur ad judicium recti, honeſti, apti, & pulcri in rebus humanis omnibus. Neque enim tum Athenis illa, quam nos dicimus, Philoſophia exercebatur in ſcholis, aut populi erat, quem ea ſemper refugit, nuper admodum advecta per Anaxagoram, qui captus Athenienſi φιλοκαλίᾳ tum, cum literas ibi diſcebat adoleſcens, e patria, Jonia, in quam reverterat philoſophiae diſcendae cauſa, ſedem fortunarum Athenas tranſtulerat.

Ne autem temere magis & caſu, quam ratione & conſilio Periclem, ſapientiſſimum virum, ea conjun-

xiſſe putemus, in exprimendo populi Athenienſis charactere; intelligendum eſt, ea eſſe ita conjuncta natura, ut alterum ab altero ducatur, nec τὸ φιλοκαλεῖν, quod vere dicatur, vel in ſingulis, vel in univerſis exiſtere poſſit aut conſiſtere, niſi τὸ φιλοσοφεῖν ita praeceſſerit in inſtitutis populi, ut in mores quam plurimorum abiret, ac paene dixerim omnium. Barbaras quidem gentes, videmus, aut omni ſenſu & amore pulcri carere, aut, ſi quam ſibi ſpeciem pulcritudinis, capti nominis dulcedine, fingere audeant, eam ita abhorrere a vera naturalique ratione & norma, ut nihil ſit aliud, quam arguta quaedam aut ſumtuoſa deformitas: in eoque eſt pars characteris barbarici. Ad Romanos porro, quis neſcit, & ſenſum verum & amorem pulcri, in primisque facultatem aliquam pulcritudinis conſequendae, non prius veniſſe, quam, cum exemplis pulcritudinis verae, literae a Graecis ad eos tranſire coepiſſent, nec eos unquam attingere Graecorum elegantiam potuiſſe, quod ſtudium artium & literarum imitari, aequare certe, nec vellent nec poſſent (*): denique, ſi qui in genere aliquo excellenter verſati ſint, eos omnes ſe totos in eo ad ſtudium ſapientiae Graecorum more tractandae contuliſſe. Neque enim pulcritudinis ſenſus & ſtudium, ut veriſſime ait noſtri ſaeculi ſcriptor (**), tranſit ad alios, niſi cum guſtu literarum bonarum & verae ſapientiae, nec ſupra guſtus hujus modum. Apud Athenienſes autem, ſatis conſtat, hanc publicae diſciplinae partem fuiſſe, ut ingenua juventus omnium artium liberalium praecepta, quem orbem artium vocabant, diſceret, non ſic, ut excellere quisque poſſet, ſed ne ab iis rudis eſſet, qualem Architectum ſuum eſſe vult Vitruvius, in praefatione extrema, poſſetque de operibus in genere quoque non abſurde judicare. Itaque nulla alia natio fuit in omni genere judicii, & in omnibus vitae partibus, elegantior & humanior: abiitque res velut in naturam populi & characterem ei proprium, quo inter alios populos eſſet inſignis.

Om-

(*) v. *Caylus Recueil d'Antiquités* T. I. p. 158.
(**) *le Roy Ruines de la Grece P. II.* p. 3.

Omnino characteres nationum non toti ingenerantur, ſed adſciſcuntur & miſcentur e natura locorum & vitae publicae privataeque genere, ſtudiis autem maxime iis, quae in gente quaque maxime dominantur, & a permultis cum praeclara exiſtimatione exercentur. Nam ſenſus & mores inde nati in ipſis, qui ea proprie tractant, aditum ſibi faciunt paulatim in ceterorum animos & mores, transferunturque ſermonibus, exemplis, & omnibus aliis viis, quas natura plurimas ad mentes hominum patefecit. Carthaginienſes fraudulenti erant & mendaces: dominabatur enim mercaturae ſtudium. Non omnes mercatores: at conſuetudine cum mercatoribus & multis variisque mercatorum & advenarum ſermonibus ad ſtudium fallendi quaeſtus cauſa vocabantur, ut ait Cicero Agrar. II. 25. Noſtri autem Saxones, ante invecta & multiplicata literarum & doctrinarum ſtudia quales fuere? Fortes, laborioſi praeter ceteros, ſimplices: ſed rudes, aſperi, belli artibus aptiores quam pacis. Non multum his detraxerant illa doctrinarum initia a Pragenſibus allata. Nam & tenuia fuerant, nec minus ruditatis & aſperitatis habuerant, quam homines ipſi. At poſt exortum illud novum literarum ſeculum, tot ſcholis literarum bonarum per oppida omnia hortatu Principum patefactis, illisque tot ac tantis incitamentis honeſtae paupertati a Principibus ſapientiſſimis in Scholis principalibus, in utraque Academia propoſitis, cum ex omnibus partibus convolaſſent, quicunque ingenio confiderent, ad accipiendum hunc novum cultum, eſſetque tanta copia effecta literis operantium, unde etiam ad exteros redundare aliquid poſſet, Patria denique noſtra ſedes bonarum literarum communis in Germania eſſet, quae commutatio facta eſt? Non profecto, quae bona ea, quae dixi, in vitia contraria verteret; ſed quae cultum humanitatis, elegantiae adderet: quae demeret rudis vetuſtatis aſperitatem ſermoni, moribus privatis, publicis, acueretque ingenia ad inveniendum, & ad emendandum, in omni genere vitae atque artium. Non minus fortes nunc ſunt milites ſub bonis ducibus, etiamſi niteant: labor idem, ſed ingenioſior, & ingenio ſuo uberior, denique ipſa ubertate

G 5 inflam-

inflammatior: ſimplicitas par, ſed quae abſit ab ruſticitate, & habeat aliquid vel lenitatis vel gratiae. Et ne quis haec aliunde, quam ab ea, quam diximus, cauſa ducenda putet, adeat regiones eas: nec longe abierit: in quibus rarae ſunt literae, aut in minori honore, aut minor frequentia colentium, & quae forma ingeniorum, qui ſenſus, qui mores, quae vita ſit, inſpiciat; & neget, ſi poterit, intereſſe plurimum. Sed invidioſum fuerit apud exteros, haec planius & latius dicere, quorum invidiam ſatis ſuperioribus annis ſenſimus. At nos haec non dicimus oſtentationis inutilis cauſa, ſed ut ſapientiam Principum noſtrorum & liberalitatem commendemus ad gratiam popularium noſtrorum. Et ſunt alia, quae citra invidiam dici hanc in partem praedicarique poſſint.

Ac primum, quis dubitet, multitudinem eorum, qui literarum & doctrinae ſtudia ſecuti ſunt, hoc habere commodi, ut copia ſit in quoque genere, ex qua delectus fieri poſſit in partibus reipublicae mandandis. Vero enim ſimilius eſt, in magno numero eſſe idoneos multos, quam in parvo. Nec enim paucitas neceſſario bona eſt. Qui merces emtum eunt, emporia & tabernas ſequuntur potius, in quibus maxima generis cujusque copia eſt, ut delectus ſit, quam ubi paucitas mercium emtionem aut tollit, aut in eos fines cogit, ut etiam parum bonas merces emere neceſſe ſit, ſi vacui abire nolint. Paucitas autem diſcentium ea, quae eſt a paupertate & publica parſimonia, etiam periculoſa eſt. Nec enim rei familiaris copia largitur ingenium, aut incendit animos ad diſcendum, aut laborioſos neceſſario facit: optime agitur, ſi non alia omnia. Opifices fere ignavos ipſa paucitas & ſecuros reddit: vident enim opera ſua neceſſario utendum eſſe. Paucitatem ſtudioſorum hanc vim non habituram exiſtimemus? Quam multa autem praeclara ingenia, quae patriae literisque profuerunt plurimum, deleta fuiſſent, ſi liberalitas publica non allexiſſet ad diſcendum & in diſcendo ſuſtentaſſet? In iis quidem, qui utramque Academiam noſtram Eccleſiamque Saxonicam, ut ceteras reipublicae partes mittam, maxime ornarunt, paucos reperiemus fuiſſe, qui ſe his ſubſidiis nixos

xos ad eum, quem tenerent locum, negarent adſcendiſſe.

Nec in illa multitudine eruditorum, praeſertim quae ex hoc genere naſcitur, exigua vis eſt ad fidem erga Principes eam, quae benivolentiae radicibus haereat, & amoris velut ſucco dulci nutriatur & roboretur potius, quam neceſſitate & timore teneatur. Nos quidem exiſtimamus, in illa, ſuperiori in primis bello, tam clare ſpectata fide popularium noſtrorum erga afflictam Domum Auguſtam, officio & caritate potius nixa, quam ab metu aut vanitate inutili orta, quae ipſa ut character quidam proprius inſignem facit patriam noſtram, in ea igitur etſi plurimum perpetuam & propriam illam Principum noſtrorum lenitatem, manſuetudinem, humanitatem, quae rempublicam noſtram libertati ſimiliorem quam imperio facit, tamen etiam illam publicam in eo, de quo dicimus, genere, liberalitatem valuiſſe, quae per duo amplius ſecula quotannis ab ſe demiſit magnum numerum eorum, qui beneficiis ſuis incenſi, praecones fidei erga Principes & caritatis per omnem vitam eſſent, & ſuum ſenſum, in fruendis beneficiis ſuſceptum, in fortunarum ſuarum, ab illo fonte ductarum, uſu firmatum, transfunderent in mentes ſuorum omnium.

At in illa multitudine multos & fuiſſe ſcimus, & futuros credibile eſt, qui vix, ſi tamen vix, ad mediocritatem aliquam profecerint, etiam qui fruſtra conſumſerint liberalitatem publicam. Fuerint vero, & ſint poſthaec. Nec olim ſperatum eſt amplius, nec ſperemus. Nec enim in ullo alio genere, nec in paucitate, plus ſperatur aut ſperari poteſt. Et ſatis eſt in multis, mediocritatem attigiſſe. Non omnes, qui arma tractant apud laniſtam, ad magiſtri perfectionem venire opus eſt: nec, qui ſaltare diſcunt, omnes commode ſaltant, aut ſaltatores fiunt: nec enim aut ſpectatur hoc, aut fieri poteſt, aut neceſſe eſt. Utcunque didicerint, tamen corporis liberalior ſpecies in ſeſſione, ſtatu, in inceſſu, & omni motu corporis, ex eo ludo relata eſt, quae non ſinit impenſam in eos magiſtros factam inutilem videri. Non profecto ſatis digne aeſtimamus bonum literarum, quae non modo perceptae

ceptae profunt, fed etiam ipfa difcendi exercitatione. Geometriae hoc fatentur effe, ut magis in difcendo profit, quam cum percepta eft, quod rebus ipfis plerumque nihil admodum opus eft, at illa intentior agitatio ingenii acuit ipfum, & incitat cogitandi percipiendique celeritatem. Sed eft hoc commune omnibus literis, praefertim his, quae proprie ingenio & linguae deftinatae funt, humaniores vocamus, ut varie agitent ingenia, & per illam ipfam exercitationem relinquant quaedam fui veftigia, quae animadverti in multis actionibus vitae poffint, etiamfi ipfae non admodum perceptae fint. Et funt multa in republica minifteria, quae per tales rectius, quam per alios curentur. Fama nuper, in conventu Ordinum Dresdae, tulit, Principem optimum in fermone quodam dixiffe, fua voluntate ne in fcribis quidem locum habiturum, qui expers literarum effet: &, quia nec abhorrebat ab ingenio & fenfu ejus, nec ab re & ratione, credita eft & placuit. Exiftimabant homines, honeftius & utilius, ut olim, rationem haberi eorum, qui non omnino rudes effent literarum, etfi non valde docti, quam fervilibus minifteriis & ingeniis omnia compleri.

Sed definamus in eo, in quo coepimus, in mentione Principis, cujus & Majorum & ipfius fenfum & judicium & liberalem voluntatem defendimus & laudavimus. Sed quantilla pars laudum ei debitarum haec eft, quod congregationes difcentium literas copiofiffimas effe, & ei copiae inter cives fuos fuftentandae deftinata fubfidia confervari voluit & juffit; quam voluntatem etiam mortui, fi vere vivum amavimus, valituram fperamus. Quantus reftat campus laudum plurimarum & maximarum, quibus cognofcendis & ponderandis, quantam jacturam fecerimus in morte Principis optimi, &, audeamus enim proloqui, cariffimi, intelligi poteft. Sed hunc campum decurrendum relinquimus Oratori Academiae, Jo. Augufto Ernefti, cui fenfus admirationis, caritatis & pietatis noftrae adverfus Principis tanti memoriam, interpretandos mandavimus. Hunc igitur pietâtis nostrae interpretem ut cras, in Aede Paulina, benigne audire, & ejus rei caufa in Aede S. Nicolai hora IX.

fre-

frequentes, ad pompam illuc deducendam, convenire velitis, Illustrissimi Comites, Utriusque Civitatis Proceres, ceterique Hospites ac Cives generosissimi, doctissimi, nobilissimi, ut supra diximus, non, quia opus est, sed quia ita decet, etiam atque etiam rogamus. Et quoniam a meridie eadem in aede nostra, hor. II. Venerandus Ordinis Theologici Decanus, Jo. Fridericus Bahrdius, & memoriae Principis ornandae, & per eam jacturam excitandae securitatis nostrae caussa super *Ps. LXXX*, 20. concionabitur, huic quoque ut vos in audiendo frequentes, & multo magis dociles praebeatis, hortamur. P. P. Dom. V. p. Epiph. a. C. CIƆIƆCCLXIIII.

ORATIO
IN
EXSEQUIIS
FRIDERICI CHRISTIANI
PR. ELECTORIS SAXONIAE
DICTA
A. D. VI. FEBR. A. C. CIↃIↃCCLXIV.

Non hoc tali tempore, nec ſic, inter lugubria omnia, me vel auditurum eſſe, vel ipſum praedicaturum laudes Principis novi putabam, Auditores, cum ejus laudandi tempus aliud & alium locum fore, nuper, inter Parentis laudes, dicebam. (*) Qui colorem oris & vigorem coram ipſe, ſumma cum voluptate, ſpectaram, qualis eſt optime, & cum ſpe longa, valentium, quomodo in hunc timorem, in hanc vel cogitationem vel ſuſpicionem incidiſſem; praeſertim in illa tantae gratulationis novitate, & laetitiae vi tanta, quae animum totum ita tenebat occupatum, ut omnem triſtiorem cogitationem, etiam cujus perſpicua cauſa ſubeſſet, plane excluderet, nec ulla tali ſuſpicione inquinari ſe pateretur. Sed obverſabatur animo ſpecies & cogitatio diei, ſi Deus ſpei nos-

(*) In Proluſione Orationis dictae in Exſequiis Friderici Auguſti, Regis, quam ſubjecimus.

noſtrae votorumque noſtrorum pietati annuiſſet, Civitati huic poſt multa ſecula laetiſſimi, quo, fide Principi novo religioſiſſime cupidiſſimeque jurata, adſpectus animique paterni ſenſu ac dulcedine pleni, ac paene dicam ebrii, effunderemur in laudes, quas non ingenii per artes uſitatas ſollicitati ſollertia reperiſſet, ſed laetantis animi ardor, & pectoris, ſenſus ſuos profundere nitentis, impetus ſubjiceret.

Sed haec ſpes & haec laetitiae tanta imago, cujus etiam memoria nos & umbra delectat, heu! ſine re & eventu evanuit, erepto nobis ante diem Principe, quem Deo placuit nobis, patriae, ah! miſerae patriae, magis ad breviſſimi temporis fructum monſtrare, quam ad diuturnae poſſeſſionis uſum donare. Itaque tota laudandi ratio non modo converſa eſt, cum inter publicos luctus ſuſcipiatur, ſed etiam vehementer debilitata jacet. Nam & ingenii qualiscunque quamvis acris contentio frangitur mali magnitudine, & artem obſtupefacit ipſam doloris noſtri acerbitas, motus denique animi, laudibus Principis maximis incenſi, langueſcunt ab aſſidue incurſante moerore noſtro, cujus publicae eaedemque graviſſimae cauſae etiam propriis cumulantur.

Ita deſtitutum ab iis rebus, quibus in dicendo maxime ſuſtinentur oratores, res ſublevant duae, quae, neſcio, an alia in cauſa, aliaque perſona oratione tractanda, contigerint multis, paene dicam ulli. Nam primum ad dicendum liber venio, ſolutusque vinculis omnibus, quibus ſaepe ita conſtringitur dicentis animus, & oratio timefacta contrahitur, ut explicare vim ſuam copiasque nullo modo poſſit. Nec timendum mihi video, ne res laudando ſupra verum extuliſſe videar, & adulationis invidiam ſubeam; nec, ne propter inſcitiam dicendi, parce nimis & infra meritum ornaſſe exiſtimer. Ac videte, quo rem deducat fiducia noſtra. Si mihi vel propter rerum laudandarum inopiam tenuitatemque neceſſe eſſet, vel propter vanitatem aut levitatem ingenii luberet, in Principe ornando adulatione uti, nec modo ingenioſa illa & callida, quae veritatis inſignia didicit accommodare mendacio, ſed etiam aperta, quae nullas latebras ſubit, nulla ſibi involucra circumdat, quorum alterum

lon-

longiſſime abeſt ab illius magnitudine, alterum ab meae naturae pudore: tamen confiderem, vos omnia, quae dicerem, probaturos abunde, omnia liquido veritati data judicaturos eſſe. Tantam ſcio eſſe omnium de virtutibus illius opinionem, tantum omnium adverſus illum & laudes ejus favorem, ut nihil tantum dici poſſit, quod non longe exſuperet opinionis veſtrae, favorisque communis magnitudo. Veriſſime arbitror me hoc dicere, quod nec poſſit quisquam, repetens omnium aetatum memoriam, refellere, perpaucos omni memoria principes ſuſcepiſſe imperium pari ſuorum omnium favore, majori quidem nullum. Etenim recordamini, qui tum ſermones omnium, quae vota, quae ſpes, quae laetitia fuerit. Laetitiam quidem tantam fuiſſe vidimus, meminimus, quae etiam acerrimum & juſtiſſimum e morte Parentis dolorem obrueret, quam animi hominum vix caperent: ſpes autem meliorum poſt tanta mala temporum, & felicitatis publicae per ipſum reſtituendae tanta, quae etiam ſpei modum excederet, quae non jam ſpes, ſed res ipſa videretur. Sic porro loquebantur homines, ſic inter ſe ſermocinabantur, ut, aut hoc Principe meliora tempora, aut nunquam fore, dicerent. Vota denique pro illius ſalute & felicitate tam vera, tam integra, faciebamus, ſtudio etiam tanto, quanto vix pro ſe quisquam facere poſſet. In hoc tanto omnium favore, qui etiam incenſus eſt morte ejus praematura, & cumulatur ipſa doloris noſtri acerbitate, cum locus acceſſioni nullus relictus putaretur, quid dici poteſt tantum, quod ab fide abhorrere, quod non minus ipſius meritis videatur. Itaque quod maxime optandum eſt de laudibus alicujus dicturis, ut prodeuntes in eum, unde verba faciant, locum comitem habeant audientium favorem, cujus blanda ſuffragatione, ad fidem & ad gratiam commendetur oratio, id mihi ad dicendum de laudibus Friderici Chriſtiani progreſſo, praeter ceteros omnes, qui unquam in tali cauſa verba fecere, contigiſſe confido & gaudeo.

Quamquam mihi ad fidem faciendam nequaquam opus eſt favore veſtro. Etenim, quod alterum habeo in dicendo adjumentum praecipuum, laudes ejus non ſunt eae, quae levibus conjecturis pendantur, aut ab

ſignis

ſignis ambiguis obſcurisque ducantur, aut denique dicentis arte & ingenio judicentur. Non ego uſitatis laudantium artibus utar: non fatigabo vos aſſidue interrogando, quid illo ſapientius, quid doctius, quid prudentius, quid liberalius fuerit? Nec ad trita vos locorum communium deverticula vocabo. Nihil niſi res certae, & vel per memet ipſum, vel per certos teſtes, & literas publicas cognitae proferentur: in quibus ornandis nullum ingenii acumen, nulla dicendi vis & copia, quibus rebus me carere ſentio & fateor, requiratur, quae ſimpliciter & fideliter narrata, egregie copioſeque ornata videantur. Nihil niſi Principem ipſum dicemus; in eo uno omnis verſabitur & defixa haerebit oratio. Atque etiam fortunam omnem ex oratione mea & cogitatione ſemovebo. Itaque non generis ac domus paternae antiquitatem, nobilitatem & gloriam, non cetera his ſimilia ad laudem ejus vel accommodare, vel torquere dicendo conabor; quae ipſe, etſi non contemnebat, ſed divina bona ducebat, tamen non in ſuis proprie, certe in minimis, numerabat. Unam adeo partem ejus tantum amplectar atque tenebo, & quibus terminis Deo viſum eſt principatum ejus circumſcribere, eosdem orationi meae circumdare decrevi. Et ſic quoque vereor, ne amplior ſit materia, quam ut unius quamvis longae orationis finibus poſſit comprehendi. Nam profecto haec tanta illius temporis brevitas tantam habuit ſapienter dictorum, ſalutariter inſtitutorum, decretorum & factorum copiam, ut, ſi quis ea accurate deſcripta literis prodiderit, poſteri, ſe non duorum menſium res, ſed longi temporis annales legere, exiſtimaturi videantur.

Sed ut inde maxime ducatur & commendetur oratio noſtra, unde tot ac tanta illa tam brevis temporis bona & fluxerunt, & veriſſimum ac plane regale decus habuerunt, habebuntque perpetuo; primum omnium pectus Principis Optimi aperiam, ejus habitum, ſenſus, vim, motusque ſpectandos proponam. Adeſte animis, Auditores, adeſte ad hauriendum ſenſibus ſpectaculum humaniſſimum, pulcerrimum, ſuaviſſimum: nihil ei ſimile aut par vos ſpectaſſe & ſentietis & fatebimini.

Atque ut haec ſuſpenſa in medio corpore noſtro

cordis admirabilis machina duplicem habet naturam, alteram teneram & mollem, alteram, in qua est firmitas & vis, valens ad sanguinem expellendum, per totumque corpus diducendum, & ad motus perennitatem, per omnesque partes corporis propagationem: sic, in illo Principis Optimi pectore, teneritudini, quae admirabiles & pulcerrimos sensus haberet, par inerat robur, a quo generosi & vitales reipublicae corpori motus vel ducerentur, vel sustentarentur, quibus tota haec reipublicae machina, cum summa partium omnium salute & admirabili concentu, regeretur. Mollis adversus aliena, praesertim publica patriae mala, adversus preces miserorum & laborantium, adversus miserias & aerumnas infimorum; idem adversus sua incommoda & mala, etiam adversus injurias, firmus reperiebatur. Sensus recti, honesti, pulcri erat acerrimus: studium par. Amore virtutis & probitatis incensus, non minori odio vitii & improborum tenebatur. Movebatur laude justa, quam praesertim bene merendo quaesisset, sed magis, quam in iis, quae fecisset, quibus profuisset, videret, quam laudantium verbis audiret: voçes assentatorum, aures, inanem gloriae speciem, animus, oculi repudiabant. Nihil tam cupiebat, quam in publicum bene consulere, etiam singulis, quos dignos cognovisset: nihil tam gaudebat, quam consuluisse: nihil tam dolebat, quam cum voluntate minor esset facultas. Omnibus hominum ordinibus, omnibus artibus publice privatimque utilibus, omnibus reipublicae partibus favorem, benivolentiam, curam aequabat. In magna sapientia & optimae voluntatis conscientia, verecunda sui fiducia erat: denique Principem agere malebat parentis affectu & tutoris cura, quam domini vi & potestate, in qua nihil nisi bonitatis & justitiae instrumentum sibi divinitus creditum judicabat.

Hic habitus pectoris, Auditores, hi sensus fuere; quibus quid majus, quid pulcrius, quid amabilius esse potest? Ac ne quis putet, hanc quasi picturam non tam ab exemplo vero Principis ipsius fideliter ductam esse, quam exempli causa effictam ingenio & arte compositam: sicut Zeuxin, ajunt, in unam Veneris speciem partes muliebris pulcritudinis omnes contulisse,

ſe, ut perfectae pulcritudinis muliebris ſpecies extaret: age, ipſas veluti partes divini pectoris & fibras proferamus, a quibus omnia in illam noſtram veluti tabulam congeſſimus.

An autem ſumus obliti? quomodo vero obliti ſimus? quod ultima poſteritas noſtra, ſi nobis, ut ſperamus, digna, hoc eſt, grata adverſus illum Parentem noſtrum erit, commemorabit? obliti ergo ſumus, quo animo Princeps Optimus fuerit in noſtris per nuperum bellum malis? quam ſaepe iis ingemuerit, & noſtris doloribus doluerit? praeſens, abſens ſuccurrerit miſeris, aeque dolendo, conſulendo, ſupra vires juvando; cum de ſuis ſibi neceſſitatibus detraheret, quae laborantibus daret, veniente in partes doloris, curae, benignitatis, ejusdem ſenſus & animi conjuge celſiſſima, Antonia, ſub cujus manibus etiam multiplicari, quae darentur, & gratiora fieri videbantur. Quid? cujus pectoris fuit, cum, poſt liberatam primum Dresdam, ſecuritatem in Bohemis & Bavaris petiſſet, impulſu haud dubie Dei, parcere volentis Principis Optimi oculis, auribus, animo, ne praeſens in illo terrore cum ſuis trepidaret, & illam diram ſtragem ſenſibus hauriret: cujus ergo, quam mollis adverſus dolores noſtros, fortis adverſus ſuos pectoris fuit, requirenti ſe ac revocanti Patriae, in primis Dresdae, ut aliquid, ex ipſius & Antoniae adſpectu, ſaltem ſolatii, conſiliis levamenti caperet, annuere, in media pericula belli redire, ubi nihil boni ipſe, nihil laetum ſibi audiret, videret, nihil niſi voces, lacrimas, quales eſſe liberorum, parentes caros, poſt longam abſentiam, ex inopinato, inter magna mala, recipientium, ſolent? Quis autem non audivit, quo vultu, ſermone, tum omnes exceperit, ſolatii, conſilii, auxilii ſui copiam voce, vultu, petentes? immo, quis etiam noſtrum non hic, ſtatim, illa ipſa hieme, ſenſit praeſentiam jam tum Parentis communis? Et ille nihil ſecum attulerat, praeter ſuum illud pectus, quod nobis pro ſolatio & levamento eſſe poſſet: nec nos aliud tum magis vel perfugium malorum, vel lenimentum dolorum expetebamus. An vero non ejusdem ſenſus veſtigia alte impreſſa vidimus in pulcerrima illa actione, quae Pacem in Villa Hubertina factam, etiam cum multis

& magnis ſuis, Domus ſuae, doloribus conciliavit; tantum ut miſeriarum noſtrarum ac dolorum finis fieret, quem tantopere omnes, ut unam malorum noſtrorum, ut erat, medicinam, expetebamus? Sed ego extra fines illius bimeſtris ſpatii me ſentio vagari: intra limites igitur redeamus.

Ibi vero in multis aliis, quae luculentam ſignificationem illius, quod propoſui, pectoris habuere, neſcio an pulcrius ſit eo, quod ſum commemoraturus. Me quidem ita incendit vel amore, vel admiratione animi paterni, ac prope dicam divini, ut nihil ſupra. In conventu ordinum nupero, cum poſtulata, quae ad rei militaris impenſas pertinerent, edita eſſent ea, quae longe excedere vires exhauſtae bello patriae viderentur, jactabantur primum, ſed ſine ſpe, querelae. Poſt, cum Fridericus Chriſtianus capeſſiviſſet Principatum, erigebantur ad ſpem omnes: neque enim animum Principis ignorabant, cui faceret injuriam, quisquis ab eo non omnia ſperaret. Fit deprecatio pro miſeris, in quos illa onera fere devolvuntur. Ecce de duodevicies centenis millibus una remiſſione deducuntur octies centena. Erat ſane liberalitas, quanta! quibus in terris ſperanda! Sed etiam reliqua videbantur graviora, quam pro temporum miſeria. Reditur ergo ad Principem, & ad preces iterum decurritur. Jubet primum rationes diligentiſſime iniri, ſi quid decedere etiam reliquae ſummae poſſit. Cum excuſſis rationibus nihil redundare conſtitiſſet: re agitata in Conſilio, Ego vero, inquit, ut paupertati & miſeriae hominum parcatur, de meo addam, quae ſalvis iis negant exigi poſſe: quae erat pecunia grandis. Arbitror, vos non dubitare, ex quo fonte ea fluxerint. Sed, ut magis intelligatis, haec dum pronunciat Princeps Optimus, dum per os ejus it pauperum & miſerorum nomen, etiam lacrimae incipiunt prorumpere. Quoties autem poſt de hoc conſilio ſuo loquebatur, ita ex ore, vocis ſono, verbis, laetitia liberalis pectoris eminebat, ut non dediſſe, ſed accepiſſe beneficium videretur, eſſetque in promtu, haud paullo plus eum laetari tantae pecuniae remiſſione, quam gaviſurus eſſet, ſi, in magnis pecuniae, quales tum erant, anguſtiis, non tantundem, ſed longe plus ſibi pernumeratum videret.

Quid

Quid poteſt eſſe in homine tali pectore divinius? quid vero etiam Principe dignius, quo nihil magis inter homines ad majeſtatem divinam, cujus etiam perſonam in terris ſuſtinet, accedit.

Sed ejus benivolentia, benignitas, cura, non unius hominum generis, non unius reipublicae partis anguſtiis continebatur, ſed, divinae exemplo, ad omnes pariter extendebatur: nec ullam partem parvam aut ipſe putabat, aut aliis videri volēbat: didiceratque id, quod eſt difficillimum & rariſſimum, magnitudinem cujusque partis non ſpecie ſed re aeſtimare, omnium utilitates conjungere, & ad pulcerrimam concordiam, cum ſalute omnium, redigere. Nec ſuum modo hunc ſenſum eſſe, ſed etiam ſuorum, ſed publicum volebat. Itaque etiam ſuam cuique artem, ſuam cuique operam, quam reipublicae navaret, volebat eſſe commendatiſſimam, ſed ſine contemtu aut incommodo alterius. Nam & natura nullum eſt inter artes, aut reipublicae partes ac munera diſſidium, ſed vanitas humana, vel inani ſpecie decepta, vel pravitate cupiditatis ſuae incenſa, induxit. Et ipſa natura non in magnis modo & illuſtribus mundi partibus vim ſuam & copiam expromſit, ſed etiam in iis, quae parvae appellantur magis, quam ſunt, in quibus etiam artificio ſuo & ornatu commendandis ita prope ambitioſe elaboravit, ut, quemadmodum Plinius ait, nusquam magis, quam in minimis, tota conſpiciatur. Honorabat ergo pacis artes omnes, quas ipſe intelligebat pulcerrime, & tractabat diligentiſſime: ſed non minus bellicas, quas etiam edicto, de quo poſtea dicemus, ornavit & commendavit. A ſtudiis doctrinae & ſapientiae exorſus, ad infima quaeque, ad rem usque ruſticam deſcendebat providentia & cura ſua, cupiebatque hanc quoque in honorem adducere, dignam videri, priſco more, nobilium, ingenioſorum ſtudiis, commendari juventuti, inprimis noſtrae, doctrina publica: veriſſime exiſtimans, nullas honeſtiores eſſe copias, quam quas terrae liberalitas, honeſtiorum hominum ingeniis & artibus innoxiis evocata, largiretur, feliciſſimum autem earum rerum cultum, qui ingeniis nobiliſſimi & doctiſſimi cujusque regeretur & juvaretur: quippe honeſtis, ut manibus, ita ingeniis, omnia laetius pro-

veniunt, quia & liberalius curantur. Hunc autem talem ſenſum & animum Principis, non modo Optimi, ut ſaepe appellavimus, ſed profecto etiam, & hac, & multis aliis de cauſis, quas poſtea commemorabimus, nec noſtro nunc modo amantium ſtudio, ſed omnis poſteritatis ſevere judicantis ſententia, futuri Maximi, quomodo ſatis, propter ſalubritatem amare, propter magnitudinem autem praedicare & admirari poterimus? vel denique, quod ipſe, pro ſenſu ſuo, mallet, ſi viveret, ſuſcipiendum animis, & imbibendum penitus, & tradendum noſtris, commendare? Huc, huc adeſte, in hujus talis ſenſus pulcerrimam, &, ut ſperamus, efficaciſſimam diſciplinam, vos tradite, quicunque partem aliquam vel reipublicae adminiſtrandam, vel doctrinae colendam ſuſcepiſtis. Principalis, hoc eſt, magni animi eſt, non unam tuam partem ita amare, ita amplecti, ut aliam vel contemnas, vel tuae juvandae & ornandae cauſa premas, non tuae contra alias favere. Ne certent igitur artes pacis & belli, ſed ſorores ſe pari jure ducant, neu fiſcus aut aerarium ſe ſolam Principis, publicam, utilitatem appellet, & pugnet contra privatorum jura, quae parem in illius utilitatis ratione tenent locum, ſi credimus Friderico Chriſtiano noſtro (odio autem noſtro dignus eſt, huic qui non credit) qui in juribus ſingulorum tuendis, primum, & ſine ulla exceptione neceſſarium Principis officium poſitum eſſe fatebatur: nec, ut de nobis potius dicam, certamen inducatur inter utilitatem Academicam & Urbanam, aut inter artium diſciplinas, ut altera alteram vel minuere vel obſcurare laboret. Anguſtus animus eſt, qui unius modo partis vel intelligentiam vel amorem capere poteſt: magni amplitudo omnes amplectitur amore, favore, ſtudio. Suſcipiamus ergo animum illum potius Parentis nuper Communis, ſi cum ſenſu ſic appellavimus, ſi digni ejus liberi & genuini eſſe volumus, illam, quam in literis appellare ſoleo popularitatem, popularitatem civilem, inquam, & eruditam, ſpiritum, ut Britanni vocant, publicum, qui omnia reipublicae adminiſtrandae genera, omnes ordines, omnes artes unius corporis membra ducit, & omnium ſalutem, utilitatem, decus, ob oculos habet, ſtu-

diis,

diis, voluntate, actione conjungit atque confundit, & hunc talem animum liberis, discipulis nostris, inspiremus, efficiamusque, ut posteri hanc quoque partem ingenii Saxonici, ejusque auctorem Fridericum Christianum ferant.

Omnino, Auditores, verae magnitudinis lumen semper paucorum acies videre, vel etiam ferre potuit, quod vel opinionum stultarum caligines, vel rerum levissimarum, voluptatis, pecuniae, sordida cupiditas, vel denique honorum, magnificentiae, & omnium nugarum pretiosarum splendor inanis, animos plerosque nimis oppletos teneret. Sed si veram speciem ejus & formam quisquam plane vidit, perspexit, animoque concepit, is profecto Princeps ille noster fuit: adeo multis, certis & perspicuis dictis, decretis, factis declaravit, nullam se veram & Principe dignam magnitudinem judicare & petere, quae sensibus corporeis caperetur ac teneretur, quam admirarentur stulti, contemnerent sapientes, cujus posteritas nullam partem videret, quam, si videret, laudare non posset, forte etiam rideret. Intelligi volebat, veram magnitudinem, id est, suam, quam ipse animo contueretur, & agendo persequeretur, non oculis cerni, sed pariter intelligi ab omnibus, praesentibus, absentibus ac futuris. Itaque talibus rebus & institutis eam persequebatur, quorum vim & magnitudinem recta mens sola perspiceret, omnes, & qui nunc sunt, & qui postea futuri sunt, viderent atque sentirent: cui nihil detraheret opinionum ac morum varietas, nihil temporum ultima vetustas: quam ipsa diuturnitas tueretur, & longinquitas temporum augeret, vetustatis ipsa obscuritas illustraret. In quo quam subtiliter, etiam quam sapienter judicarit, si voletis attendere, facile intelligetis. Nam omnis verae magnitudinis unum exemplar verum divinae majestatis magnitudinem intelligere, agnoscere, & probare mens recte judicans potest; quam primum totam invisibilem, sola mens cogitando contuetur, deinde cernit in bonitate & justitia, quae potestatis infinitae instrumento mundi partes omnes, maximas, minimas, amplectuntur ac tuentur. Haec ipsa immensa mundi machina magnitudinem suam, quae maxime proposita corporis oculis

videtur, tamen ſolis mentis oculis oſtentat per inadſpectabilia veſtigia virtutis divinae: a beſtiis nec cerni vult, nec cernitur. Sed a Friderico Chriſtiano videmur recedere: igitur ad eum redeamus: quamquam in mediis ſenſibus ejus verſamur, in quibus maxime, ac prope dicam ſolis, verus Fridericus Chriſtianus ineſt.

Ad illam igitur veram magnitudinis ſpeciem ac normam dirigens imitandi curam, magnificos illos ſenſus ſuſcepit, & formavit, & aluit. In quo, quis dubitare poteſt, in ſocietatem operis veniſſe vim divinam ipſam, quae ſe tum maxime infundit mentibus humanis, cum eam maxime contuentur, & in ejus ſimilitudine ad ſe traducenda laborant: praeſertim, cum animum haberet etiam ſenſu pietatis adverſus Deum veriſſimae & reverentiae ſanctiſſimae imbutum; unde illa etiam, quam ſupra demonſtravi, pulcerrima de ſe exiſtimantis ac judicantis verecundia nata erat, in qua magna pars eſt verae pietatis, omninoque perpetua officii divini & humani mixtura. Non dubitabat fateri, majus eſſe ſua unius ſapientia opus, bene rempublicam, praeſertim his temporibus, gubernare: Dei auxilio ſibi vehementer opus eſſe: quotidieque Deum ſe rogare dicebat, ut ſibi monſtraret, quicunque eſſent ea ſcientia praediti, ut poſſent, ea autem integritate, ut vellent, quam reipublicae partem adminiſtrandam accepiſſent, eam bene fideliterque curare, ut iis ad utilitatem publicam uti, iis honorem habere ac bene facere poſſet. Nec ea vota ita faciebat, ut rem ad felicem caſum & fortunam referret, ſed ne in quaerendo & judicando, etiam cum omnem diligentiam adhiberet, tamen aberraret; quod etiam ſapientiſſimae diligentiae quam facile accidit? praeſertim in illa Principum fortuna, quae tantopere patet inſidiis, bonitatem & facilitatem eorum per omnes ſimulandi ac diſſimulandi artes captantium, & in illa ipſius integritate, quae tanto erat proclivior ad alios ex ingenio ſuo fingendos, quanto ipſa verior erat & major.

Enimvero, quos tales in aliquo genere, quales vellet, hoc eſt, quales poſceret uſus publicus, cognoverat, uſuque probarat, quomodo tractabat? qua hu-

humanitate? qua comitate? qua benivolentia complectebatur? qua propemodum reverentia colebat? Nam rempublicam ipſam in iis amare, &, cum iis honorem haberet, artibus, doctrinae, ſapientiae, fidei, virtuti ipſi honorem ſe habere exiſtimabat: quae res apud eum erant ſummae. Itaque etiam facilius eos in ſuos ſenſus formabat, & reverentia ſui vera implebat, amore denique adverſus ſe acerrimo incendebat, atque ita fidem eorum novis quotidie & caris vinculis adſtringebat. Ego quidem audivi plures ex eo genere ita de illo vivo & mortuo loqui, ita vidi ſcripſiſſe, ut ardor quidam amoris eluceret, qualis eſt in ferventis amoris juvenilis novitate, ita de partibus reipublicae omnibus dicere, ut omnes illius ſenſus arripuiſſe, omnibus ejus ſtudiis inflammatos eſſe appareret. Omnino habebat artificium admirabile ſenſuum ſuorum ſtudiorumque inſpirandorum, quibus vellet. Et ea erat diſciplina, ſine vi efficaciſſima, ſine arte ſollertiſſima. Hic vere, ut ajunt, amor docebat, amor diſcebat: quamquam hoc etiam latius patuit. Nam nos omnes eum amavimus & amamus, ſupra quam dici poteſt: at ille nos ſupra, quam optari poterat. Nihil dicam de Decretis & Edictis, per illos duos menſes editis, quae videmus pleraque habere praefationes eas, quas amor in nos acerrimus excogitaſſe, & ſuo melle imbuiſſe videatur; quibus nihil ſimile nos nec audivimus nec legimus: in miſſione ordinum, quibus verbis audivimus eum accipere, quae decreta eſſent? quibus gratias agere ordinibus, quibus dimittere denique ad ſuos? Ita Dominum, Patrem, paene Amicum Patriae, omnium, mixtum & confuſum ſentires, ut, quem audires maxime, vix decerneres: ſed illius tamen tam felicis & ſuavis mixturae inventor & artifex eminebat Amor.

Nondum dixi de amore literarum & artium omnium, de quo vobis primo loco dicere debuiſſe videar: quod nullus alius Principis ſenſus, in hoc conventu, & ad ſtudia noſtra aptius, & ad oblectationem jucundius videtur praedicari poſſe. Ego vero, qui mihi fines illos bimeſtres poſui, & ne hunc quidem campum emetiri poſſum, quid conſumam orationem in eo, quod nemo veſtrum ignorat, quod toties a me, ab

multis aliis animadverſum, ſpectatum, denique praedicatum eſt? Illud dicam, quod eſt huic tempori meo proprium: cum plures Saxonia noſtra habuerit Principes, propenſiſſima in literas & doctrinas voluntate ac liberalitate, nullum tamen habuiſſe, in quo eſſet tanta earum ſcientia. Hanc ille a praeceptoribus optimis olim hauſtam, quorum etiam memoriam cum ſumma benivolentia conſervabat, nos pariter, ut hominum optime de nobis meritorum, conſervare debemus, eam igitur lectione, multo cum doctis hominibus, domi, foris, uſu, auxerat & coluerat. Et ille omnem doctrinae ſcientiam non tam decoris cauſa adſciverat, quod ipſum honeſtum literis eſſet, honeſtum & ipſi, nec ad oſtentationem & vanitatem convertebat, quo ſemper nimis inclinavere Principum literis multis imbutorum ingenia, ſed eo, quo cetera omnia, hoc eſt, ad utilitatem publicam referebat. Exiſtimabat ad ſummam reipublicae pertinere, Principem in rebus iis, quae ſine literarum ſcientia nec intelligi nec judicari poſſent, quae ſunt ſane in republica multae & magnae, ſuis oculis videre, ipſum judicare poſſe, nec totum fieri debere judicii alieni: quod etiam abhorrere a dignitate Principis planum eſt.

Sed dum literas & artes, praeſertim eas, quas pulcras vocat Francica conſuetudo, quae vel ingenio & linguae, vel oculorum & aurium judicio acuendo ſerviunt; eas igitur dum tractaverat, per praecepta diſcendo, per exercitationes etiam agendo, multis denique artificum operibus, ingeniis, manibus, inter paternas & avitas talium deliciarum copias, in illa refertiſſima talibus operibus Italia, inprimisque Roma, cognoſcendis; acerrimum pulcri ſenſum in omnibus iis generibus traxerat, ut omnium talium operum ac rerum elegantiſſimus judex & eſſet & haberetur. Et erat ea ante ſuſceptum imperium non minima pars oblectandi otii in utraque fortuna. Enimvero, ut primum rempublicam ſuſceperat, &, prope omni, etiam neceſſaria oblectatione omiſſa, totum ſe ad curas publicas converterat, cum undique conquireret animo, quod valere ad utilitatem publicam poſſet, hic pulcri ſenſus & amor, ſua quoque haec tempora eſſe ratus, efferre aliquid ex ſe & efficere geſtiit, quod prodeſſet patriae,

patriae, non modo ingeniis hominum ad ſenſum talem acuendis, & ad pulcritudinem in operibus artificum omnium perſequendam, & per hoc decus patriae augendum, ſed etiam utilitates communes cumulandas. Id quibus inſtitutis conſequi voluerit, poſt dicemus.

Nunc autem, Auditores, quoniam pectus Friderici Chriſtiani ſpectaviſtis, omnes ejus ſenſus, certe pulcerrimum quemque, cognoviſtis: agite, videamus, quos, illis tot ac talibus plenum & incitatum ſenſibus pectus, motus novos habuerit, non modo ad ſalutem reipublicae, velut ſui corporis, tot malis morbis confecti, ſed etiam ad robur & ad pulcritudinem. Videbitis, ut ſpero, pectus illud fuiſſe, quod optimum & reipublicae ſaluberrimum Principem nobis fecerit, neminem unquam, ut magis praeparatum ab ſcientia, animo, voluntate ad imperandum acceſſiſſe, ita his omnibus acrius, ſapientius, magnificentius & conſtantius uſum eſſe, denique in illo tam brevi imperio veriſſimam & pulcerrimam bene glorioſeque imperandi diſciplinam fuiſſe.

Et quam praeclare quidem praeparatus & inſtructus ad imperandum venerit, vel illa, quae audiviſtis, declarant, multo magis, quae dicentur, oſtendent. Neque enim ſenſus illos praeclaros omnes ei dicemus repente infuſos, aut eum ad illam tam prolixam voluntatem, veluti repentino aliquo novi imperii vento, fuiſſe delatum, aut denique tot tam ſalutaria conſilia primum, in illo ipſo articulo, divinitus, dormienti & oſcitanti, fuiſſe per occultam vim injecta & inculcata. Etenim etſi manifeſtum eſt, operis divini fuiſſe pectus illud tam rarae bonitatis, Deum eſſe, qui tam divitem & praeclaram materiem virtutum principalium omnium in eo condiderit, eam ab corruptelis omnibus, quae plurimae & maximae Principibus futuris inſidiantur, integram ſervaverit, ipſum ad ſtudia ſapientiae ac prudentiae principalis incitarit, in excogitandis conſiliis inſtitutisque ad rempublicam ſalutaribus adjuverit: tamen, ut in agrorum ubertate, divini operis eſt inſita terris fecunditas, & apta fovendis frugibus tempeſtas, cultus autem, eliciens in ſegetes caelo alendas ac tuendas pinguedinem, eſt ab arte & labore dominorum: ſic illa divina bona omnia in Friderico

derico Christiano, sine ipsius multa, & assidua, & longi temporis cura & cogitatione, tantam ubertatem consiliorum optimorum & actionum pulcerrimarum efferre non potuissent.

Ac primum, quam scientiam, quam aptam reipublicae gerendae, ad imperium attulisse dicemus, qui tot per annos in literis, in rebus populorum omnium, Germanorum inprimis & Saxonum, cognoscendis, in jure publico Principum, & privato civium, tanto studio, tanta cura, sub tantis magistris, elaborasset? Nostram quidem Saxoniam, quoad est Principis, ejusque consilio & potestate tuenda & regenda, sic notam habebat, ut suam quisque domum. Sua & civium suorum jura pariter tenebat, pariter cordi habebat. Partes rei publicae omnes norat, quibus salvis & ipsa salva est, religionem, consiliorum publicorum potestatem, rem militarem, leges, morem & instituta majorum, judicia, scholasticam rem literarum, aerarium, fiscum, mercaturam, fidem: tum descriptionem ipsam reipublicae & partium omnium inter se copulationem: Domus suae, ordinum, singulorum jura, quomodo, quo temperamento mixta & copulata essent: quid in iis omnibus primum boni esset, deinde quid recte se haberet, quid labaret, quid aegrotaret, ut non ignoraret, curaverat: quae bonis cujuslibet augendis, integritati conservandae, incommodis sanandis & cavendis essent, cogitaverat: praesidia & adjumenta bonorum, remedia vitiorum & malorum repererat, & ad usus temporis sui fideli memoria reposita tenebat. Ergo, ubi ita Deo visum erat, ut gubernacula reipublicae capesseret, cum primum manum iis admovit, tum vero, ut in forti & generosi pectoris milite, propinqua laudis & gloriae materia, exsultantia, ut est apud poëtam, corda haurit pulsans laudis cupido, laboratque in meatuum angustiis erumpere properans sanguis: sic illa omnia, quae in pectore Principis latebant consilia, motu generoso excitata, venire in lucem, moliri, agere, juvare, sanare, roborare, gestiebant, urgente etiam, ut existimare fas est, pectus sanctum vi divina, ut quam brevissimo tempore quam plurima ad salutem miserae Saxoniae consulerentur, ut saltem fundamenta absolverentur,

super

ſuper quibus Frater, Filius aedificarent, ut ſaltem forma aedificii pulcerrimi extaret, ad quam aedificandi ratio accommodaretur, quam ſeri poſteri inſpicerent, ſi quid reſarciendum, ſi quid ſanandum foret.

Habebunt ergo futuri poſt multa ſecula Principes in hoc exemplo pulcerrimam & unam veram diſciplinam artis imperandi, rèi profecto ut maximae, ita difficillimae; quod magnitudo rerum & difficultas ſemper uno veluti jugo copulatae incedunt; diſcentque, eam non inter ludos, & alia otii ignavi oblectamenta, ſplendidasque nugas, parari, ſed diſcendi aſſiduitate, cognoſcendi cura, cogitandi diligentia, conſtantia: & ſicut artes belli gerendi non in ipſo demum bello, in caſtris & in acie, diſcendae ſunt imperatori, ſed ante perceptae ad imperium bellicum afferendae; ſic & in hac togata militia artes & conſilia regendi non diſcenda eſſe in actu rerum, ſed expromenda, & velut in aciem deducenda. Aliter nec utilitas vera Principum & civium bene defendi, nec vera gloria poteſt teneri.

Operae pretium eſt audire, quae prima Principis novi in Ordinum Conventu profeſſio de imperii ſui forma fuerit, quas ſibi leges imperandi ipſe in illa celebritate, patriae ſpeciem habente, ſanxerit. Primam igitur & ſummam legem ſibi ajebat eſſe reſtitutionem ſalutis publicae; alteram autem, ut omnia conſilia ſua, inſtituta, decreta, in maximis, minimis rebus, ab illa, ut a capite ſuo, ducerentur, iisque univerſis, & cum illo principio, & inter ſe, ratus & perpetuus ſine ulla varietate conſenſus conſtaret. An, quaeſo vos, Auditores, ſapientiam ipſam, ſi ſe conſpicuam oculis humanis faceret, legem optime imperandi dictura populorum rectoribus, an aliam exiſtimatis promulgaturam, vel promulgare poſſe? Non autem illa profeſſio tantum in verbis vim habebat, nullam in pectore aut in factis. Immo, quicquid erat illius profeſſionis, id totum eſſe ab intimo pectoris ſenſu ductum, quoad vixit, factis comprobavit: eratque omnino alieniſſimus ab more, olim philoſophis ſaepe exprobrato, poſt etiam ad potentes vulgato, ut magnas ſententias loquerentur, minutos ſenſus corde premerent, quos mox ſordide factis proderent. Nihil ibi diſſen-

dissensionis inter linguam erat & cor, nihil a verbis facta discrepabant. Quae sentiebat, loquebatur; quae locutus erat, agebat.

Sed plurimum interest scire, quam ille salutem publicam intellexerit. Etenim magnam saepe sibi in hoc pulcerrimo nomine latebram fecit aulicorum insidiosa calliditas, qui res a natura copulatissimas, utilitatem Principis, ab utilitate privatorum, sejungerent, nullamque publicam utilitatem & salutem judicarent, nisi quae Principis vectigalia & copias augeret, in eaque ita legem summam imperandi ponerent, ut ei omnia alia, divina & humana, cedere vellent, denique hanc politicam scientiam vocarent, quae nihil est aliud, quam parasitica stultitia. At sicut Socratem accepimus exsecrari solitum eos, qui honestatis & utilitatis naturalem conjunctionem opinione distraxissent: sic Principis nostri animus atque aures ita respuebant eorum orationem, qui aliam Principis, aliam populi utilitatem dicerent, discidiumque inducerent veluti capitis atque corporis, ut mihi non persuadeam, ea quemquam apud ipsum uti ausum esse, aut, si vixisset, unquam ausurum fuisse. Suam vero utilitatem, quae vere & proprie diceretur, omnem, edicto pronunciavit, conjunctam esse artissimo vinculo cum utilitate & felicitate universorum, in eaque omni ratione vel restituenda, vel firmanda, vel augenda, suam veram gloriam & Domus suae splendorem cerni. Nec ille utilitatem & salutem unam aut summam judicabat, quam pecuniarum copiae facerent, quae ne in mercatura quidem, cujus finis est, pecunias quam maximas facere, tolerabilis foret opinio; sed in utilitatis & salutis ratione ducebat partes reipublicae omnes, inprimis religionem, libertatem, legum vim, fidem publicam, literas, & tanto quamque magis, quanto magis ad veram pietatem, sapientiam, securitatem, honestatem, decus, vel publice, vel privatim valerent.

Ab his igitur principiis profectus, instituit omnibus utilitatis publicae partibus consulere, initio facto ab ea, quam vere summam rei publicae dixerimus, a religione: quam volebat coli ab omnibus caste & diligenter, sed pro cujusque sensu & persuasione, hoc est, libere & secure. Qui civium suorum libertatem,

etiam

etiam eam in maximis rei publicae partibus poneret, quae externa eſt homini, magisque corpori & bonis cujusque cavet; quomodo non poneret primam, quae tota eſt animi, cujus vel omiſſae vel timefactae acerrimi ſunt morſus, denique, ſi nihil aliud, certe amori adverſus Principes inimiciſſimi. Itaque huic libertati religioſae & ſecuritati caveri ab eo petentibus Ordinibus ſtatim ita annuit, ita cavit, ut appareret, eam cautionem non neceſſitati aut conſuetudini conceſſam, ſed aequitati & juſtitiae libentiſſimo animo datam eſſe. Quo etiam nobis carius eſſe debet hoc tantum, cum multis & magnis rei publicae partibus conjunctum beneficium; praeſertim cum id etiam nuper Fratris celſiſſimi in Fratrem pietas, in patriam par Fraterno amor, pari facilitate, pari fide firmarit.

Sed non modo hic nihil novari, omnia vetera inſtituta certa & rata eſſe voluit: in omnibus priſtinis inſtitutis publicis majorum, in tota vetere formula reipublicae adminiſtrandae, in ordinum univerſorum juribus, pari voluntate fuit: nihil moveri aut labefactari, ſalva cuique & integra omnia eſſe voluit, fore promiſit, omni novandi omnibus & ſpe praeciſa & metu ſublato. Cujus ſuae voluntatis inter ipſa initia brevis imperii, in ipſis prope oculis veſtris, illuſtre documentum dedit. Et ille etiam commendabat hoc beneficium ſuum, non modo, ut omnia, univerſa orationis benignitate, ſed etiam reverentiam prope quandam earum rerum omnium prae ſe ferendo talem, quae ipſi ſancta videri oſtenderet, quae majorum ſuorum vel benignitas conceſſiſſet, vel ſapientia inſtituiſſet, vel fides ſanxiſſet.

Et quoniam omnis ſecuritas, omnis aequitas, omnis certa rerum commodorumque omnium poſſeſſio nititur jure & legibus, talisque fere eſt civitas quaeque, quales ſunt leges, quibus juris aequitas deſcripta eſt; ille noſter Princeps, qui tantam juſtitiae & aequitatis curam haberet, omnibus ſuum reddi, ſervari, tantopere cuperet, inprimis ad leges & jura convertit animum. Videbat, juris ejus, quo nunc utimur, quanta eſſet varietas: quam multa in legibus pugnantia eſſent: quam multa incerta & ambigua, quae ingeniis hominum ad injurias, ad fraudes, verbo, ad jus evertendum

dum, traherentur. Viderunt hoc ante multi; multi ſaepe optaverunt, iis incommodis medelam adhiberi: ſed res ad hanc diem, ut fit, intra vota ignava & inutilia ſtetit: quippe vota facere neque artis eſt, nec laborem habet. At ipſe, quem nulla difficultas terreret, nullus labor retardaret, ubi neceſſitas & uſus appareret, praeſertim in re tanta, magno animo, ſed pari prudentia, hoc opus ſuſcepit, modum ejus & formam praeſcripſit, conſtituit denique, per quos conficeretur; exiſtimans, ſibi inprimis glorioſum fore, ſi jus ſimplex, perſpicuum, conſentiens ſibi partibus omnibus & conſtans fieret, cujus ſe auctorem poſteri ferrent. Et ipſi quidem non licuit hunc fructum capere, ut rem tantam, tam utilem patriae, perfectam videret: ceterum, ſi, ut ſperamus, exitum habuerit inſtitutum, gloria tamen operis ipſius erit, in ipſius nomine habitabit, eum gratae poſteritati commendabit.

Enimvero leges opus habent cuſtodibus ac defenſoribus: nec modo refert, per quos & quomodo ſcribantur, ſed etiam, per quos & quomodo exerceantur: omninoque, quoniam Princeps non omnia ſolus agere poteſt, eamque ob cauſam nec velle debet, ſed regere omnes, per quos agantur: huc ſtatim, ut ſuſcepit imperium, intendit curam, ut in conſiliis publicis, in omni genere ac parte reipublicae gerendae aut curandae, eſſent, qui recte & fideliter agerent, &, quae fidei ſuae credita eſſent, curarent. Et audiſtis ante, quae hoc nomine vota facere ſoleret. At ille non modo in poſterum ei rei cavere ſatis habebat, lege ſibi dicenda hac: de qua in decreto quodam profeſſus eſt, ut in muneribus publicis mandandis unam dignitatis rationem haberet, nec modo ſic, ut indigni praeterirentur, nec quisquam in petendo alia, quam dignitatis, fiducia niteretur, ſed etiam, ut, quantum prudentia humana provideri poſſet, digniſſimus quisque haud dubie praeferretur; ſi poſſet incendere animos non modo ſtudio ſcientiae, ſed etiam aemulatione, per quam dignitatis acerrimum certamen injiceretur animis: non, inquam, in poſterum modo ei rei providere voluit, ſed etiam in praeſens. Quo enim pertinuit, quod de uniuscujusque in genere quo-

que

que dignitate ad ſe bona fide voluit referri, ut ex eo comparare ſuas rationes, ſuum delectum poſſet? quo? quod diplomata, per quae ſuccedendi jus daretur in locum cujusquam, ſi quid ei accidiſſet, quae fortaſſe multa vel gratiae data, vel per malas artes ablata, vel per importunarum precum impudentiam expreſſa eſſent, ea omnia uno decreto abolevit, iis verbis ſcripto, per quae Principis tam boni ſaluberrima in eo genere ſeveritas & diligentia prope manibus teneri poteſt. Princeps facilis, lenis, benignus in privatis rebus, cum res publica agebatur, nullam facilitatem & benignitatem judicabat, norat, quae ab utilitatis publicae ratione diſſideret: ſaevam indulgentiam, injuriam publicam, quidvis potius, quam benignitatem interpretabatur. O! ſalubrem Principem! etiam exemplo, quod pudorem cui non incutiat muneris alicujus publici, in Eccleſiis, in Scholis, in Curiis, alia, quam ipſe uſus eſt, hoc eſt, ſola dignitatis lege mandandi! Scilicet, benignum eſſe ergo ſuos, benefacere, quibus bene quis cupit, de ſuo oportet; in quo etiam ſola humanitatis ratio honeſta & juſta eſt: indignos publicis muneribus per gratiam admovere, id vero nihil aliud eſt, quam in alieno paſcere.

Ergo ſapientiſſimus Princeps etiam diſciplinae, decretis, exemplo, ſanciendae curam habuit, cujus in iis, quae dixi, luculentum ſpecimen editum eſt. At hujus generis & alia fecit: & quam multa facturus erat, ſi viveret! Unum audiſſe non piguerit. Non multis ante, quam mortuus eſt, diebus ſanxit, ut militaris ordinis homines non aliter ad aulam, in ſuum ſuorumque conſpectum, etiam cum aulicis miniſteriis fungerentur, quam veſte militari venirent; eosque profeſſus eſt ſibi nullo alio quocunque cultu gratiores, immo, ne gratos quidem, fore. Res eſt, ut videtis, parva verbo, re atque exemplo magna & praeclara. Neque enim tam veſtis erat, quae ſpectaretur, quam ut adſuefaceret homines, ſunt ipſa decreti verba, primum, de illo vitae ſuae genere honorifice ſentire, in eoque, quoniam Principi tantopere placeret, tanto ſtudioſius elaborare. O! quam praeclare ſenſit ille, quid eſſet vera diſciplina, quam neceſſaria & ſalubris ea, quae non tam poenis & ſeveritate graſſatur in

coërcendo, quam inſtitutis utitur, quamquam parvis & ſpecie levibus, ſed hoc ipſo efficacioribus, per quae ſtudiis hominum, prope aliud agendo, commendantur virtus & res honeſtae omnes; per quae etiam inductio animi in rebus bonis & adſuefactio venit, ſine qua, ſapientiſſimi quique bello & pace viri, leges ſine vi jacere, viderunt. Non eſt credibile, hujus Principis prudentiam, ſi vita manſiſſet, patriae daturam paullatim fuiſſe diſciplinam univerſae reipublicae & omnium ordinum, per quam legum divinarum humanarumque ſine poena & vi ſervandarum ſtudium injiceretur, conſuetudo induceretur?

Nam eam quidem diſciplinae publicae partem, quae eſt etiam florentiſſimis copioſiſſimisque civitatibus maxime, noſtrae autem his temporibus ita neceſſaria, ut ſine ea ſpes ſalutis nulla ſit, hoc eſt, parſimoniam, quam praeclare, quam dignis Principe, dignis ſe Principe, artibus fundavit! ſed parſimoniam veram, quae circumcidit privatim, ut larga ſit publice, quae ſubtrahit vitiis inſtrumenta, ut habeat virtus, quae eſt inimica ſordibus, amica dignitati. Hanc igitur quomodo docere, commendare, inducere inſtituit? Nempe exemplo & factis ſuis. Primum voluit ſibi, ſuis, parcus eſſe, ut poſt eſſet ſine querimonia in aliis. Parſimoniam voluit coli a civibus, quae eſſet imitatio Principis & Parentis communis, extinguens novae diſciplinae ſeveritatem & amaritudinem amore Parentis communis. Aut haec aut nulla eſt, Auditores, ratio parſimoniae verae docendae efficax. Nam etiam aſperrima illa belli tam diuturni diſciplina, quid potuit efficere, niſi ut neceſſe multis eſſet parcis eſſe; in quo nihil eſt, niſi dilatio luxuriae, exſpectantis ſua tempora, quibus veluti jacturam ſuam reparare poſſit. At ab illa Principis & Parentis Optimi atque cariſſimi imitatione etiam ſtudium venit, & inductio animi, & adſuefactio, omnibus perpetuitatis vinculis adſtricta. Et initium exempli proponendi feciſſe Principem ſapientiſſimum atque fortiſſimum, non ignoratis, in iis, in quibus eſſent ſuaviſſima & liberaliſſima otii principalis oblectamenta, quorum ingenium & pulcritudinem & ipſe intelligeret egregie, & Conjux Celſiſſima judicaret acerrime, in ſymphoniacis & univerſo choragio

ſce-

fcenico. Et nobis erit aliquis tam fuavis oblectamentorum noftrorum fumtus, cui modum facere, quem etiam totum recidere, poft tale exemplum, dubitemus? quem non pudeat non minuiffe, non fuftuliffe?

Sed ut hanc parfimoniam fuam voluit effe partem difciplinae, quae publice valeret ad mores, coërcendis vitiis popularibus, adjuvandisque virtutibus publice privatimque utiliffimis; ita fibi conftituerat in ea primum vectigal novum, quod effet fine varietate certiffimum, & fine cujusquam moleftia aut impenfa uberrimum, in quo denique effet & norma & exemplum, quo univerfa fifci, per certas, bonas, & lenes artes locupletandi ratio conftitueretur & regeretur. Volebat Princeps Optimus vectigalia fua maxime augeri augendis vectigalibus civium, alliciendis mercaturae copiis, ubertate terrarum per novas etiam artes & curas elicienda, & artium omnium perfectione lucrofa: exiftimabatque, his rebus bene conftitutis & auctis, fuas conftitui firmiffime & augeri uberrime. Hinc illa prope feges confiliorum novorum nata eft inftitutorumque pulcerrimorum, quae provida jam Fratris Magni cura fovetur, & coeli, ut fperamus, clementia & benignitate adolefcet, ut ad maturitatem optatam perveniat.

Enimvero harum omnium fifci per tales artes locupletandi curarum finem conftituerat unam utilitatem publicam, quam non in copiis pecuniarum ipfis, fed in ufu earum ad partes reipublicae quasque tuendas, fanandas, roborandas, ad fublevanda civium undecunque laborantium mala, ad ornandam denique Patriam, ponebat, quem ille fructum pecuniarum fuarum longe maximum & dulcisfimum putabat. Nam & cum privatas civium copias, mercatura amplificanda, opificiorum & artium frequentia & perfectione, rei rufticae exquifitiore & ingeniofiore cultu, augeri volebat, nec ipfe hoc fpectabat, nec a nobis fpectari volebat, ut plus effet, quod per voluptates aut vanitatem abfumeretur, fed ut major facultas effet, privatim, publice benefaciendi, necesfitatibus publicis, praefentibus futurisque, ferviendi, verbo, rempublicam, quae una eft in rebus humanis magna, una digna, ad quam omnia noftra, omnes actiones, utilitates, copiae noftrae referantur. Etenim, te aut me divitem effe,

 no-

nobisque bene esse a copia rerum omnium, id vero nihil aut parum refert, nec est tanti; cum cras nobis aut paullo post sit moriendum, nec simus amplius in his terris futuri: at religionem, ejusque rectam disciplinam, securitatem, literas, artes, id est, rempublicam salvam esse, omnibus salutis suae praesidiis abundare, id, quia aeterna esse debet, plurimum refert, ei per publicam privatamque liberalitatem consuli, id est tanti. Huc igitur, huc, exemplo sapientissimi Principis vel excitati, vel pudefacti, discamus referre copias nostras, & earum comparandarum augendarumque studium. Nam profecto, dicam, quod sentio, libere, si nihil in istis studiis curisque agimus, nisi, ut lacunae nuper factae expleantur, ut augere famulitii numerum, supellectilis pretiosae splendorem, mensae conviviorumque copias, vestium magnificentiam & cetera vanitatis ludibria possimus, tum vero vota facienda sint, ut omnes tales conatus ad irritum recidant, terraque ipsa duram se adversus omnem vel vim novam, vel blanditias ingeniosas colentium praebeat, nec faveat perniciei nostrae, publicae, obsequiis suis. Sed non hoc sinit a nobis spectari, etiam sublato Sapientissimi Principis exemplo, par sapientia Fratris Celsissimi, non tota Domus Principalis disciplina, non publicae liberalitatis, inter omnia parsimoniae instituta, pulcerrima exempla: non sinent, ut speramus, illae ipsae reliquiae veteris in hoc genere sensus cujusdam popularium nostrorum, quae inter illa, quae supra dixi, parsimoniae Principalis exempla, perspicue proferebantur. Vidi, re recenti, homines etiam vulgo consistere in viis urbis Dresdae, ut laetitiam ex ea re suam apud alios effunderent, quibusdam etiam inter narrandum audiendumque lacrimas manare. Nempe haec est sensus, haec indolis in populo bene culto, fuitque in Atheniensi olim & Romano, pars, odisse profusionem privatam & parsimoniam publicam, magnificentiam publicam laudare parsimoniamque privatam. Hunc sensum teneamus, foveamus, & omni ratione alamus ac proferamus.

Aliud ex alio occurrit Auditores & obruor rerum copia. At vos, ut opinor, finem spectatis longae orationis. Et ipse sentio, me in hoc tanto campo la-

latius evagari, & jam dudum exitum & peto, & refugio, nec reperire audeo, quia laetum invenire non licet. An autem nihil dicam de tot ceteris: nihil de novo & elegantiſſimo Academiae Artium inſtituto, de quo dicere propoſui? nihil de conſiliis inſtituendi Collegii medici, per quod aegrotantibus ab incurioſarum curationum ſaevitia caveretur? Et tranſibo vitam domeſticam? ſilebo conjugium, ſine exemplo pulcerrimum? non attingam diſciplinam domus ſapientiſſimam? non concordiam cum Fratribus & Sororibus Celſiſſimis conſociatiſſimam? non permultas alias res, ad dicendum uberrimas, ad laudandum ornatiſſimas? O! triſtem conditionem laudandi, laudare non poſſe, quae ſatis laudari non poſſunt! Sed veniamus tamen ad exitum, quia venire neceſſe eſt.

At facite, Auditores, ante vobis in mentem redeant, quae dixi, ſubductisque rationibus, velut ſumma fiat omnium, ſatis ut aeſtimare, ſatis ut dolere jacturam poſſitis, quae in hujus talis Principis morte facta eſt. Quae pars igitur eſt reipublicae, quae per eum non curari, defendi, recreari, ornari coeperit? quod genus hominum, quod nullum fructum ex eo ceperit, nullo per ipſum beneficio affectum ſit? Quid ille non ad ſalutem, ad utilitatem, ad decus patriae excogitavit, tentavit, inſtituit, decrevit, fecit? Et haec omnia tam paucorum dierum ſpatiolo, cujus anguſtiae vix e luctu paternae mortis recipiendo, vix inſtituendo ad cogitationem publicae ſalutis animo ſuffeciſſe videantur. Pro his igitur tot ac tantis meritis, quam ſatis magnam, ſatis dignam laudem tribuere poterimus? Titus Veſpaſianus amor & delicium generis humani appellatus eſt: qui biennii & trium prope menſium ſpatio, in ſimillima voluntate, imperio autem prope infinito, & immenſa materia, tamen, ſi quis diligenter, & excluſa omni cupiditate, comparare velit, duorum menſium noſtrorum (ſunt enim profecto noſtri, & erunt fructu,) exiguam modo partem eorum aſſecutus reperietur. Fridericum Chriſtianum igitur quo nomine ſatis digno appellabimus? quo? nullum me fateor reperire: omnia, ſenſu meo, ſunt rebus minora.

Et hoc tantum, tam amabile, tam neceſſarium noſtris malis bonum tam ſubito, tam alieno tempore,

perdidimus? O! cara, o! misera Patria, quo reciderunt spes tuae, quibus excitata, erexeras te. O! vos, dulcis cura nostra, literae nostrae, quo Sospitator vester, quo Decus abiit! Et vos o! pauperes, quae vox, quis dolor satis miserari vos potest? quibus ille sua etiam inopia famem depellere se paratum, verbis, lacrimis ostendit. Quid dicam? Non, bone & misericors Deus Pater, satis misera patria, non satis multae & magnae miseriae nostrae erant? Hunc etiam tantum cumulum malis nostris accedere oportuit? An tibi nimia visa felicitas nostra, immo haec felicitatis initia laeta nimis visa? majora peccata nostra, quam pro tanti boni possessione? Fuerint autem: & fuerunt profecto. At in nostra potius peccantium capita, huc! ah! huc, in meum hoc caput, flexisses ictum iratae manus, & pepercisses sancto capiti, in quo patriae, miserorum & pauperum, propriae illius clientelae tuae, spes sita erat! pepercisses Domui, tot malis per tot annos agitatae & afflictae! nec tantum dolorem ossibus ac medullis Conjugis Amantissimae, Liberorum Piissimorum, Fratribus ac Sororibus Concordissimis inussisses!

Sed modus sit doloris & querelarum, & luctum nostrum cogitationibus ceteris, illo Principe dignis, & officii dulcedine lenire tentemus. Non est ille totus mortuus: vivit immo meliore parte sui vitam meliorem: vivit vigetque pectus illud admirabile & amabile: vivet ipse vigebitque consiliorum, virtutum, rerum gestarum cara nobis memoria. Nec vero noster esse desiit. Adspectu jam non est noster: at non minus nostra sunt, quibus animus, quam quibus oculi fruuntur: at nostri sunt fructus imperii optimi & pulcerrimi: at nostra gloria sapientiae & virtutis: nostri sensus ejus, mens, voluntas, consilium: omnia cogitatione, amore, etiam fructu & usu, nostra sunt. Manserunt enim nobis, atque utinam diutissime maneant, in Antonia ipsius, omnium ejus sensuum, consiliorum virtutumque Socia; reddentur in Liberis, ad similitudinem paterni ingenii & animi natis; reddita vero etiam cum maxime sunt in Fratre Magno, Xaverio, omnia vestigia Fratris persequente, & Nepotem carum, Principem Nostrum, per eadem ad imperium ducente.

Nos

Nos modo faciamus, ut nos dignos tali possessione ac fructu praesentis ante, nunc absentis Parentis nostri, ut pios, & gratos nos praestemus, memoria ejus non modo cum verborum honore conservanda, sed multo magis totam illam vim amoris nostri ad Liberos Celsissimos, inprimisque Filium Heredem, velut justam & debitam, nec ingratam iis hereditatem, ita transferendo, ut, quos sancta officii necessitas cogit amare, eos, vel memoriae paternae causa, etiam libenter & cupide amemus, pietate, obsequio enixissime colamus, existimemusque, non aliam sibi magis exposcere gratiam Friderici Christiani animam de nobis cogitantem. Hunc sensum igitur teneamus, Auditores, hunc alamus, hunc liberis nostris inspiremus, aemulanti studia nostra juventuti, ut magnam & praeclaram partem disciplinae nostrae, tradamus, denique, ut amor erga Principes nostros, & fides illo amore nata & nixa & devincta, sit & maneat pars ingenii Saxonici, gloriae Saxonici nominis, efficiamus.

Gratias tibi agimus, Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, quod in illud Domini nuper nostri pectus tantas copias consilii, benignitatis, virtutumque omnium congesseras, ipsumque feceras nobis amabile instrumentum misericordiae tuae in miseriis nostris; quodque, cum tibi placuisset, ei angustiores, quam nos vellemus, vitae terminos ponere, eos tamen ita posueras, ut etiam brevissimo tempore multorum annorum fructum capere possemus. Oramus te supplices, ut, quoniam ei non dedisti in his terris capere fructum consiliorum & actionum suarum, quem ei nostra innoxia, & tibi, ut speramus, non ingrata pietas destinabat, illam regalem voluptatem, ut salutem patriae a te per suum ministerium restitutam videret; nobis miseris indulgeas id, quod ipsum, etiam exemtum rebus humanis, credimus optare, ut Filius ejus, Heres, quem nobis Dominum constituit voluntas tua, sub fideli Piae Matris cura, & diligente Patrui tutela ad spem imperii e disciplina paterna gerendi adolescat, ejusque mentem ipse ad effigiem paterni ingenii virtutisque ita fingas, ut in eo revixisse nobis, & restitutum Fridericum Christianum, vere praedicare, & liquido gaudere possimus.

JO. AUG. ERNESTI

ACROASES

DICTAE CORAM

FRIDERICO CHRISTIANO,

ET

XAVERIO,

DUCIBUS SAXON.

ACROASIS I.

DE

BELLI PACISQUE ARTIUM COMPARATIONE.

PRINCIPES CELSISSIMI!

Cum omnium rerum humanarum tanta ſit viciſſitudo, ut rariſſime in eodem loco diu conſiſtant: tum vero nihil fluxius eſt, nihilque mobilius, hominum opinionibus, &, de omnibus, etiam maximis praeſtantiſſimisque rebus, judiciis. Quod una aetas ad coelum prope extollit, idem altera e ſummis ad ima detrudit: & quantum honoris alicui rei unum ſeculum adſtruit, tantundem alterum, quaſi invideat, detrahit: ut non ſaepius celeriusque fortunae, quam opinionum orbis, circumagatur. Ut nihil de religione dicam, rerum omnium ſanctiſſima, quae quot & quantis opinionum varietatibus exagitata ſit, nemo ignorat: quod majus praeſtabiliusque donum Deus hominibus conceſſit, quam bonas literas & artes liberales? Et tamen in his quoque aeſtimandis inconſtantia humana ita variavit, ut iis modo omnia, modo nihil tributum videamus. Facile quippe optimarum rerum ſatietas animos fatigat, nec ullum certius, ſive corruptionis, ſive imbecillitatis humanae argumentum eſt, quam, quod celerius bonarum quam malarum rerum nos faſtidium invadit. Non jam ad antiquiſſima tempora & literarum origines adſcendam, &, inde usque repetens, exempla omnis aevi commemorabo. Illud modo tempus videte, quod inde ab inſtauratis, ante qua-

quatuor fecula, literis, effluxit. Nam cum fepultae fub temporum fuperiorum tenebris literae per Dantem Aligerium, Florentinum, qui etiam, expulfus patria, in hanc urbem venit, Dicemannique caedem elegantibus verfibus luxit, & fuaviffimo cantu fuo, velut aufpicalis ales, Mufarum mox hic fedem capturarum adventum nuntiavit: per hunc igitur, per Francifcum Petrarcham, & nonnullos deinceps alios, cum in lucem literae revocari coepiffent; incredibile dictu eft, quantum earum ftudium apud fummos pariter atque infimos exarferit. Neque folum ipfae literae in fummo honore erant, fed hi quoque, qui in iis excellentius verfati putarentur, omni genere honorum cumulabantur. Petrarcham quidem Carolus IV. Imp. Joannes Francogalliae Rex, & Innocentius VI. Pontifex R. literis muneribusque mittendis, fibi conciliarunt, Galeatii, Scaligeri, Gonzagae, aliique Italiae Principes fummo ftudio atque benevolentia funt complexi, Robertus autem Rex Neapolitanus, idemque omnium aetatis fuae, doctrina & eruditione princeps, tribus totis diebus in eo examinando audiendoque confumtis, honorificentiffime dimifit. Dies me deficeret, fi commemorare vellem, quid, literarum caufa, multi poftea Reges, Pontifices, Principesque fecerint: quam faepe libenterque eruditorum hominum publicis lectionibus difputationibusque affuerint, ad eosque literas dederint. Neque vero opus eft externa exempla conquirere, cum domefticis abundemus. Ante hos ducentos amplius annos, Georgius Dux fuit. Is, cum ipfe doctiffimus effet, elegantiffimas humaniffimasque epiftolas ad Sadoletum, Erasmum, aliosque fcripfit, difputationibus doctorum in hac Academia virorum faepe interfuit, eosdemque omni modo fovit. Itaque illo tempore in hac Academia laetiffime effloruerunt bonae literae, neque ulla tum, non modo in Germania, fed ne univerfa quidem Europa, urbs fuit, in qua plures effent, qui bonis literis juvandis ornandisque feliciter operam navarent: in quam etiam doctiffimi homines, qui aliis in locis cum adverfa fortuna conflictarentur, tanquam in portum fe conferebant. Non ita multo poft Mauritius, eoque mortuo Auguftus, frater, Saxoniam rexit. Uterque mirifico literarum, doctorum-

eorumque hominum amore flagravit. Nam prima aetate, & Fribergae Jo. Rivium, virum longe doctissimum, & dehinc in hanc Academiam missi, eos, qui tum maxime doctrina excellerent, studiose audiverunt. Itaque, cum Saxoniae gubernaculis admoti essent, incredibili cura & beneficentia Academias suas, omninoque bonas literas sunt complexi. Hoc tantum Principum, aliorumque nobilium, & in magna dignitate constitutorum virorum studium, non modo per se honorificum literis, earumque doctoribus fuit, sed etiam magnum, bene eas docendi discendique studium concitavit; cum illi laudis stimulis incitarentur, adolescentes autem existimarent, dignas profecto studio suo literas esse, quas tanti Principes tanto favore prosequerentur. Quo magis rem genere vestro dignam, & plurimum literis profuturam facitis, Principes Celsissimi, cum tanto studio & literas ipsas complectimini, & earum doctores de iis differentes tam studiose auditis, ut nobis liceat illud, quod Plinius ad Valerium Paulinum, Trajano imperante, scripsit, inter nos usurpare: *Gaude meo, gaude tuo, gaude publico nomine: adhuc literis honor durat.* Et patriae quidem nostrae in eo praecipua quaedam prae ceteris populis felicitas fuit, quod apud Principes ejus nunquam honos literarum & cura defecit. Nam etsi quidam bellis crebris diutinisque impediti, non potuerunt superiores aequare: tamen curam ipsam studiumque non dimiserunt; eaque re factum est, ut, ab illis Georgii temporibus, semper in his terris praecipua literarum in Germania sedes & esset, & esse putaretur. Quod apud alios populos longe aliter cecidit: cum literae earumque magistri, plerisque in locis, eo redacti sint, ut indignum Principibus, illustribusque viris putetur, ad tam tenuem humilemque rem curam suam demittere, doctique homines omnibus modis, non modo a negotiis publicis, sed etiam a conspectu Principum arcendi videantur.

Non aequiore fato ceterae pacis, haud paullo majores artes, quibus ratio reip. domi bene administrandae continetur, usae sunt. Nam cum eae interdum in summo honore fuissent, nihilque majus habitum esset, aut pulcrius Principe iis excellente, omnis ea glo-

gloria ſubito ad bellicas artes eſt tranſlata. Id acci-diſſe equidem exiſtimo, cum aliis de cauſis, tum propterea, quod aſſiduitate bellorum, qualia toto propemodum ſuperiori ſeculo, & magna hujus noſtri parte, cum alias Europae regiones, tum Germaniam in primis concuſſerunt, plerique Principes, nobilesque, ad belli ſtudia converſi, literas & ceteras pacis artes aut minus colere, aut plane relinquere coeperunt. Nam, quoad ego omnis aevi memoriam repetere potui, hoc ingenio homines ſemper fuiſſe animadverti, ut, ad quamcunque rem eſſent temporum impetu, veluti quodam vento delati, ad eam adhaereſcerent. Tum vero rebus bello geſtis magis perſpicuus quidam ineſt, magisque feriens oculos ſplendor, quam artibus pacis, quarum praeſtantia & magnitudo ab iis modo cernitur, qui mentem ſevocare a corpore poſſunt, reliquorum autem ſenſum fugit. Itaque non eſt mirandum, ſi illae plus admirationis apud plerosque habent, digni oresque Principum perſonis putantur. Eſt enim hoc inſitum animis penitusque infixum ſenſibus humanis, ut magis commoveantur rebus iis, quarum magnitudo ſenſus pulſat, quam quarum mente tantum atque intelligentia percipitur. Quid primum, ut hoc utar, mirantur, qui in urbem aliquam magnam, veluti Pariſios, veniunt. Non ipſam urbis vaſtam amplitudinem? non palatiorum magnificentiam altitudinemque? ſtatim enim in oculos incurrit. Illam autem abditam prudentiam, & ſecretas illas artes, quibus tam vaſta moles regitur, quibus ſecuritati, tranquillitati, munditiae, abundantiaeque rerum omnium conſulitur, quotusquisque aut intelligit, aut admiratur? Denique conſuetudo quotidie videndi fruendique admirabilitatem rebus etiam maximis detrahit, raritas autem etiam mediocribus adjungit. Mittamus res humanas: divinas videamus. Illa coeleſtia lumina, quae diei noctisque vices moderantur, nocturnorum ſiderum multitudo & ſplendor, rerum coeleſtium omnium ordo & deſcriptio, tum certi perpetuique ſiderum motus, quibus anni tempora reguntur, quibus nihil majus & pulcrius excogitari poteſt, quam paucis admirationem magnitudine ſua & pulcritudine movent. Ubi vero aliquando coelum nigris nubibus inhorruit,

ubi fulgura emicant, & tonitruum fragore aër concutitur, aut insoliti quid, etsi longe ab istarum rerum magnitudine remotum, evenit, tum vero admirantur homines & obstupescunt. His igitur de causis, & fortasse aliis, accidit, ut majores belli, quam pacis, artes a multis putentur: ut Themistocles major Solone, Lysander Lycurgo, Romulus Numa & Servio credatur: verbo, ut majores Principes a multis judicentur, qui rebus bello gestis, quam qui paucis artibus excellant, utque istae multis prope solae dignae fastigio principali videantur. Sed quo magis ista opinio a veritate abhorret, eo magis minuenda videtur. Sunt enim profecto longe majores pacis artes, quam forte videantur: & qui Principes iis excellunt, majores habendi sunt his, qui quantumvis bellicis rebus inclaruerunt.

Id ut hoc facilius intelligatur, quasdam quasi mensuras constituamus, quibus earum artium magnitudinem metiamur. Et primam quidem nobis natura & indoles societatis civilis suppeditat: alteram autem communis rerum omnium magnarum ratio ac natura. Sit igitur prioris illius mensurae hic modus, ut, quo quaeque res sit ad societatis civilis salutem uberior & fructuosior, eo ipsa major putetur. Alterius autem haec esto formula, ut quae artes & ad comparandum & ad exercendum sint difficiliores, eae majores etiam dicantur. Sed ne quis falsae mensurae reos nos agat, easque veluti aedilis severus, confringat, justam utramque esse, & ab ipsa natura probatam signatamque ostendamus. Est autem hoc commune omnibus rebus, quae non propter se comparantur, sed ad aliam efficiendam referuntur, ut earum praestantia non ex ipsis, sed ex earum vi & effectu judicetur, tantumque laudandae putentur, quantum ad id, quod iis propositum erat, valuerint. Quare cum neque pacis neque belli artes propter se expetantur, sed propter vim eam, quam ad tuendam juvandamque remp. habent: quis non verum statuat esse id, quod posuimus, ut in earum magnitudine definienda haec maxime ratio habeatur, quantum quaeque ad societatem tuendam prodesse videatur. Societatis autem tutela duabus rebus continetur, securitate & utilitate. Securitatis porro custodiendae duplex ratio est. Nam, aut externa

hosti-

hostilique vi propulsanda conservatur, aut civium inter se injuriis prohibendis & concordia firmanda retinetur.

Jam prius securitatis genus, maxime illud quidem artibus militaribus continetur, sed tamen & civilibus adjuvatur. Nam quantumcunque Princeps armis & scientia usuque rei militaris valeat, tamen, nisi artes pacis idem calleat, quibus allicere potentes civitates ad suas partes & amicos opibus valentes retinere possit, vix satis se & sua adversus vim hostium poterit tueri. Fortissimus post Alexandrum Rex, idemque potentissimus armis, Mithridates fuit: & tamen saepe victus, regno expulsus, & ad mortis sibi inferendae necessitatem redactus est. Philippus III. porro Macedoniae Rex, ita omnes artes militares tenebat, ita excellens Imperator erat, ut ipsis Romanis Ducibus fatentibus, in omnibus proeliis, quae quidem cum Romanis commisit, omnes summi Imperatoris partes impleverit: sed cedere tamen Romanis est coactus. Qua de causa? quia suis tantum viribus nitebatur: cum avaritia, libidine, superbia omnes populos a se abalienavisset, Romani contra non pacis minus quam belli artibus valentes, omnes alios Graeciae populos, Aetolos, Acarnanas, Achaeos, Asiaeque Reges ad societatem suam adduxissent. Atque res militaris etiam, cum parum pacis artes adjuvet, ipsa plurimum a pacis artibus adjuvatur. Maximus Imperator Themistocles fuit: magna pugnae Salaminiae gloria. Sed in ea, totoque cum Xerxe bello, Areopagitarum consilio est adjutus. Magna laus rei militaris Lacedaemoniis fuit; sed nisi Lycurgus, a pacis artibus instructissimus, extitisset, & illam nobilem disciplinam Spartanam constituisset, nunquam, id quod sapientissimus quisque veterum judicavit, ad istam tantam gloriam pervenissent. Nec vero illa ipsa Spartanorum gloria militaris, omninoque respublica, diutius quam disciplina Lycurgi duravit. Quid? Romani, gens maxime militaris, reique bellicae gloria princeps, nonne confessi sunt, eam ipsam gloriam se prudentiae togatae maxime debere? Et profecto, nisi Romulus, variis artibus, bellicae rei amore incendere animos instituisset; nisi porro Servius centuriis classibusque ordinandis, & omnino

censu

censu instituendo, disciplinaque domestica firmanda, rei militari succurrisset, ad id fastigii nunquam nec ipsa, nec resp. universa sublata esset. Atque etiam literae, quae ipsae quoque in pacis artibus numerantur, artibus militaribus prosunt. In quo genere nil illustrius est L. Luculli exemplo: qui cum ad bellum Mithridaticum prope rudis rei militaris profectus esset, talis in omni genere belli, in proeliis, oppugnationibus, navalibusque pugnis fuit, ut Mithridates, hunc a se majorem ducem cognitum, quam quemquam eorum, quos legisset, fateretur. Erat autem in eo summa rerum ab aliis bello gestarum memoria. Nam & superiores annos, & iter ad bellum, rebus bello gestis legendis consumserat, adsciveratque adeo rerum gestarum scientiam, experientiae & usus, cujus indocilis disciplina putatur, vicariam. Quam multos alios magnos imperatores possem commemorare, qui literarum studio in rebus gerendis plurimum adjuti fuerunt, seque iis adjutos sunt confessi?

Sed ad alterum securitatis genus veniendum est, quod in civium inter se injuriis coërcendis, & concordia retinenda cernitur: in quo pacis artes unice dominantur. Nam injuriae privatae qua re cohibentur, nisi legibus civilibus, de jure rerum privatarum obtinendo, sanciendis, & aequabilitate juris constituenda? Concordia autem, quo alio vinculo adstringitur, quam bona societatis ita cum omnibus ordinibus, proportione quadam, communicando, ut nemo se praeteritum queri possit: causas invidiae, odii praescindendo: dissidiis, partim lenitate, partim severitate, occurrendo: denique institutis ad conciliandos inter se animos civium efficacibus; quae omnia sunt prudentiae urbanae munera: quae qui reip. praestare Princeps potest, is ei multo magis, quam victoriis amplissimis consulit. Mihi quidem, ut hoc utar, Numa collegiis constituendis, curias religione & sacris communibus devinciendo, omninoque pacis artibus exercendis, non minus, quam Romulus, meritus esse videtur, ut alter Romae conditor appellaretur. Romulus autem vel uno Patronatus & Clientelae jure excogitando, eoque cum religionis sanctitate conjungendo, plus reip. in posterum prospexit, quam omnibus victoriis. Eo quippe

ita patricius ordo plebejusque devinctus eſt, ut in omnibus contentionibus, quas tribuni turbulenti concitaviſſent, nunquam res ad vim venerit. Non dubito, quin aliis idem, quod mihi uſu venerit, primum hiſtoriam Livianam legenti. Nam quoties in iſtas tribunitias turbas incideram, videbamque, quam acriter inter ſe patricii plebejique coorti eſſent; cum concurſus clamoresque hominum prope audirem; animo nullum alium eventum praecipiebam, quam ut res ad vim & arma veniret. Mirabar deinde, cum ſemper, aut plebem patriciis, aut patricios plebejis concedere, & ordines ad concordiam redire, viderem. Qua igitur re tantos animorum motus tam ſubito compreſſos dicemus? Nempe, nulla alia, quam, ut vere Dionyſius Halicarnaſſius judicavit, Patronatus Clientelaeque memoria: cum aut patriciis occurreret, eſſe utique Clientes ſuos, contra quos pugnarent, quos conſiliis juvare, quorum cauſas agere, quos tanquam liberos tueri & complecti, etiam religione quadam inducti, conſueviſſent: plebeji autem meminiſſent, patronos ſuos eſſe, contra quos coorti eſſent, a quibus ſaepe adjuti, ſaepe defenſi eſſent, quorum filiabus etiam dotem conferre ſolerent. Ex quo intelligitur, vere Livium judicaſſe; niſi Romulus par pacis & belli artibus fuiſſet, niſi poſt eum Numa & Servius veniſſent, eorumque prudentia ordines tot tamque firmis conjunxiſſet vinculis, ante ad interitum rempublicam Romanam caſuram fuiſſe, quam ad orbis terrarum imperium perveniſſet. Nobilis eſt pugna a Jo. Georgio I. prope Lipſiam pugnata, qua hoſtium copiae fuſae, & magna calamitas ab hac urbe & his terris tum depulſa eſt. Sed niſi vehementer fallor, majus & utilius opus Alberti Animoſi, Mauritii & Auguſti fuit, quo judicium illud, quod Curiae Provincialis nomine vocamus, in hac urbe vel conſtitutum eſt, vel emendatum. Nam victoria illa ſemel, & ad breve tempus profuit, cum aliquoties poſtea Lipſia expugnata, diuque in hoſtium poteſtate fuerit: judicium autem illud, quo aequum jus omnibus Saxoniae ordinibus eſt conſtitutum, quo frenum cupiditati, impotentiae & iniquitati injectum eſt, jam per aliquot ſecula ſecuritati domeſticae profuit, proderitque, dum res Saxonica ſtabit: ſtabit autem,

tem,

tem, audi Deus votum! quoad res humanae erunt. Atque ejus generis multa possem, Domini, e majorum vestrorum historia commemorare; sed ea notiora vobis, quam mihi puto. Fuit quondam Romanarum legum haec gloria, ut eae omnium, quae per universum terrarum orbem essent, aequissimae sanctissimaeque putarentur. Eadem jam dudum fuit, & cum maxime est Saxonicarum legum, quas majoribus vestris, Augustoque parenti vestro debemus, apud omnes Germaniae populos gloria. Itaque, ubi a jure Romano & suo destituuntur, ad nostrum confugiunt. Quare cum sapientissimus quisque Romanus hanc laudem, rei militaris gloriae, si non antetulit, tamen aequaverit: an convenit dubitare, quin ab nostris legibus ad Domum vestram par rebus bello gestis gloria redundet? Videor mihi effecisse, ut securitatis nomine majores Principes videantur, qui pacis artibus, quam qui bellicis excellant. Atque id adeo concedendum est magis, quod illius securitatis, quam internam & civilem nominavi, magis necessaria videtur in republica, & latius patens defensio, quam alterius, quae vi & armis retinetur. Nam vi externa raro civitates petuntur, in primis si Principes sint pacis & aequitatis amantes: sed a civili, hoc est, a privatorum inter se injuriis, quotidie, & infinitis in locis, periculum est; cum tantae hominum plurimorum sint cupiditates, ut omnium legum vinculis constrictae, tamen vix teneantur.

Quodsi in securitate reipublicae tuenda, res militaris cedit pacis artibus; quanto magis ab iis in ratione utilitatis vincetur, quam sibi prope totam artes pacis vindicant: eoque nomine tantum eae in Principe belli artibus praeferendae videntur, quanto magis utilitas in societate civili constituenda, quam securitas, est expetita. Atque ego non ignoro, doctissimos viros fuisse, qui homines una spe securitatis congregatos contenderent; in quorum numero Pufendorfius ponitur: sed etiam in vita solitaria non difficillima erat a bestiis defensio, & ab hominibus non adeo erat timendum. Quam pauca enim erant in ista vita, quae injuriis hominum paterent, quae fere a cupiditatibus oriuntur. Certe si securitatis spes & studium humanas societates

conglutinavit, egregie auctores earum sunt decepti. Nam societas, copia rerum, a se orta, inflammavit cupiditates hominum, eosque ad injurias promtiores, & ad fraudes callidiores fecit. Uno, paucorum annorum, bello nunc plures homines pereunt, quam, si vita solitaria mansisset, totis seculis perissent. De Nomadibus quidem & Troglodytis & veteres & recentiores ita prodiderunt, ut facile intelligatur, plures homines Parisiis per vim uno anno, atque adeo mense, interire, quam in vastissimis illorum hominum regionibus, toto seculo a bestiis hominibusque interimantur. Quid igitur homines inter se conciliavit, & in civitates compulit? Nempe viderunt, quanta esset opportunitas in hominum ingeniis animisque, si quis eam posset elicere, & praecipiendo exercendoque augere: quantum homines se invicem adjuvare possent in victu, vestitu, domiciliisque parandis, omninoque ad humaniorem vitae cultum: & tanto meliorem vivendi conditionem fore, quanto plures se ad commune commodum conjunxissent. Quae cum ita sint, quis non videt, Principem eum, qui tot ac tantis societatis commodis, quorum copia & perpetuitate omnes felicitatem reipublicae judicant, tuendo, adjuvando, augendo possit consulere, eum, inquam, longe propius civitatis finem attingere, quam qui a vi externa defendat, eamque ob causam longe majorem judicari oportere. Atque etiamsi pleniore plerumque ore homines, in primis plebeji, aut sensibus obedientes, laudant res bello praeclare gestas: tamen saepe respublica domi bene gesta ita praedicatur, ut facile appareat, artes pacis, ubi ratio magis & veritas, quam sensus audiantur, militaribus praeferri. Fabius quidem censor, cum, infima plebecula in quatuor tribus urbanas conjecta, effecisset, ut comitia essent in potestate melioris civium partis, hoc a populo, rebus bellicis maximo, tamen consecutus est, ut Maximus appellaretur: qui honos nulli Imperatori contigit; cum etiam Pompejus, continentibus prope victoriis, iisdemque maximis, Magni tantum cognomen tulerit. Ego quidem existimo, sapientissimum quemque principem malle hoc in titulis suis poni, quod Augusto Electori Saxoniae, propter sapientiam, tributum est, ut

ut Arbiter Imperii dicatur, quam aliquot de Turcis victorias. Et quoniam pacis artes in benefaciendo maxime cernuntur, bellicae autem in vi facienda: quomodo illae non digniores Principibus ſint, quibus cum Dei benignitate conjunguntur, cujus, in his terris Vicarii, & ſunt, & dicuntur.

Satis videor demonſtraſſe, pacis artibus praeſtantem Principem eſſe majorem bellicis claro, ſi eas utilitatis magnitudine metiamur. Reſtat, ut breviter difficultas utriuſque generis comparetur, ex qua quippe vulgo magnitudinem rerum humanarum judicamus. Ea autem in duabus rebus cernitur: in iis artibus primo comparandis, deinde exercendis, & ad publicam utilitatem conferendis. Quarum igitur difficilior, primum, eſt diſciplina? Bellicae artes, ut ab iis didici, qui ipſi earum laude claruerunt, non adeo difficili, aut multarum rerum ſcientia tenentur, ſed maxime uſu & exercitatione conſtant: tum robore quodam animi corporisque opus habent, ad pericula contemnenda, & moleſtias belli ferendas; quod bonum natura plerumque hominibus contingit, & exercitatione augetur: celeritate deinde ingenii, uſu ſubacti, quod in rebus gerendis ſtatim, quid in rem ſit, ſubjiciat: diligentia denique, in inſidiis periculisque vitandis. Sed quae ſunt in his difficillima, ea communia ſunt pacis artibus, & praeter ea multa alia, haud paullo difficiliora, in his & comparandis & exercendis, debent accedere. Quanti enim ingenii, quanti ſtudii, quantae diligentiae, Princeps eſſe debet, qui velit noſſe deſcriptionem totius reipublicae, cui praeeſt, ejusque opportunitates, & incommoda, cum ſuis cauſis intelligere: legum, judiciorumque vitia perſpicere, & quomodo diligentius ſanciantur, videre: tum unamquamque reipublicae partem cognitam habere; de dignitatibus hominum, in quibus tantae latebrae ſunt, tantique receſſus, judicare, & unumquodque munus in loco ponere: quomodo reditus ſine magno civium incommodo augendi, mercaturae ſuccurrendum ſit, reperire, & copiae omnium rerum proſpicere: homines ad perficiendas artes acuere: civium ingenia noſſe, eorumque vitiis cavendo magis, quam puniendo, occurrere: amorem virtutis inſpirare: aliorum etiam

Principum ingenia & mores cognitos habere, & alia permulta talia, quae vos, Principes Celſiſſimi, me longe rectius tenetis, animo complecti; quae ſunt profecto ejusmodi, ut ea vix cujusquam mens & cogitatio capere poſſe videatur. Sed ſi quis ea omnia teneat, in exercendo tamen magnae difficultates, bellicisque majores, objiciuntur. Nam, ut nihil de caſu & fortuna dicam, quae ſunt utrisque communia: quot quamque difficilibus virtutibus Principi, pacis artes ad utilitatem publicam conferre cupienti, opus eſt? in quibus dominatur ea, quam Latini temperantiam vocant, cujus haec vis eſt, ut omnes cupiditates, iram, libidinem, avaritiamque in poteſtate habeat, neque ab iis ſe vinci patiatur; uni aequitati, honeſtati & utilitati publicae obediat: qua virtute nihil eſt in rebus humanis majus. Ea ſaltem una difficilior eſt omnibus belli artibus. Orbem terrarum prope ſubegit Alexander M. ſed ab ira victus, libidinis ſervus, adulatorum mancipium fuit. Julius autem Caeſar, quantus imperator! uni mulierculae barbarae adeo reſiſtere non potuit, ut ei, libidinis cauſa, maximum regnum condonarit. Nempe facilius multo eſt, alios vincere, quam ſe. Nam, in aliis vincendis, nihil tibi dolet: in te vincendo, tute tibi aegre facis. Tum, in aliis ſuperandis, multos adjutores habemus: in ſe vincendo, ſolus quisque pugnat. Adverſarium porro habemus non, cui iraſcamur, aut acerbum; ſed dulcem & jucundum: pro quo etiam potentiſſimus gratioſiſſimusque deprecator intercedit, amor noſtri; cujus preces tales ſunt, quales Plato regum preces dixit, perſuaſiones cogentes.

Ut finiam, brevi complectar. Fingite animis Principem talem, qui omnem ſcientiam militarem teneat: qui ſit ea fortitudine, ut nullo periculo commoveatur, nullo labore frangatur, nullis moleſtiis defatigetur: tanta porro prudentia & conſtantia, ut nihil ei in bello inopinatum accidere poſſit, ut nullo caſu perturbetur, ſed ſtatim, quomodo ei occurrat, reperiat: qui ſit diſciplinae tenax; opportunitates rei gerendae ſubito oblatas, & celeriter tranſituras, nunquam dimittat, & victoriis recte utatur: qui, quocunque venerit, terrorem, fugam, cladem adducat, unde redeat,

prae-

praedam, victoriam, pacem deportet. Permagnum, merito, & admirabilem talem Principem dicamus. Sed cogitate jam animis talem, in quo fit primo pietas in Deum, & religionis amor: qui non cives magis in poteftate habeat, quam fe: qui populum imperio jufto & falubri regat: qui fit improbis afper, bonis mitis: propofiti tenax, veniae facilis: cujus fit idem femper vultus, eadem vox, idem vitae tenor; qui magis amore animis, quam metu corporibus imperet: qui, quocunque advenerit, eo tranquillitatem, otium, copiam, gratiam, hilaritatem afferat. Quid igitur? Principes Celfiffimi; non hic major illo fuperiori videtur, & admirabilis, certe amabilior? Cujus enim eft ifta imago? Cujus? nifi optimi Patris veftri; quem vos, quia Pater eft, neceffario amatis, quia Rex eft, neceffario veneramini; quia talis Pater, talis Rex eft, etiam libenter nobifcum & amatis & veneramini. Atque horum ejus tot ac tantorum bonorum ad vos, per omnia amabiles Principes, poffeffio pertinet, veluti hereditate quadam longe pulcerrima illa & laetiffima; quia vivo & falvo & gaudente eo aditur, a quo venit.

Servet Deus O. M. vobis atque univerfae Patriae hunc tam amabilem Patrem, una cum Augufta Matre veftra, iisque incolumitatem, vitam longaevam, tranquillitatem, felicitatem omnibus numeris abfolutam, praeftet. Servet vero etiam vos, Principes Celfiffimi, Auguftorum Parentum fpem, patriae fubfidia, futurae felicitatis pignora, & vos, omni genere bonorum, quibus felicitas in ifto faftigio cenfetur, cumulet. Ad illud autem veftrum beneficium, quod mihi audientia veftra tribuere dignati eftis, neque vos majus addere, neque ego fuavius petere poffum, quam ut ita de me exiftimetis, venerationem Celfiffimi nominis veftri in me effe tantam, quantam cujusquam animus capere poffit, amorem autem tantum, ut mihi etiam dulce foret, pro vobis vitam profundere.

ACROASIS II.

DE INGENIORUM GRAECORUM ET ROMANORUM COMPARATIONE.

Principes Celsissimi!

In universa ingeniorum censura, una & consentiens omnium intelligentium vox principatum haud dubie defert ad Graecos & Romanos, in quibus summa ingenii humani vis & quasi mensura extitisse putatur & constitisse. Hujus judicii argumentum habemus hoc vel maximum, quod, quicunque uspiam ingenii gloria florere voluerunt, ii omne studium suum ad eos imitatione exprimendos contulere, & nunc etiam tanto quisque propius ad perfectionem putatur accessisse, quanto minus ab iis similitudine abesse reperitur.

Sed si Graeci & Romani inter se de ingenii principatu contendant, ambiguum fortasse videri possit, secundum quos intelligens judex debeat pronunciare. Fuit quoddam tempus, idque inde ab initiis urbis, usque ad septimum prope seculum, cum Romani Graecis

cis ingenii gloriam libenter concederent, cujus illi ne videri quidem appetentes volebant: tantus rei militaris omninoque publicae amor insederat! Graeci autem laudis hujus omni tempore, cujus quidem memoria extet, appetentissimi fuerunt, & earum rerum, quibus ea comparatur, studiosissimi. Homericus quidem Achilles ita institutus erat a Phoenice, juventutis suae rectore, ut esset idem & orator gravis & bellator fortis. Itaque perfecerunt, in primis adjuvante natura, ut omnes ingenii artes apud eos & inventae & perfectae putarentur. Sed postquam Graecia, cum ceteris orbis terrarum populis, in potestatem ac tutelam Romanorum venerat, invasit paullatim Romanos hujus quoque gloriae cupido, ut, quantum Graecos fortitudine & potentia, tantum etiam ingenio, superare vellent, neque satis aequo animo paterentur, eos in hac laude sibi praeferri. Neque enim alii rei facilius, inter privatos quidem, invidetur quam ingenio; & aequioribus animis vulgo audiunt, aliquem in primis patientem in labore, imperterritum in periculis, durum in dolore, temperantem in voluptatibus, aut nobilem divitemque dici, quam praeter ceteros ingeniosum praedicari. Et illa quidem sibi tribuentem, non satis ferunt, ferunt tamen; sed, qui ipse suum ingenium laudet, nullo modo. Hac igitur invidia etiam Romani tangi potuerunt, ut ingenii gloria Graecis praestare cuperent, &, quoniam, quae optamus, facile credimus, etiam paullatim se praestare crederent: praesertim, cum haud pauci inter ipsos extitissent ingenii artibus, hoc est, eloquentia, poësi, omnique dicendi ac scribendi genere clarissimi. Atque hujus opinionis suae, etiam inter recentiores quosdam defensores nacti sunt, qui haud dubie quosdam de Romanis scriptoribus Graecorum excellentissimis praeponendos contenderent. Contra quos alii acriter coorti sunt, qui summa vi Graecis antiquam principatus possessionem vindicarent.

Neque vero mihi videtur esse mirandum, si in hac causa non omnes idem judicant, cujus haec est ratio, ut, quo subtilius rem exsequare, eo difficilius, quid decernendum sit, videas. Versatur enim in comparatione earum rerum, quarum magnitudo nulla sen-

ſibili & certa menſura comprehendi ac definiri poteſt: de quo genere rectisſime Dialectici praecipiunt, cum, ejus dijudicationem ancipitem ac perdifficilem eſſe, docent. A me quidem in hac controverſia diſceptanda, ſententiaque mea explicanda, haec ratio atque hic modus adhibebitur, ut primo univerſos Graecos & Romanos inter ſe comparem, &, utris principatus debeatur, videam; deinde quosdam, de principibus utriusque gentis ſcriptoribus, committam. Ceterum diſputatio haec tota intra fines earum literarum continebitur, quas noſtrae aetatis conſuetudo humaniores vocat, quarumque publice in hac Academia docendarum munus ſuſtineo, hoc eſt, poëſeos, eloquentiae, & hiſtoriae. Philoſophia & Matheſis, quas ipſas quoque Cicero humaniorum literarum nomine recte amplectitur, ex hac diſputatione tollantur: de quibus hoc minus neceſſe eſt dicere, quando de his, ſine omni dubitatione, ita judicant omnes, ut in iis longiſſime a Graecis ſuperari Romanos dicant.

Sed in prima illa comparationis parte, qua univerſi Graeci cum univerſis Romanis conferuntur, magnum profecto praejudicium Romani faciunt ipſi. Nam, ut quisque eorum ingenii elegantiorisque doctrinae gloria maxime floret, & de hac quaeſtione rectisſime judicare poteſt, ita maxime Graecos Romanis praefert. Lucius Craſſus quidem, Romanae eloquentiae ante Ciceronem princeps, apud hunc ipſum Ciceronem, non modo fatetur, ſe Graecis quicquid in dicendo poſſit, debere, ſed etiam hortatur adoleſcentes, ut ab iis ſolis eloquentiam petant. Hic eſt ille Craſſus, qui etiam rhetores Latinos, cum cenſor eſſet, edicto ex urbe ejecit, quod impudentiae potius quam eloquentiae magiſtri eſſent. Cicero autem, quibus magiſtris in eloquentiae praeceptis diſcendis, exercitationeque exprimendis, uſus eſt, quosque maxime imitatus eſt, niſi Graecos? quos ille diſerte principes eloquentiae appellat. Quid? Horatius, qui unus Latinorum omnium, & rectisſime praecepiſſe, & acutisſime judicaſſe de carminibus putatur, nonne poëticae laudis cupidos ad ſolos Graecos amandat? nonne, cum Virgilium optime noſſet, eum autem maxime amaret & admiraretur, tamen unum Homerum carminis epici exemplar ad imi-

imitandum proponit? Quid dicam de Quintiliano? qui a nemine Homerum in ullo genere orationis ſuperari poſſe pronunciat, & Virgilium primum illum quidem Romanorum poëtam, ſed ſecundum tamen Homero facit.

Jam ſi numero cum Romanis contendant Graeci, quis non videt, quanto ſuperiores Graeci ſunt futuri? Philoſophiae ſatis elegantem ſcriptorem Romani non niſi unum habent Ciceronem, & ne hunc quidem Platoni aut Xenophonti parem: Graeci autem propemodum innumerabiles. Oratores permultos illos quidem Roma tulit, ſed in his quam paucos cum Graecis comparandos? & hos ipſos Graecorum imitatione ad hanc laudem perductos. Poëtarum porro bonorum apud Graecos, in omni prope genere, egregia copia: apud Romanos, praeterquam in elegiaco & comico genere, vix ſinguli. Lyricos, ut hoc utar, poëtas probabiles, Graecia Pindarum, Alcaeum, Sapphonem, Simonidem, alioſque habet, Roma unum Horatium. Quid dicam de hiſtoricis? quos Graeci multos excellentes oſtentant, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Philiſtum, Theopompum, Polybium, Plutarchum, Diodorum, Dionyſium, Arrianum, alioſque; Romani autem de Quintiliani judicio, non habent, quos Graecis opponant, niſi Salluſtium & Livium, quibus, qui velit, Tacitum addat.

Quale autem illud putemus, quod Romanorum in hoc genere gloria, unius prope ſeculi finibus continetur, apud Graecos per plurima ſecula vagatur. Nam Homeri aetas ipſa Romae initia ſuperat, Chryſoſtomus autem, exempli gratia, haud parum probabilis orator, ſeculo poſt Chriſtum natum quarto ejusque extrema parte vixit, quem inter & Homerum duodecim amplius ſecula interſunt.

Illud autem haud dubie maximum ad Graecorum victoriam momentum facit, quod, in omnibus amoenioris doctrinae partibus, in omnique ſcribendi forma, nihil prope Latini habent, quod non ipſi a Graecis ſumtum eſſe fateantur. Cicero quidem, in Tuſculana prima, non dubitat hoc Romanis tribuere, ut, eos omnia per ſe ſapientius Graecis inveniſſe dicat, ab iis autem accepta, meliora feciſſe. Id ut, de re mili-

militari, de legibus, omninoque de artibus civilibus concedam, de literarum elegantiorum disciplinis, vere dici, negem, in primis, quoad ingenio constant, quod in iis dominatur. Quaedam fortasse magis expoliverunt Romani, quamquam haec quoque pauca: inventionis quidem gloria sine dubio Graecis relinquitur, eaque tanto major, quanto facilius est, rebus inventis, & prope jam ad perfectionem adductis, aliquid addere, quam eas primum invenire.

Apparet, nisi fallor, si universi Graeci cum universis Romanis de principatu ingenii certent, haud dubiam Graecorum victoriam fore. Sed, ut etiam in victo exercitu possunt esse, qui in toto victore exercitu parem virtute neminem habeant: sic, etiamsi universi Graeci universis Romanis superiores sunt; tamen quidam de Romanis possunt Graecorum principibus praestare. Quare etiam horum nonnullos inter se componamus, in certamenque deducamus. Certet igitur primum Homerus cum Virgilio: contendat deinde Pindarus cum Horatio: committantur post Demosthenes & Cicero: provocet denique Livius Thucydidem. Omnes magni homines, qui victoriam dubiam facere adversariis possint: omnes adeo victoria digni, sed qui victi non minus prope aequis animis, quam victores discedant. Socratis hoc fuit, auctore Platone, ut in disputando cuperet inferior potius quam superior abire, digna Philosopho modestia, dudum illa in rebus deperditis, ut opinor, numerata: quo, ratione victus, a falsis opinionibus, si quas haberet, liberaretur. Nostri quidem, etsi non sunt Philosophi, sed in eo genere elaborarunt, in quo maxime gloria spectatur, tamen aequis animis vincentur. Nam si Graeci Latinos vincent; magistri discipulos superabunt: si Latini victores discedent; discipuli magistris superiores erunt. Sed, ut parentes nemini plus favent, quam filiis, & ab his facillime ferunt se gloria superari; filii contra nemini libentius cedunt, quam parentibus: sic magister, ut quisque est humanior, ita magis non modo fert, sed etiam optat a discipulo superari, ejusque gloriam prope ducit suam: discipulus autem, si gratus esse velit, non recuset, praeceptorem sibi praeponi.

Producantur igitur primi, carminis epici principes Ho-

Homerus & Virgilius. Bene compositum par. Quibus autem de rebus futurum est certamen? Primum de ingenio, quod cernitur in invenienda & probabiliter contexenda fabula ea, quae carminis materiam faciat: in episodiis excogitandis, & fabulae principali ita inserendis, ut ejus partes videantur: in nodis porro apte adstringendis, iisdemque verosimiliter solvendis: tum in omni sententiarum genere, similitudinibusque reperiendis; in ejusdem denique generis eventis, verbi gratia, caedibus in pugna editis, probabiliter, & cum admiratione quadam & delectatione, variandis: in quo maxime, ut mihi videtur, ingenii vis, usu gubernata, elucet. In hac igitur parte certaminis quid dicat Homerus? se istarum rerum omnium primum exemplum, idque perfectum, proposuisse: a se ista omnia Virgilium sumsisse: ex Achille & Ulysse v. c. Aeneam conflasse, ex Hectore Turnum fecisse: omnes propemodum sententias & comparationes a se petiisse, idque caeteros etiam poëtas fecisse, eamque ob caussam se fontem ingeniorum appellatum. Quae fatetur omnia Virgilius, cedens in his libenter Homero. Est enim, Horatio teste, vir optimus, quo non candidiorem terra tulit: modestus praeterea, & de sua Aeneide non nimis bene sentiens; quam etiam morti proximus, ut imperfectam, voluit comburi; in hoc uno non satis poëta, si verum est, quod Cicero dicit, nullum esse poëtam tam malum, qui se non optimum putet. Jam si diligentia in moribus, locis, armis, aliisque rebus describendis comparentur, pares forte reperiantur, nisi quod hujus quoque diligentiae lex & norma Homerus Virgilio fuit; sin copia, ornatu, & elegantia orationis conferantur, apertum est, Homerum superiorem esse: quem veterum elegantissimi judices, nominatim Cicero & Fabius, etiam eloquentiae omnis fontem & summum exemplum demonstrant. Unum est in quo Virgilio inferior videatur Homerus, urbanitas quaedam & venustas in quibusdam rebus narrandis ac describendis; ob quam potissimum Homero praefertur Virgilius a Scaligero patre, Peralto & Motta, aut non satis peritis Graecae linguae, aut omnino rudibus. Sed ea non tam hominis est, quam temporis. Quare, nec, si abest ab Homero, desideranda, nec, cum in Virgi-

lio reperitur, eo debet valere, ut ejus caufa Virgilius Homero omnino anteferatur. Homeri enim aetas incidit in tempora fimplicitatis antiquae retinentiffima, & ab magnificentia & elegantia feculi Virgiliani remotiffima. Homerus porro fuit is, qui Afiae civitatibus circumeundis gloriam poëticae facultatis, forte etiam pecuniolam, qua maxime venae poëticae aluntur, colligeret. Virgilius autem vixit primo in urbe ea, a qua urbanitas ipfa dicitur: in confuetudine Maecenatis, elegantiffimi viri: denique in aula Augufti Caefaris, quae tum ita fedes magnificentiae, & una veriffima elegantiae fchola in univerfo imperio Romano fuit, ut Augufti, Patris veftri, Principes Celfiffimi, in imperio Germanico. His itaque Virgilius debet, quod eum venuftiorem Homero in quibusdam rebus, & noftris moribus opinionibusque accommodatiorem videmus.

Succedat alterum poëtarum par: Pindarus & Horatius; quorum certamen inique comparatum eft. Magnum enim adjutorem in certamen adducit Horatius favorem. Is accedit primum ex eo, quod notior eft & familiarior Pindaro plerisque, cujus bona, tum quia Graecus eft, tum, quia oratio ejus non poteft fine permagna Graecae linguae fcientia intelligi, perpaucis recte cognita funt; plerisque e verfionibus Latinis aut vernaculis ea fpectantibus, quod nihil aliud eft, quam de fole, ex imagine ejus picta vel ficta, judicare: deinde quia Horatius varius eft in argumentis odarum, in iisque ipfis funt permulta, valde accommodata ad animos noftros capiendos: Pindarus autem argumentum habet ejusmodi, quod nos hodie non poteft fuaviter afficere, atque id ipfum unum, ludorum victorem. Ceterum fi hic favor excludatur, folusque veniat Horatius, Pindarus duabus rebus Horatio fuperior reperietur: fpiritus magnitudine & orationis divitiis, quae res duae dominantur in genere lyrico. Ac de fpiritu quidem & ingenii fublimitate fatetur ipfe Horatius, Pindarum volanti in nubes cygno, fe autem api comparans; non fimulata quadam modeftia ductus, fed veritate coactus; idemque omnes Latini, qui utrumque potuerunt cognofcere, judicavere. Quod autem ad orationis copiam attinet, eam

ipsa argumenti unitas demonstrat. Magnum est, rem vel semel ornare verbis, & sententiis, etiam cum capax est ornatus: sed longe majus est ac difficilius, saepe, &, ut Pindarus fecit, quadragies amplius ita exornare, ut semper ab idoneis judicibus probere. Ciceronis quidem copiam in dicendo etiam demonstrare soleo e libro XIII. epistolarum, in quo sunt undeoctoginta epistolae ejusdem argumenti, sed cum varietate quadam eleganti & inimitabili. Quod si philosophi mentis divinae ac potentiae infinitam vim etiam ex eo intelligi docent, quod in omnibus ejusdem generis rebus tantam varietatem videmus, ut ne duo quidem homines reperiantur, eodem omnino vultu: quid est quare non eodem modo dicendi divitias intelligamus? Quod si liceret loca ea comparare, in quibus Pindarum Horatius imitatus est, quod scriptor quidam Francicus, Blondellus, fecit, hoc quoque appareret, plerumque Pindaro inferiorem Horatium esse.

Tertium par jam prodeat, Demosthenes & Cicero, maximi, quos fuisse scimus, oratores. Hos comparantem inter se audiamus Quintilianum, qui & optime potuit, &, meo judicio, optime fecit, neutri favens plus altero: *Demosthenis atque Ciceronis virtutes plerasque arbitror similes, consilium, ordinem dividendi, praeparandi, probandi rationem, omnia denique quae sunt inventionis. In eloquendo est aliqua diversitas: densior ille, hic copiosior: ille concludit astrictius, hic latius pugnat: ille acumine semper, hic frequenter & pondere: illi nihil detrahi potest, huic nihil adjici: curae plus in illo, in hoc naturae. Salibus certe, & commiseratione (qui duo plurimum affectus valent) vincimus. Et fortasse epilogos illi mos civitatis abstulerit: sed & nobis illa quae Attici mirantur, diversa Latini sermonis ratio minus permiserit. In epistolis quidem, quanquam sunt utriusque, nulla contentio est. Cedendum vero in hoc quidem, quod ille & prior fuit, & ex magna parte Ciceronem, quantus est, fecit. Nam mihi videtur M. Tullius cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate.*

Habet

Habet vero etiam hoc praecipuum Cicero, quod etiam in dogmatico genere exemplar eſt abſolutiſſimum, cum Demoſthenes in eo genere ne quidem elaborarit. Itaque interdum valde inclinor in eam partem, ut Ciceroni palma debeatur. Sed tamen me retinet primum ipſe Cicero, ita de ſe & de Demoſthene loquens, ut eum ſe ſuperiorem faciat, & quod tamen in orationibus ejus omnis generis dicendi, celſi, mediocris & tenuis perfecta exempla reperiuntur: Ex quo probabile fit, Demoſthenem, ſi ad dogmaticum genus animum appuliſſet, in eo quoque excellentem futurum fuiſſe, praeſertim qui Platonem praeceptorem habuerit. Quid ergo faciemus? Quem victorem pronunciabimus? Nempe, optimum videtur, imitari poëtas, qui, cum eventum pugnae neſciunt, nocti dirimendum certamen relinquunt, & utrosque aequo Marte diſcedere ſinunt.

Reſtat, ut Thucydidem & Livium in certamen vocemus. Paucis defungentur. Nam alter ſua ſponte breviloquens eſt, alterum temporis lex faciet. Commemorat autem Thucydides primo fidem ſuam & diligentiam in rebus colligendis, quibus hiſtoriam ſuam exſtrueret, & in ſcribendo ipſo: deinde prudentiam rerum civilium aeque ac militarium diuturno uſu comparatam: fuit enim e principibus reipublicae Athenienſis & exercitus dux in bello Peloponneſiaco: porro, dicendi genus, elegans, ſed breve, & politico homine militarique dignum, qui res magis quam verba curet: denique, quod exemplum hiſtoriae pragmaticae ſcribendae primus propoſuit, idque tale, quod omnes poſt ſe hiſtorici imitari voluerint. Livius vero fatetur iſta Thucydidi ineſſe: in ſe autem fidem in narrando, & diligentiam in tradendis rerum cauſis, ceterisque, quae pragmaticae hiſtoriae ſunt, non minorem dicit, genus autem dicendi haud dubie melius. Eſt profecto ita. Thucydidis fides eſt manifeſtior, quia brevius tempus, idque ſuae aetatis amplectitur: Livii fides ad cognoſcendum eſt difficilior, quia tot ſeculorum hiſtoriam tradit, ſed tamen non minus certa: uſu rerum longe major Livio eſt Thucydides: ſed Livius uſus ejus vicariam adſcivit ſcientiam rerum civilium & militarium, ex hiſtoricis, velut Polybio, hauſtam.

hauſtam. In ſcribenda autem hiſtoria parum refert, quomodo cauſas rerum cognoveris. Ceterum in Thucydide vitium hoc eſt vel maximum, quod ille non modo in narrando, ſed etiam, atque adeo magis, in orationibus politicis nimis conciſus eſt & acutus, ut etiam docti homines ejus ſenſus haud facile aſſequantur, ſitque proſaicorum ſcriptorum Graecorum omnium, quos ego quidem cognorim, difficillimus. Atqui & narrationis & orationis popularis virtus vel maxima eſt perſpicuitas ad captum audientium accommodata. Livii contra mira eſt ubique perſpicuitas cum pari ſuavitate; adſperſus eſt ſententiis, non refertus: in orationibus autem politicis incredibilis eloquentia cernitur: ita omnia cum perſonis tum rebus attemperata reperiuntur. Quo fit, ut mihi quidem Livius Thucydidem, ſi non omnino, at ſuavitate & utilitate vincere videatur.

Jam ilicet, miſſum eſt certamen. Ii autem, quos de palma certare vidiſtis, maximas vobis, Principes Celſiſſimi, gratias agunt, quod ſe tam patienter, tamque aequis animis, ſpectare atque audire voluiſtis, vobisque ſanctiſſime confirmant, quod ſub oculis veſtris ſibi licuerit contendere, id ſibi omni victoria ſuavius & majus videri. Ego autem vehementer opto, ut vobis virtutum veſtrarum, & rerum, quas aliquando vel pace vel bello geretis, praecones laudatoresque contingant tales, quales ii ſunt, quos juſſu veſtro in certamen deduxi.

JO. AUG. ERNESTI
PROLUSIONES.

PROLUSIO I.

ORATIONIS PANEG.

IN

REGEM DANIAE

IN

DECANATU ORD. PHILOS.

Si ſuave eſt, auctore eruditiſſimo poëta, magnam maris tempeſtatem, & laborantes in fluctibus naves, e terra videre, ſine proprio periculo: non, quod aliena mala habeant aliquam apud honeſtos animos oblectationem: foret enim inhumaniſſima voluptas: ſed, quod ſenſus ſecuritatis noſtrae alienis incommodis intuendis acuitur, accipitque ex eo aliquam ſuavitatis quaſi acceſſionem: multo profecto jucundius ſit neceſſe eſt, vel audire procul belli tumultus, vel ſpectare cominus populos bello afflictos, liberum ipſum ſecurumque malorum, quae bellum habet, omnium. Neque enim alia major eſt pacis, quam a belli malis, commendatio; nec alia optabilis eſt illius dulcedinis experientia, quam quae, ſalva nobis pace, contingit. Hujus tantae ſuavitatis ſenſu ſe delinitos ſentiunt noſtri e Dania cives, cum ſpectandis malis, quibus adfligitur cariſſima patria noſtra, admonentur felicitatis, qua patria ſua, Dania, cum maxime fruitur, ab omni non modo bello, ſed

contagionis etiam bellicae timore ac suspicione, libera, & altissimo otio acquiescens. Hujus autem tanti boni auctorem amabilem statoremque, secundum Deum quidem, agnoscunt Fridericum suum, Regem sapientissimum, pacificum, & cum aliis virtutibus magnum, tum vero nulla alia re, vel sua ipsius verissima aestimatione, majorem, quam, quod summam regni administrandi gloriam ponere didicit in pace tuenda, & bonis ejus omnibus, literarum & sapientiae divinae humanaeque studiis, legum auctoritate, rerum omnium ex artibus bene cultis, e mercatura, copiis diligenter conservandis, benigne fovendis, & omni ratione augendis, hoc est, paterna indulgentia regno praestanda.

Est profecto una certissima principalis ac regiae magnitudinis mensura, quam paterni nominis benignitas & indulgentia definit: quippe ab ipsa divini numinis magnitudine ducta, & omnium seculorum constanti judicio probata, denique in ipsis sensibus nostris defixa. Majestatem divinam mens humana totam intelligit in benignitatis, operibus maximis demonstratae, magnitudine: ad hanc, velut ad caput suum, revocat ceteras naturae divinae perfectiones: per hanc omnem ejus vim & magnitudinem non modo conspicuam factam videt, sed etiam amabilem. Ipsum hujus universi moliendi & efficiendi consilium a benignitate divina, vel sola, vel maxime, derivat. Etenim vis, quamvis infinita, nihil habet, nisi efficiendi mundi facultatem: voluntas omnis est a benignitate, quae & esse cupit, quibus se conspicuam & amabilem reddere possit, &, cum sunt, quam maxime iis se gestit ostendere. Nam, ut quisque est benignior, ita magis & benefaciendi materiam requirit, & benefactis laetatur: nec alia major animo benigno voluptas potest contingere, quam a benefactorum conscientia. Ac profecto ea est benignitatis divinae vis, ut ea homini vix consistere potuisse videatur sine mundi effectione, in quo essent, quibus suam vim benefaciendo demonstraret. Nam benignitas, quae sit non modo vera, & magna, sed infinita, hoc est, quae habeat ardentissimam, &, paene dicam, insatiabilem benefaciendi voluntatem, si adjunctam habeat vim, parem efficiendis, quae velit,

lit,

lit, omnibus, nullo modo ita intelligi poteſt, ut eadem ſit otioſa, nihilque agat, ſed velut intra ſe vertatur, & ſui ſe modo cogitatione & ſenſu oblectet. In mundo vero ipſo efficiendo, etſi longius excedere videtur mentis humanae captum vis & ſapientia divina, tamen & hic dominatum benignitati omnem attribuit intelligentia noſtra, ſentiens videnſque in omnibus, vim & ſapientiam benignitati veluti pro inſtrumentis fuiſſe, per quae ſuam illa vim expromeret. Quid dicemus de conſervatione mundi & gubernatione univerſa, quae eſt prope tota benignitatis? in qua, quoquo nos vertamus, in oculos propemodum ipſos ſe ingerit curioſa quaedam & vere paterna adverſus genus humanum indulgentia? Nobiliſſima autem illa gubernationis & providentiae divinae pars, quae pertinet ad mentes humanas, & ſalutem felicitatemque animorum, per Chriſtum partam & reſtitutam, tota a benignitate divina & ortum & perfectionem habet, totam ipſe Deus ad amorem admirationemque benignitatis vult referri. Ipſum nomen Dei benignitatem ſonat: χαριστικῆς δυνάμεως ὁ θεὸς ὄνομα, *beneficae virtutis nomen eſt Deus*, inquit Philo (*de Somniis p.* 589.) &, cum ſuam ipſe majeſtatem declarat, prope ſolam benignitatem praedicat, (*Exod.* XXXIV. 6.) ut magnitudinem ſuam vel ipſe hac maxime cenſeat, vel ab hominibus intelligi ex hac & coli velit: denique cum ad mortalium humilitatem nominis illius altitudo transfertur, unius benignitatis & beneficii magnitudo ſpectatur: & juvans mortalis mortalem Deus appellatur. (Plin. II. 7.)

Ad magnitudinis autem divinae ſpeciem, quam ipſe Deus mentibus noſtris impresſit, ut ad ejus normam omnis magnitudo inter homines judicaretur, animus humanus vel effingit verae magnitudinis notionem, vel ipſam magnitudinem judicat, praeſertim eam, quae regibus & gubernatoribus generis humani conveniat. Eſt enim in iis poteſtatis divinae quaedam imago, ſuntque Dei quidam in terris vicarii: nec ullam in iis veram, & dignam illo faſtigio, magnitudinem agnoſcere debet aut poteſt mens noſtra, recte & naturae convenienter judicans, niſi, quae ad divinae illius ſimilitudinem accedat. Jam non ſumus ii, qui negemus, intelligi quandam magnitudinem poſſe, quae

nullam habeat conjunctionem cum utilitate & felicitate humana, ut potentiae, ut ingenii, ut divitiarum, quarum rerum etiam admiratione capta vel vanitas, vel ſtultitia humana, magnos interdum appellavit quibus eae contigiſſent, ut adulatio quondam Graeca Alexandrum, Romana Pompejum: in quibus tamen ipſis fortunae magis, quam hominum magnitudo eo cognomine celebrata eſt: ſed ſapientes homines nec admirantur, ut quae vel naturae necesſitati debeatur, vel fortunae temeritati, nec homines ab iis magnos appellant: immo, ſi talis magnitudo non adjunctam habeat magnam benignitatem, horremus eam; ſin etiam ſaevitia, malitia, avaritia accedat, odimus & plane puſillam ducimus. Quod ſi vero par adjuncta ſit benignitas, multis multa tribuens, & potentiae, virium, ingenii, copiarum magnitudinem conferens ad felicitatem multorum privatam, utilitatemque & felicitatem publicam patriae, generisque adeo humani, tum vero homines magnos agnoſcimus, quorum magnitudinem vero animo omnes admirentur atque laudibus efferant, eosque Deo ſimillimos judicamus. Neque enim Milonem illum Crotoniatam, cujus immenſum robur celebratur, in Deorum numerum retulit antiquitas, cum id ipſe ad meram oſtentationem retuliſſet: at Herculem retulit, quod ille robur ſuum ad pacandum orbem terrarum & ſecuritatem publicam contuliſſet: nec in toto numero eorum, qui ad Deos translati ſunt judicio hominum, reperitur, quem eo produxerit aliqua talis quantacunque magnitudo, quae aut noxia fuiſſet, aut inutilis publice: at *beneficiis excellentes viros fama & voluntate in coelum homines ſuſtulerunt.* (Cic. *Nat. Deor.* II. 24.) Nullis victoriis, quamvis magnis, quamvis crebris, Magni cognomen publice tribuerunt Romani, quoad libertas duravit, cum honoratisſima apud eos fortitudo militaris eſſet: nam in Pompejo, de quo ante diximus, *a familiari aſſentatione ortum eſt*, auctore Livio: (XXX. 45.) ſed civile inſtitutum, quod ad concordiam ordinum valuiſſet, &, comitiis ab humillima plebe ad meliorem populi partem translatis, rempublicam ad omne tempus valituro, eoque permagno, beneficio adfeciſſet, Q. Fabio cognomen Maximi a republica peperit. *Adeo ea res ac-*

cepta

cepta gratis animis, ut Maximi cognomen, quod tot victoriae non pepererant, hac ordinum temperatione pareret. (Livius IX. 46. extr.)

Graecia, & Europaea & Afiatica, quibus temporibus fub regio imperio fuit, non modo tum, cum ad regum adulationem tota effufa effet, fed etiam melioribus temporibus, nihil majus habuit, quo reges fuos, vivos mortuosque, extolleret, quam Euergetae atque Soteris cognomina, fono magis illa, quam vi & dignitate diverfa. His Macedones, atque Graeci adeo omnes, Antigonum Tutorem, regem, vivum mortuumque ornaverunt, auctore Polybio (V. 9. p. 500. ed. Gron.) τοιγαροῦν οὐ μόνον ἐκρίθη παρ' αὐτὸν τὸν καιρὸν εὐεργέτης, ἀλλὰ καὶ μεταλλάξας σωτήρ. *ob eas res non modo illo ipfo tempore Euergeta judicatus appellatusque eft, fed etiam poft mortem Soter.* Enimvero quibus rebus provocati, hunc nominibus his infignem inter ceteros reges fuos fecere? Nempe benefactis, non modo in pupillum Philippum, regno paterno ei confervando atque reddendo, & Macedonas, fed in hoftes victos, Lacedaemonios, quos nullo maleficio adfectos, libertate & legibus redditis, maximis publice privatimque beneficiis cumulaverat: unde & Graeci eum maximum regum exiftimaverunt, & omnibus humanis honoribus majorem, fed etiam Polybius dignum judicavit, cujus lenitatem & benignitatem regibus omnibus, ad veram & regiam gloriam adfpirantibus, imitandam proponeret, egregie & late difputans, (*l. c.*) quanto major in regibus bonitas effet, quam potentia, vis, & maximae victoriae: βασιλέως ἔργον ἐστὶ, τὸ πάντας εὖ ποιοῦντα διὰ τὴν εὐεργεσίαν καὶ φιλανθρωπίαν ἀγαπώμενον ἑκόντων ἡγεῖσθαι, καὶ προστατεῖν. *regis proprium eft, omnibus benefaciendo propter benignitatem & manfuetudinem amari, & volentibus imperare.* (l. c. c. 11. p. 502.) Eft enim infitum animis humanis, penitusque infixum fenfibus, ut omnibus aliis rebus majorem ducant benignitatem, ejusque laude omnium aliarum rerum gloriam obrui putent. Nominis illius magnitudinem diminuit, fplendoremque obfcuravit & regum ipforum vanitas, qui hoc nomen nulla de caufa, velut infigne regii faftigii, ufurparent, & affentatorum humilitas, qui eo reges fuos promifcue, etiam Phyfcones, ornarent: fed illa ipfa & vanitas regia, & adulatoria le-

vitas arguit, nihil majus esse in laudibus humanis Euergetae nomine, nihil majus in regibus, quam eo nomine dignum esse. Neque enim aut illius fortunae superbia arrogat sibi, nisi summa, aut assentationis profusio tribuit, nisi maxima.

Quid autem? Romana illa, victoriarum & bellicae laudis avidissima gens, an aliter de magnitudine humana judicavit? Immo vero, ut antea innuimus, nihil majus benignitate putavit, eamque virtutibus humanis omnibus, praesertim in iis, qui rempublicam administrarent, longe praetulit, nihil ea re detractum putans ceteris magnis virtutibus, quas & appeteret ipsa, & admiraretur magnopere, sed benignitatis satellites & ministras vellet. Etenim Patris Patriae nomen, quod primi in honore Principibus habendo usurpavere Romani, quo pertinet, nisi ad benignitatem & indulgentiam, (Plin. *Paneg.* 21.) quae prosit, quantum potest, omnibus, & prodesse cupiat gaudeatque mirifice, imiteturque Patrem generis humani, Deum? Sed ejus nominis honorem omnibus aliis praetulerunt, hunc summum, qui Principi haberi posset, statuerunt. Primum eo honore insignem fecit Ciceronem, non quaesita ingenio & excogitata adulatio paucorum, sed beneficii recentis magnitudine plenum, & amore grato redundans populi universi pectus; quod omni adulatione est ingeniosius, laudesque tanto magnificentiores parit, quanto veriores. Nec majus aliquid vel Catonis ingenium, vel Catuli, totiusque Senatus sapientia potuit reperire. Sed ille honos quantus fuerit, cui melius credemus, quam Caesari Dictatori, bellicis laudibus cumulatissimo, earundemque amantissimo, & Ciceronis quondam hosti? qui Ciceronem tum adeptum esse *lauream* scripsit, *omnibus triumphis majorem*, cum ei etiam, auctore Catulo, ut Patriae Patri, supplicatio esset decreta. (Plin. *Hist. N.* VII. 31.) Sed & Caesares satis ostenderunt, nihil majus esse, in honoribus humanis, Patris Patriae nomine, & ceteri ita judicaverunt. Suetonius quidem (*Caes.* 76.) in nimiis honoribus, quibus accipiendis invidiam sibi conflarit Caesar Dictator, cognomen Patris Patriae numerat. Et hic est ille Caesar, cujus fortunam nihil majus habere, dixerat Cicero, (*Ligar. extr.*) quam quod posset,

ſet, naturam autem nihil melius, quam quod vellet ſervare quam plurimos. Sed huic Caeſari mortuo cum vellent, id quod facile intelligitur, honorem habere maximum ii, qui morte ejus dolerent, nihil majus invenire potuit ingenioſus dolor, Parentis Patriae nomine, quo uno inſcripſere columnam ei in foro poſitam, (Sueton. *Caeſ.* 85.) breviſſimo ſane elogio, ſed omnes alias laudes vel complexo, vel ſupergreſſo. Auguſtus quidem, cum omne genus etiam immoderati honoris recepiſſet, ſero demum, Conſulatu tertio decimo, conſenſu populi oblatum illud nomen, cum primo recipere, per modeſtiam, ſive veram, ſive ſimulatam, recuſaſſet, deinde a Senatu per Meſſalam delatum recepit, ſed lacrimis prae gaudio manantibus, ſed ut, *compotem ſe votorum ſuorum factum*, diceret, adeptum, quod ſummum vel expetere, vel ſperare Princeps poſſet: (Suet. *Aug.* 58.) quod ei, ut finem principalis gloriae, promiſerat juſte & benigne imperanti Maecenas, auctore Dione Caſſio. (LII. p. 493.) De Tiberio autem, arrogantiſſimo homine, hanc opinionem fuiſſe, auctor eſt Suetonius, (*Tib.* 67.) quod Patris Patriae nomen accipere in principio imperii (annum alterum fuiſſe diſcimus e Tacit. *Annal.* I. 72.) obſtinatiſſime recuſarit, id feciſſe callidum & ſuae acerbitatis avaritiaeque conſcium hominem, ne mox, majore dedecore, impar tanto honori reperiretur. Trajanum denique, Plinius auctor eſt, (*Paneg.* 21.) hujus nominis honorem, propter modeſtiam, unum ex omnibus, qui in eum congererentur in principio imperii, non ſtatim admiſiſſe, ſed, dum ejus magnitudine dignum ſe factis probaſſet, diſtuliſſe. Quid? quod etiam mortuis, & in Deorum numerum relatis Imperatoribus, cum Divi praenomine, Patris cognomen tributum, numi Caeſarum docent, (v. Spanhem. *de Uſ. & Pr. N. Diſſ.* XII. p. 448.) ut unam humanarum appellationum, quae divinitate digna videretur, & poſitis ceteris omnibus, veluti mortalitatis quadam labe infectis, atque in terra relictis, una in coelum tranſiret.

Enimvero, ut vere & proprie magni, immo maximi Principes ſunt, qui ſunt optimi & indulgentiſſimi, & veri Parentes Imperii ſui, ita iidem ſoli vere feli-

ces,

ces, non ſua modo privata, ſed etiam publica ſuorum felicitate, qua nihil magis ſuum queant dicere: ſi noſtrum eſt, cujus auctores ſumus, quo pro noſtro uti fruique licet. Nam ut parentes naturales non modo ſua bona cum liberis, etiam vivi, libenter partiuntur, iisque, magis liberorum, quam ſua cauſa, gaudent, ſed etiam eorum virtutem felicitatemque ſuam ducunt, eaque ut ſua, & prope magis quam ſua, delectantur: ſic Parens populi magni Communis incredibiliter laetetur neceſſe eſt, cum ſe non modo ipſum in omnium bonarum rerum affluentia a fortuna conſtitutum ſentit, unde plurimum, ſine detrimento ſuo, ad quam plurimos manare poſſit, ſed etiam infinitam hominum multitudinem ſua benignitate & indulgentia videt beatam, non ſuo modo, ſed ipſorum judicio, eſſe. Et haud ſcio, an magni animi Principi haec aliena, ſi tamen aliena, jucundior multo, quam illa ſua felicitas videatur: cum illam intelligat, maxima ſui parte, fortunae, hanc conſilio & benignitati, hoc eſt, ſibi deberi. Auguſtus quidem, etiam in imbecilla valetudine illa, quae ei mortis cauſa fuit, admodum exhilaratus eſt, cum Puteolanum ſinum praeternavigantem nautae, qui recens ab Alexandria veniſſent, fauſtis ominibus, & his laudibus (eximias vere appellat Suetonius *Aug.* 98.) proſequerentur: *per illum ſe vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui.* Hoc erat illud, quod ei promiſerat Maecenas, ſi juſte benigneque imperando ſe Parentem populo Romano praeſtaret. Τούτου δὲ δὴ οὕτως ἔχοντος, πᾶσά σε ἀνάγκη καὶ ἡδέως βιῶναι. Τί μὲν γὰρ ἥδιον, τί δὲ εὐδαιμονέστερόν ἐστι τοῦ πάντων τῶν ἐν ἀνθρώποις ἀγαθῶν μετ᾽ ἀρετῆς ἀπολαύοντα καὶ τοῖς ἄλλοις αὐτὰ διδόναι δύνασθαι. *quid enim dulcius, quid beatius, quam cum virtute omnibus humanis bonis fruentem iisdem alios quoque impertiri poſſe?* apud Dionem *l. c.*

Sed hanc talem, ſimilem divinae, hoc eſt, veriſſimam amabilemque magnitudinem venerabunda ſpectat in Rege ſuo Dania, hanc magnificam, regioque faſtigio digniſſimam felicitatem laetiſſima gratulatur ipſi, & vero etiam ſibi. Neque enim aliam Regis, aliam ſuam novit felicitatem: ſuam Regis videt eſſe, regia fruitur ut ſua. Ejus paterna diligentia & indulgentia pacem ſecuram agit, divinae humanaeque ſapientiae

ſtudia

ſtudia indies efflorefcere laetius videt, bonam rerum omnium copiam e mercatura, ex artibus omnibus redundare fentit. Hanc Patriae fuae felicitatem & antea intellexere, &, ut fupra diximus, cum maxime, quamvis procul ab domo, fentiunt, & Patriae fuae gratulantur cives noftri e Dania. Quo magis exiftimant, effe fuae pietatis, eum fenfum proferre in publicum, eoque proferendo utcunque gratum adverfus Patriae fuae Parentem animum declarare. Hujus gratae laetitiae pietatisque fuae interpretem effe voluerunt Paullum Vidalinum, Islandum, juvenem doctum & difertum. Is proximo die Jovis, qui eft Regi Daniae natalis, in Auditorio noftri Ordinis, ab hora nona, recitabit Orationem, qua felicitatem Imperii Danici demonftret, & vota pro falute & profperitate Regis optimi nuncupet, per cujus fapientiam & indulgentiam ea felicitas vel nata, vel firmata, vel aucta eft. Huic igitur Oratori ut frequentiam praeftent Rector Academiae Magnificus, illuftriffimi Comites, utriusque civitatis Proceres, univerfique Academiae Cives, & eorum verbis, qui eum fuae pietatis interpretem conftituerunt, & noftri ordinis nomine etiam atque etiam rogamus. Aequum eft, illam tam laudabilem pietatem quam plurimos teftes habere. Regis Daniae autem laudibus nulla alia in terra magis debet faveri, quam in hac noftra, cujus Princeps communes cum illo majores habet, ut Daniae felicitatem quodammodo noftram debeamus putare, & in focietatem laetitiae Danorum publicae venire. Atque etiam illa oratione audienda vel commovebitur, vel potius inflammabitur fidele defiderium abfentis, heu nimium diu! Patris Patriae noftrae indulgentiffimi, faciemusque vero animo vota, ut ille quam primum nobis, veluti poft longae hiemis afperitatem & triftitiam, vernalis teporis lenitas amoenitasque, & cum eo pax, tranquillitas, bona copia, felicitas publica reftituatur. P. P. Dom. Judica A. C. CIↃIↃCCLVII.

PRO-

PROLUSIO II.

DE

ARTIS BENE COGITANDI ET BENE DICENDI CONJUNCTIONE

INAUGURATIONI MAGISTRORUM PHILOSOPHIAE PRAEMISSA.

Rusticum, ajunt, cum in foro venalem haberet corvum, vidiſſetque avem parvam, e genere cantricium, magna pecunia vendi, ſuae haud paullo majus pretium dixiſſe: ibi cum miratus eſſet aliquis, quod avi, bene canere haudquaquam doctae, tantum pretium ſtatueret, ruſticum contemtim reſpondiſſe: tanto melius cogitat. Nulla muliercula tam nihil intelligit, nemo puer tam rudis eſt ac ſtultus, quin ſtuporem ruſtici ſentiat atque rideat. Sed ille ruſticus tam ſtupidus nullus uſpiam fuit, ſed ad irridendam eorum inſcitiam excogitatus eſt ac fictus, qui, cum ſint infantes ac barbari in dicendo ac ſcribendo, tamen non modo recte ac bene cogitandi ſcientiam & laudem ſibi vindicare, & hoc nomine imperitis hominibus ſe venditare, ſed etiam bene dicendi ac ſcribendi artes, ut inanem verborum curam & ſcientiam, contemnere audent. Hoc genus hominum illo maxime tempore fuit, cum, barbaris undique illatis, extinctus eſſet ſenſus veri, pulcri, atque honeſti, hominesque, quod rectum & perfectum eſt in artibus, nec poſſent videre, nec videre curarent, ſed inficeti ingenii ſui argutis ineptiis quisque ita delectaretur, ut eas pro vera & una ſapientia probaret ac commendaret.

ret. Videbant ſtultiſſimi mortalium, ſe ſcripta, quae ante ſe probata & in honore fuiſſent, nec intelligendo conſequi, nec imitando poſſe, ut quae nimis ab ingenio ſuo abhorrerent, haberentque nihil ſimile ſui. Itaque ſuum ingenium, quod ſtultiſſimo cuique maxime placet, ſecuti, ex ſe peperere inſanientem illam ſapientiam, quam ipſi totam rerum putabant, cum nihil propemodum, niſi barbariem & obſcuritatem ineptiſſimorum verborum, haberet. Ea cum ad riſum & jocum traducta eſſet per eos, qui Graecas Latinasque literas e tenebris in lucem protraxiſſent, reſtituta eſt vetus illa ſapientia, quae intelligendi ſolertiam cum bene loquendi elegantia ita conjungeret, ut alteram ſine altera nemini contingere putaret. Sed cum ea eſſet difficilior, & non modo plus ingenii, ſed etiam, incredibile eſt, quanto plus laboris atque exercitationis poſtularet, non ita multo poſt, ut eſt proclive ingenium humanum a labore ad ignaviam, longe maxima pars eorum, qui ſe ad doctrinae ſtudia contuliſſent, ab hac vera, & perfecta, & diſerta ſapientia, ad inanem illam, & horridam, & barbaram defecit: in qua, ſi quid ineſt boni, tamen ita obſcuratur orationis inſcitia, ut, quo quisque magis verba recte intelligere didicerit, ita minus intelligat, ita minus, quale ſit, quod dicatur, videat. Id planum facere brevi diſputatiuncula inſtituimus, ut, quemadmodum nuper diſciplinam bene dicendi recte inſtitutam plurimum prodeſſe oſtendimus ad animos ſenſu honeſti & amore ſapientiae virtutisque imbuendos, ita, eandem ad ſubtiliter ac bene cogitandum maximam vim habere, doceamus, denique, an, qui non bene ſcribat in eo, quo utitur, genere ſermonis, tamen bene cogitet, dubium videri, certe vix intelligi poſſe.

Ac primum magno argumento eſſe debet hoc, quod non modo tum, apud populum quemque, philoſophia maxime perfecta fuit, cum artes dicendi maxime celebrarentur, eaeque & a quam plurimis & quam feliciſſime tractarentur, ſed quod etiam ſemper cum artibus dicendi philoſophia vera & probanda vel nata, vel mortua eſt: quod accidere quomodo potuiſſet, niſi hanc haberent copulationem, ut ſegregari nullo modo poſſent? Antiquiſſimum bene ſcribendi genus apud

Grae-

Graecos haud dubie eſt poëtarum: nec quicquam Homero atque Heſiodo antiquius aut par habuere Graeci in ullo genere ſcribendi, quod placeret, quod probaretur, atque ad poſteritatem propagandum videretur. Quis autem hoc vel neſcit, vel negare audet, a poëtis initium philoſophandi, certe de philoſophia ſcribendi, factum eſſe? &, qui primi de rerum divinarum humanarumque natura ſubtilius ſcripſerint, & poëtas fuiſſe, & verſibus in ſcribendo uſos eſſe, poëtisque etiam hanc ob cauſam tributum eſſe, ut proprie & κατ' ἐξοχὴν ſapientes & docti dicerentur; ut qui ſoli rerum omnium naturas, partes, formas accuratiſſime & ingenio perſpicere, & verbis aptis exprimere, exercitatione aſſidua didiciſſent. Exorti ſunt poſthaec inter Graecos, qui ἀκρίβειαν ſcribendi ad orationem vulgarem, hoc eſt, certis numeris non adſtrictam, transferrent, ii, qui Sophiſtae primum ſunt, honeſtisſimo tum & pleno laudis verbo, appellati, extititque magna illa ars, quae apte de quaque re dicere ac ſcribere doceret, & λόγους τεχνικῶς ἔχοντας conficere, ut Iſocrates loquitur. Quid igitur accidit? An nihil hoc philoſophiae profuit? Immo vero ab hoc tempore primum philoſophia, quae apud poëtas veluti in cunis jacuerat, adoleſcere coepit: tum ſtatim hanc formam, hoc robur accepit, ut ejus verbi honore eſſet digna, ut diſciplinae nomen capere ac tueri poſſet. Nam Socrates quidem, a quo omnem veram philoſophiam ortam conſentiunt, proximus illi aetati fuit, ut qui etiam clariſſimos Sophiſtas cognoverat, neque eorum artem aliam ob cauſam reprehendebat, quam, quod ea ſubinde ad quaeſtum & vanitatem abuterentur. Nihil dicimus de Platone, cujus non magis ſapientiam, quam ſcribendi elegantiam atque etiam copiam veteres admirantur: perfectus tandem philoſophus, etiam ad noſtrorum hominum opinionem, fuit Ariſtoteles, qui philoſophiam e Dialogorum ambagibus ad certam ſcholae legem retraxit, & ad diſciplinae ſubtilitatem ac formam redegit. Sed ille a Rhetorum ſcholis ad philoſophiam venerat, Rhetor ipſe omnium praeſtantiſſimus: nunquam, ut opinor, conſecuturus id, quod diximus, niſi artibus dicendi bene inſtructus acceſſiſſet. Sed haec tam bene conſtituta philoſophia, quicquid

quid mox labis & vitii contraxit, id omne, veteres fatentur, habuiſſe ab inſcitia verborum & artium dicendi. Hinc novorum illi nec bonorum verborum in philoſophia mali opifices, ut Cicero appellat, Stoici & Epicurei, qui res notas & vulgatas novis, obſcuris, ambiguis, & parum aptis verbis traderent, negantes verborum eſſe philoſophiam; qui imperitia dicendi res claras implicarent, & inutilibus controverſiis omnia refercirent: unde etiam errores graves, & ad religionem moresque pernicioſi, orti ſunt. Jam, ut ad Romanos veniamus, non profecto aut ante philoſophia bene tractata eſt Romae, quam artes dicendi Graecorum more diſcerentur, aut ab aliis, quam, qui artes bene dicendi & accurate didiciſſent, & diu feliciterque exercuiſſent: ceteris, qui ſine iſtis artibus, & ſine ea facultate, ad philoſophiam explicandam ſe contuliſſent, irriſis & contemtis; ut qui nihil dilucide, nihil diſtincte, nihil accurate nervoſeque explicare, ac ne ſatis quidem percipere potuiſſent. Neque vero, id quod ſatis conſtat, tolerabilis inter Latinos vel philoſophus fuit, vel de philoſophia liber extitit, poſtquam artium dicendi contemtus invaluerat, & barbaries orationis omnia contaminare coeperat. Tum ſcholaſtica illa philoſophia exorta eſt, a qua majores noſtri cum liberati eſſent, vehementer ſunt gaviſi. Sed hoc beneficium profecto debebant iis, qui artes dicendi revocarant, & ab iis, qui eleganter, Graece aut Latine, de philoſophia ſcripſerant, recte intelligendi, & recte intellecta bene dicendi ſcientiam, ſapere & ſcribere, didicerant. Quodſi in eo manſiſſent poſtea philoſophi, & cum veteres illos, tum recentiores probatos & elegantes philoſophos imitati eſſent: quam bene cum philoſophia actum fuiſſet? quam multis λογομαχίαις caruiſſet? quanto ſplendidior manſiſſet? quanto etiam auctior facta fuiſſet rebus bonis & utilibus potius, quam ſordibus verborum, quae quiſque ad libidinem ſuam vel finxit, vel in aliam ſignificationem detorſit? Sed queri nunc non eſt animus: docere ſtudioſos, quae recta & vera ſunt, cupimus. Itaque, cum hoc docere ſuſceperimus, artibus dicendi, praeceptis & lectione cognoſcendis, & multo magis exercendis, aditum fieri ad bene cogitandum, & bene cogitata recte ex-

plicanda, idque uſu & experientia omnium aetatum firmari docuerimus, reſtat, ut rem ipſam conſideremus, & ex ea argumenta ducamus.

Jam primum ſatis conſtat, neque alium patere aditum notionibus in animos noſtros, neque exitum e mente dari, niſi per verba. Neque enim eae omnino ſine verbis eſſe ullae, aut ſaltem ſtabiles certaeque manere poſſunt, ut bene docet Lockius cum aliis philoſophis: quippe cum eas animus rebus, vel ſenſibilibus, vel intelligibilibus, velut detraxit, devincire ac defigere, ne errent, ac cum ceteris confundantur, niſi per verborum vincula, ac, paene dicam, clavos, non poteſt. Unde fit, ut quemadmodum ſine notionibus generum ac formarum, ſic ſine verbis in homine quidem, nulla vera intelligentia, nulla ratio eſſe poſſit: videmusque in infantibus, ut magis verba intelligere uſu & loqui diſcant, ita magis intelligentiae & rationis vim excitari & augeri. Non itaque recte dicemus, ita quemque accuratius intelligere ipſum, & intelligentiam alienam acuere poſſe, ut accuratius & rectius verba vel intelligat, vel uſurpet? Veteres quidem videmus, omnem & intelligendi & explicandi rationem appellaſſe Dialecticam, h. e. diſſerendi, & ſubtiliter dicendi artem, ſive, ut Cicero ait, contractam & adſtrictam eloquentiam: quos qui deſeruere, eam diſciplinam, ut aliquid novi ac melius proponere diſcentibus viderentur, Artem cogitandi, vel inveſtigandae veritatis, vel Logicam appellarunt, merito caſtigat Facciolatus, Orat. XII. Sed verborum intelligentia vera & accurata unde peti poteſt, niſi a ſcriptoribus in quaque lingua iis, qui eam optime calluerunt, & exercitatione diligente & aſſidua conſecuti fuerunt, ut ea optime uti poſſent. Neque enim exiſtimari debet, qui recte linguam intelligat, eundem ſtatim ea recte in dicendo ac ſcribendo uti poſſe: niſi vero, qui Ciceronem bene intelligit, idem ſtatim Ciceronis modo ſcribere ac dicere poteſt. Immo vero longa eſt & difficilis ab intelligendo ad agendum in omni arte via, quam ſola exercitatio & munit, & emetitur. Itaque neceſſe eſt, fateamur, qui in Latina v. c. lingua ab idoneo magiſtro diſcat intelligere ſcriptores meliores, qui bene cogitata eleganter, accurate, diſtincteque ex-

expressere verbis, eum hac ipsa via ad bene intelligendum atque cogitandum adduci. Nam & nostri Philosophi, cum suos libellos & compendia explicant tironibus, an aliud faciunt, quam, ut sua intelligere doceant? Quodsi his intelligendis ad subtilitatem cogitandi adduci posse homines putantur, quidni etiam, & multo magis, illis antiquis, qui accuratius multo & distinctius sunt locuti? Atque haec ratio tanto est praestantior judicanda, quod ea simul adducit ad bene de talibus rebus dicendi & scribendi facultatem, praesertim, si exercitatio scribendi e praeceptis artis instituta, & a bono magistro adjuta & gubernata accesserit.

Plurimum, ac paene dixerim omnia, in bene dicendo ac scribendo valet delectus verborum, tantopere ille a Cicerone, & intelligendi & dicendi magistro optimo, praedicatus & commendatus. Is autem profecto latius patet, quam vulgo existimant. Neque enim ille modo delectus est, si in omnibus rebus verbum & teneas, & ponas, quo illud ipsum, quod cogites, quod dicere velis ac debeas, plane exprimatur, non plus aut minus, ne vel incertus haereat lector, vel omnia alia intelligat: sed etiam, si rem quamque ab ea parte per verba apta ostendas, quae ad bene & accurate intelligendum maxime pertinet: quo nihil valet ad recte intelligendum & judicandum magis. Enimvero, ut primum illud totum consequimur scriptoribus cujusque linguae optimis accurate cognoscendis: unde enim nisi ab his, verborum potestates & discrimina discas? sic alterum primum videre, deinde imitari docet curiosa veterum in primis lectio, qui in hac parte sunt felicissimi. Nos hoc v. c. in praeceptis rhetoricis, ad elegantiam & venustatem pertinentibus, posuimus, (*Init. Rhetor. p.* 141.) ut, suis locis, adjectiva in substantiva converterentur, ex uno substantivo fierent duo, itemque pronomini vel adjungeretur vel substitueretur substantivum. In his nihil inane est, aut ad numerum strepitumque verborum modo augendum comparatum, sed omnia sunt ex ipsa ratione atque arte bene intelligendi ducta, & ad juvandam lectorum auditorumque intelligentiam comparata, ut, quid in quaque re spectandum sit, quae sint causae rerum, & quare quidque vel sit, vel fiat, vel fieri debeat, vel probetur,

vel improbetur, ſtatim appareat, h. e. ad eam delectus partem, de qua dicere coepimus. Neque enim quicquam in praeceptis rhetoricis poteſt probari, quod non ſit ex illo fonte hauſtum; quod non aliquam ad bene intelligendum, aut ad permovendos animos vim habeat, quarum rerum cauſa ipſa dicendi ratio eſt inventa. Sed non ſolum hactenus ea ratio legentibus audientibusque prodeſt ad intelligendum, quod iis non relinquitur, videre per ſe, ac quaerere, quid ſit in rebus perſonisque, propter quod iis quidque vel tribuatur vel negetur, cujus quaerendi tempus, praeſertim in audiendi celeritate vix datur, ſed id ipſum verbo oſtenditur; verum quod etiam brevitati ſervit, ad perſpicuitatem & intelligendi facultatem aptiſſimae. Quippe unius verbi anguſtiis concluditur tota ratio, propter quam quodque dicitur, ſine ulla obſcuritate: unde celeritas intelligendi & judicandi venit, quae in vera & legitima brevitate, vel ſola, vel maxime ſpectatur: neque alia videtur eſſe cauſa, quare tantum ſuavitatis in ea ratione ineſſe putetur. Veluti, cum Cicero dixit, non, *vitandas eſſe ſapienti opiniones*, ſed *opinionum levitatem atque imbecillitatem*, non *plebem concitatam lege magis incitare*, ſed *plebis concitatae temeritatem legis auctoritate armare*: non ſingulorum verborum adjunctionibus cauſas & rationes omnium ſumma cum perſpicuitate ſuggeſſit, quae alius multis verbis, & aliquoties repetito *quia*, ad nauſeam ingenioſi & elegantis lectoris, dixiſſet? Enimvero cum his & talibus pleni ſint veteres Graeci atque Latini ſcriptores, habeantque alia ſimilia bona, nondum aut omnia, aut ſatis largiter, aut a multis, in vernaculas linguas derivata; nullo modo dubitari poteſt, quin eorum lectio, recte & cum judicio inſtituta, vel exercitatio eorum legendorum, a bono intelligente iſtorum bonorum magiſtro gubernata, ad bene intelligendum & acute videndum valeat plurimum, ſitque literarum Latinarum & Graecarum diſcendarum docendarumque accurata diſciplina, eadem diſciplina certiſſima & facillima bene intelligendi & cogitandi. Etenim ſi in omni genere rerum atque artium prope omnia ſunt in uſus diuturnitate atque exercitationis aſſiduitate & conſtantia: ſi Geometria habet vim ad acuenda hominum ingenia in

in veritate investiganda aut judicanda, & ad percipiendi celeritatem, non tam cum percepta est, quam cum percipitur; propterea, quod illa ipsa accurate & subtiliter intelligendi & cogitandi assuetudine in ordinem redigit ingenii vagos & incertos motus, ac paene manu ducit ac trahit mentem in vestigia veritatis: quomodo non illa, quam descripsimus, in Latinis & Graecis scriptoribus legendis exercitatio, & artium dicendi cognoscendarum exercendarumque diligentia, ingenia hominum acuat, & recte ac bene intelligendi cogitandique solertiam & celeritatem largiatur?

Et nihil diximus de arte dicendi ipsa, quoad praeceptis continetur: quae si a disserendi arte, hoc est, Dialectica, non aliter differt, quam manus expansa a contracta, ut Zeno, Stoicus philosophus, dictitabat, estque Dialectica dilatata: profecto dubitari non potest, quin ea ad bene intelligendum, & eleganter acuteque cogitandum, valeat plurimum. Illud quidem haud dubitanter affirmaverim, a rhetoribus antiquis, in probabilitatis disciplina, longe superari Dialecticos ipsos, praesertim in eo capite, quo, factumne sit aliquid futurumve, nec ne, quae est permagna & necessaria probabilitatis pars, quaeritur: cujus capitis elaborationem hac de causa etiam reliquisse rhetoribus videntur Dialectici, contenti, leviter id tetigisse, quod ejus usus dominaretur in eloquentia curiae atque fori, in philosophia prope nullus esset. Itaque artes dicendi veterum, & praeceptis, & usu legendorum oratorum cognitae atque tritae, valde juvent, necesse est, probabilitatis judicium: in primis cum oratores fuerint fere magni homines, in republica pace & bello gerenda versati, in foroque & caussis forensibus triti, i. e. quos in probabilitate tali tractanda facilius & rectius versari potuisse, quam scholasticos Dialecticos, sine usu & experientia, vix putem esse, qui dubitare audeat.

Sed, quoniam supra, hanc intelligentiae acuendae rationem etiam hoc opportunitatis habere, diximus, ut per eam, quae quis recte ac bene sentit, accurate politeque eloqui discat, maxime si Latine scribere lubeat: quanta incommoda nascantur, si quis expers sit illius disciplinae, artiumque dicendi, paucis dicamus.

Primum, haud facile cuiquam erit, iis, qui Latine ſciant, & quicunque non ſunt ipſius ſermoni adſueti, perſuadere, res bene ſe habere: cum nemo poſſit credere ſibi bene accurateque cogitandi ſolertiam aſſumenti, niſi oratione doceat, ita eſſe. Qui bene ſcribit, ei ſponte tribuunt omnes cogitandi elegantiam, quod recte ſcribendi ſapere eſt & principium & fons: at male ſcribenti quomodo quis eam tribuat, cum nemini credamus ullam aliam ineſſe virtutem, niſi eam actionibus idoneis, perſpicuam ejus ſignificationem habentibus, prodat. Immo quis legere male ſcriptos de philoſophia libros ſuſtinebit? Auctores eorum ipſi legent cum ſuis diſcipulis: alius nemo volet attingere, niſi qui eandem male ſcribendi licentiam ſibi permittat, ac permitti velit. Etenim ne intelligere quidem ſatis poterit, qui non eſt ex ipſorum diſciplina: & ut quisque magis literas Latinas didicerit, ita minus intelliget. Bernardus is, qui de novis libris Commentarios Francice ſcripſit, commemorans aliquo loco de philoſophi cujusdam Lipſienſis opere, neceſſe eſſe, ait, ut ille aut plane diverſam ab aliis hominibus mentem habeat, qui talia ſcripſerit, aut verborum poteſtatibus mutandis intelligendi facultatem omnibus adimere voluerit, qui ſe magiſtro philoſophiae uſi non eſſent: adeo abhorrentia eo in libro tradi videri: ſibi autem non ita vacare, (nec eſſe tanti) ut Lipſiam ire, & audire philoſophum poſſet. Mihi quidem ſaepe hoc accidit in talibus ſcriptis legendis, ut, quae perabſurde dicta viderentur, tum demum tolerabilia eſſe viderem, ubi, quae verba vernaculae linguae in animo habuerint auctores, conjectura inveniſſem; quod ipſum mihi ſubinde difficile fuit reperire. Id ſi mihi accidit, quid eventurum putamus exteris hominibus, & linguae noſtrae expertibus? quam parum eos intelligere, atque adeo curare ſcripta noſtra? quam etiam abſurda judicare? In diſputationibus etiam publicis ſaepe audivi, controverſias tandem huc redigi, ut recte quidem ſenſiſſe alterum appareret, ſed vitioſam orationis parum accuratae formam locum dubitationi & controverſiae feciſſe: ut prorſus appareret, nihil niſi inſcitiam ſcribendi reprehendi, cum de rebus agi videretur. Nec dixi de tota orationis forma, quae niſi eſt ad vetuſta-

tis exempla composita, non modo nihil gratiae habet, sed etiam languida est, & ipsa verbositate inepta & inutili obscura, & lectori intelligenti molesta. Ego quidem saepe mihimet ipse vim adhibere coactus sum in legendo, cum incidi in scripta hujus novitiae Latinitatis, & propter inscitiam bene scribendi per totas paginas tracta vidi, quae una trium aut quatuor versiculorum periodo comprehendi, conservata perspicuitate, poterant. Neque enim bonitas & elegantia orationis verbis singulis magis, quam toto habitu spectatur.

Quo sapientius majores nostri, in primisque illi immortaliter de Academia nostra promeriti Principes, Georgius Dux, & Mauritius Elector, constituerunt, ut nulla alia disciplinae publicae pars magis in ordine nostro exerceretur, quam, quae ad literas Latinas artesque dicendi pertineret: quippe etiam in iis, qui honores ordinis nostri peterent, harum scientiam omnium diligentissime explorari voluerunt: non, quod verba rebus praeferrent, sed, quod superiorum temporum tristis experientia docuerat, id quod Valla in Dialecticis demonstrat, rerum omnium bonarum inscitiam, & in gravissimis rebus errores & controversias ab ignorantia verborum in omni prope doctrinae parte venisse, existimabantque, nihil sine istis literis & artibus, vel probabile, vel praeclarum, in doctrina ulla effici posse. Itaque vehementer laetamur, cum hoc tempore, honores nostros tribuere possumus iis, quorum plerique ita nobis vel antea cogniti fuerunt, vel edendis legitimis speciminibus tales se praebuerunt, ut in iis egregiam cum ceterarum doctrinarum, tum literarum humaniorum scientiam esse, constaret.

Eos die Jovis proximo, qui dies incidit in sextum Kalendas Martias, ab hora X. creare atque inaugurare ex ordinis nostri decreto constituimus. Huic cerimoniae ut celebritatem atque splendorem praestare sua praesentia velint Rector Academiae Magnificus, illustrissimi Comites, utriusque civitatis Proceres, Cives denique omnes nostri, generosissimi humanissimique commilitones, ita rogamus, ut in eo non modo Candidatos nostros beneficium, sed etiam Ordinem nostrum, honorem sibi habitum, existimaturum spondeamus. P. P. Dom. Esto mihi A. C. CIↃIↃCCLVII.

PROLUSIO III.

FORMULA

INDICENDAE PETITIONIS

HONORUM PHILOSOPHICORUM VICE CANCELLARII.

In pulcerrimo ſermone, quem Xenophon, in prima Cyropaedia, fingit habitum eſſe inter Cambyſen & Cyrum, quaerenti filio, quo maxime modo ſapientiae prudentiaeque opinionem comparare poſſit, ita reſpondet pater, ut eum non opinionem ſapientiae, ſed ipſam ſapientiam perſequi velit, & ita de opinione ejus & gloria ſecurum eſſe jubeat. Ea ſapientia quanquam eſt diverſa ab hac, cujus nos ſcientiam laudemque vel tenemus, vel appetimus: tamen, cum ſimilis generis ſit, ſimillimum opinionis laudisque aditum habeat neceſſe eſt, nec quicquam diverſum a Cambyſis ratione ſuadere poteſt, qui ſapientiae hujus eruditae gloriam appetenti bene fideliterque conſulere velit. Eſt autem conſilium illud, ut omnia alia & illius ſermonis & totius Cyropaediae bona, ductum e Socratis diſciplina, qui unam veram & certam laudis viam eſſe praecipiebat, ſi quis hoc ſerio ageret, ut, in quo laudari cuperet, id ipſum ſtudioſe diligenterque tractando conſequeretur. Quanquam Socrates, cum multa alia a poëtis, antiquiſſimis ſapientiae magiſtris, ſumſerit, etiam hoc ab Aeſchylo accepit, apud quem Amphiaraus non optimus videri, ſed eſſe vult (*Sept. ad Theb.* 598.) contentus ipſa virtute, ſine

ſine opinione ejus ac laude. Ac neſcio, an poëtae, ut in plurimis aliis, ita in gloriae ſtudio regendo, ipſos glorioſos virtutis magiſtros, philoſophos, praeceptorum ſeveritate ſuperarint. Nam philoſophi, de gloria diſputantes, quis neſcit, quam parum inter ſe conſentiant, aliis omne gloriae ſtudium repudiantibus, quanquam ne hoc quidem ſatis conſtanter, aliis non contemnentibus, ſi ſit cum ſapientiae & virtutis ſtudio conjunctum, & pro acerrimo rerum bene gerendarum ſtimulo probantibus. Extant Hieronymi Oſorii quinque de gloria libri, ita elegantes & copioſi, ut, ſicut Sadoleti de philoſophia diſputationes Hortenſii Ciceroniani, ita hi Ciceronianorum de gloria librorum deſiderium lenire poſſint. Sed omni illa docta copia diſertior eſt ſimplex Aeſchyli brevitas, jubentis curare non opinionem virtutis, ſed vim virtutis ipſius, eaque eſſe contentum. Profecto, quanquam ita jucundam auribus humanis eſſe credimus laudem & praedicationem, ut eam Themiſtocles recte ſuaviſſimum acroama dixiſſe videatur, non modo Horatio poëta, ſed etiam philoſophis de Socratis ſchola, viri judicium probantibus & celebrantibus: tamen omni laude ſua jucundior ſit neceſſe eſt ipſa virtus & ſapientia, cujus vim & praeſtantiam nemo, niſi qui eam poſſidet, ſatis perſpectam habet, ſitque adeo ipſa una vera & digna ſui laudatrix, non vanitate orationis, ſed ſenſus veritate, commendans ſe ac ſui poſſeſſionem, non auribus, ſed pectori, dum ſe & ſua bona, cum ſumma tranquillitate & ſuavitate, animo fruenda praebet. Nec diſpar eſt ratio doctrinae omnis liberalis, cujus laus, non modo illaudata illa imperitorum, ſed etiam veriſſima peritiſſimorum, quam poteſt habere ſuavitatem tantam, quae vel minimam partem aequet illius, quam ſenſus ipſe eruditarum copiarum habet, quas animus apud ſe repoſitas ac digeſtas videt. Itaque ſubeat mirari doctos homines, qui adeo ſitiunt laudes doctrinae ſuae, ut etiam ad minutas & ſordidas artes deſcendant, per quas magnam de ſe opinionem ac famam vel commovere, vel propagare, fruſtra plerumque, conentur. Non eſt ita obſcura aut parva res excellens doctrina in quocunque genere, ut non ſine talibus artibus inclareſcat, praeſertim cum ſe copiasque

ſuas ad uſum communem patefecit. Sed ſi nullam ſui admirationem faciat, nec celebretur longe lateque ſermonibus judiciisque multorum, nihilo tamen nec ipſa minor fiat, nec minus oblectet & paſcat conſcium domini animum. Ac neſcio quomodo, in hoc genere laudis ac gloriae idem accidit, quod in ceteris bonis humanis. Nam ut videmus, ſaepe divitias fugere ab iis maxime, a quibus maxime expetantur, cum aliis ſe ultro offerant, qui nihil minus egerant, quam ut divitias conſequerentur: ſic laus magna & praeclara fama doctrinae raro contingit his, qui eam omnibus artibus atque inſidiis captant, ſaepius illis, qui ejus negligentes ac ſecuri, omne ſtudium curamque in ipſa doctrina augenda conſumunt. Nec difficile fuerit intelligere, in illa ipſa curioſa ambitione eſſe impedimenta laudis & gloriae maxima. Nam abducit homines a curandis agendisque rebus ipſis, a quibus vera laus venit, implicatque multis minutis curis & negotiolis, quae dilacerant & carpunt tempus, quod in ipſis doctrinae ſtudiis debebat conſumi. Ac ſicut, qui divitiis omni modo congerendis augendisque nimis inhiant, iis multas & magnas inſidias ſtruit ipſa cupiditas, ut jacturas ſaepe faciant maximas, dum maximos quaeſtus facere conantur: ita, qui tam cupide venantur doctrinae magnae opinionem & famam, in multa temere incurrunt, quae minuant potius illam opinionem, quam augeant. Mercatores quidem cum hoc de induſtria agunt, ut divites videantur, peritis ſuſpicionem movent rei non optime conſtitutae. Nec mirum ſit, ſi illa curioſa opinionis magnae captatio doctos homines ſuſpectos reddat animi non optime conſcii. Virum doctum, memoriae traditum eſt, fuisſe, qui aviculas cantrices quam plurimas, clam conſuefactas canere: *Magnus vir eſt* —— —— dimiſerit, ſperantem, quaquaverſum nomen ſuum vulgaturas, & admiratione ſuae magnitudinis, veluti divinitus demonſtratae & commendatae, omnia impleturas: at illas, libertatem adeptas, multum valere juſſo magiſtro, ceciniſſe, quod natura, haud paullo melior & verior magiſtra, docuiſſet. Philoſophum, crediderim, hac fabula notatum fuiſſe, qui ſua decreta & inventa pro ſolis veris & ſubtiliter excogitatis laudando,

do, caetera omnia contemnendo, consuefecerit psittacos suos, discipulos volebam dicere, sibi invicem de magnitudine praeceptoris identidem occinere, cum illi interea, aliis postea immisti, & veras naturae voces audientes atque imitantes, istius cantilenae obliviscerentur. Nihil profecto agunt, qui verbis vel consequi opinionem, vel augere tentant. Rebus & factis opus est ad veram & certam laudem, eaque omnium oratione sunt & ad gloriae magnitudinem efficaciora, & ad perpetuitatem stabiliora. Bene dicentis laudem adamasti? Noli audientibus promittere, te perspicue, subtiliter & ad movendos animos apte, (solide, ut vulgo loquuntur, & vivide) dicturum, ne similis videare pictoribus, apud Plinium & Aelianum, rudibus, qui necesse habebant picturis titulos apponere tales: *hic bos est*, *haec arbor*, ut tituli professione discerent spectantes, quid artifex videri illam picturam vellet: dic modo perspicue, subtiliter, eleganter & graviter: ipsa oratio sensum eorum bonorum animis admovebit. Vis in quocunque genere doctrinae excellere videri? Fac assiduitate & diuturnitate discendi, exercendi, meditandi, ut excellas, & profer illam ita partam doctrinam bene docendo, accurate eleganterque de praeclare inventis & cogitatis scribendo: sat cito laus veniet, si tanti tibi est, ab iis ipsis, qui te nunquam viderunt, nec unquam te audiverunt, laudari. Atque in hoc genere melior est conditio doctorum, quam divitum. Nam hi non una de causa libenter occultant modum divitiarum, putantque sibi expedire, si de iis homines infra veram magnitudinem existiment. At in doctrinae studiis, quanto quis est opulentior, tanto tutius ostendit opes, tanto justiores proferendi causas habet: propterea, quod, ut magis protulerit in medium, ita magis, non modo sine jactura & damni periculo, sed etiam cum certo quaestu, profuerit aliis: qui est unus maximus, & omni laude major, & bono viro jucundior & amabilior fructus.

Hoc igitur agamus, qui in studiis doctrinae diligenter laboravimus, praesertim, qui etiam hoc suscepimus, ut non modo juventuti nostrae doctrina nostra prosimus, sed etiam ecclesiae & reipublicae reliquae Hoc agetis etiam vos, studiorum nostrorum aemuli, hu-

humanissimi Commilitones, primum, ut sapientiae & doctrinae, non opinionem, sed studia ipsa acerrime persequamini, in eoque omnes voluptates fortiter contemnatis: deinde vero, ut congestas doctrinae copias docendo scribendoque ad usum communem proferatis, securi laudis & famae, quae sua se sponte vobis officiosam praestabit. Sed, ut nostri mores sunt, prima via producendae in lucem doctrinae est in honoribus, quos Ordo Philosophorum proponit. Nam honores nostri ita tribuuntur, ut in iis petendis accipiendisque magna facultas detur doctrinae expromendae atque ostendendae apud eos, in quorum judicio ac testimonio inest magna ad bonam peritorum existimationem commendatio. In quo nos etiam capimus fructum perjucundum disciplinae nostrae, quae quam bene apud quemque posita sit, nuspiam paene magis, quam in discipulorum profectu per examina legitima experiundo, perspicimus. Quo libentius hoc decrevit Ordo noster, ut in proxime futurum annum honores magisterii Philosophiae & bonarum artium per me proponerentur iis, qui hunc aditum laudis sibi aperiri cuperent. Quare, cum non dubitem, esse inter vos, humanissimi Commilitones, qui non temere confidant, se doctrinam, tali honore dignam, probare nobis per legitima specimina & examina posse, hic litteris atque hac tabula solennem eorum honorum petitionem do, eique rei dico Diem Saturni, qui futurus est ante Dominic. II. ab Epiphaniis J. C. h. e. *d.* XIII. Januarii anni proxime futuri, horamque secundam ejus diei pomeridianam, hac tamen lege, ut, qui habeant in animo petere, ante illam diem apud me profiteantur se inter Candidatos, ut de eorum consilio & voluntate referri ad Collegium nostrum possit. Deum, Patrem Domini nostri J. C. suppliciter rogamus, ut eam rem agere inter tranquilla omnia & pacata liceat, & Ecclesiae, Reipublicae, Academiae, & vobis bene evenire jubeat, in primisque, ut, quem annum vobis vestri honores insignem reddent, eundem patriae communi insignem faciat pace salubri, certa, & gloriosa, redituque patris optimi patriae, heu! nimium diu a suis distracti. Ita nobiscum vota facite, & bene valete. P. P. Dominic. I. Adv. J. C. A. C. CIↃIↃCCLVIII.

PRO-

PROLUSIO IV.

DE

PHILOSOPHIA POPULARI.

Cum duo ſint genera res oratione tractandi, alterum ſubtile & acutum, alterum populare: illud diſputationibus philoſophorum, ceterorumque, qui in aliquo genere doctrinae explicando verſantur, proprium putatur, hoc oratoribus, &, quicunque aliquam cum iis conjunctionem habent, ſcriptoribus. Sed eſt quaedam etiam, ut ita dicam, ſubtilis & erudita popularitas, non abhorrens illa a philoſophorum ratione atque doctrina, ſi modo ſint ii, qui non careant ingenii facilitate atque venuſtate, & ſatis ſint exercitati in arte bene dicendi. Haec eſt illa, ut opinor, quam nuperus ſcriptor Francicus, Diderotium eſſe fama non incerta tulit, in eleganti de Interpretatione naturae libello * philoſophis commendat, & non modo generi humano, ſed ipſorum etiam nomini ac famae plurimum profuturam veriſſime judicat. Etenim experientia omnis aevi docuit, eos, qui hoc ingenio, & ea facultate dicendi eſſent, ut poſſent, eo autem animo, ut vellent (nemo autem non vult, qui poteſt) iſta popularitate in tradendis philoſophiae praeceptis uti, & plures & meliores lectores reperiſſe, & diutius memoria poſteritatis & fama floruiſſe: cum ceteri elegantiores homines a legendo ab-

* Penſeés ſur l'interpretation de la Nature Pariſ. 1754. p. 105. *Hâtons-nous de rendre la Philoſophie populaire!*

abſterrerent, nec haberent lectores, niſi ſuos, h. e. paucos, & plerumque non invidendos, denique, quibus tenebris eorum libri involuti eſſent, iisdem & ipſorum nomina mox obruerentur! Atque id iis, ut merito, ita neceſſario accidere, nec meliorem ſortem ullo modo contingere poſſe, res ipſa declarat. Etenim cum non multi ſint, qui ſubtilitatis limatioris difficultatem exſorbere vel poſſint, vel ſuſtineant, tum ingenio bono & vivido praediti, & guſtu quodam elegantiae venuſtatisque imbuti, h. e. melior pars generis humani, inſipidam tenuitatis ſiccitatem faſtidiunt, atque, ut in cibis beatioris ſortis homines, non contenti rerum ſalubritate, ſuavitatem aliquam a copia, a varietate, a condimentis deſiderant. Quodſi philoſophia loqui poſſet, haud dubie ipſa, ſe popularem eſſe cupere, profiteretur. Nam ſi eſt ſapientiae, h. e. felicitatis conſequendae, diſciplina: quid tam populare, quam felicitas? Si ſcientia rerum divinarum & humanarum: quid tam debet eſſe promtum & expoſitum homini, operum divinorum ipſi pulcerrimo? Si naturam interpretatur: quis excludendus ab ſpectandis admirandisque ejus * miraculis? Si de officiis, moribus, vitaque bene inſtituenda praecipit: quis homo ab humanis officiis cognoſcendis adamandisque prohibendus?

Ac profecto, quam poſſum longiſſime regredi cogitando ad memoriam rerum ultimam, inde usque repetens, invenio, ſapientiſſimos olim homines, nobilisſimosque philoſophiae auctores, iſtius, quam dicimus, popularitatis eruditae ſtudioſiſſimos ac retinentiſſimos in diſſerendo, atque ſcribendo fuiſſe. Nam, ut ab eo incipiam, qui primus philoſophi nomen adſumſit, quis dubitet, Pythagoram popularis philoſophiae auctorem citare, qui, cum Phliuntem veniſſet, primum cum principe civitatis, deinde ita docte copioſeque diſſeruit, ut (a) ejus ingenium eloquentiamque admiraretur Leon: cujus denique oratio de philo-ſo-

* Legatur locus egregius Voltarii in praef. libri: Elemens de la Philoſophie de Newton. p. 12.

(a) Cic. Tuſc. V. 3.

ſophiae nomine (b) fuit ejusmodi, ut nihil eſſe poſſet elegantius atque lepidius. Thaletem autem, qui aequalis fuit Pythagorae, Graecae philoſophiae, ut Pythagoras Italicae, auctor, cum multa alia, velut ſermones cum Solone habiti, tum illud arguit hujus popularis philoſophiae ſtudioſum fuiſſe, quod a reipublicae adminiſtratione ſe ad philoſophiam contulerat. (c) Ac, ne dicam de Prodico ſophiſta, cujus facetiſſimam de Hercule narrationem ſub Socratis perſona ita affert laudatque Xenophon, (d) ut ſe neget aſſequi ſententiarum verborumque magnificentiam poſſe, nec de Anaxagora & Archelao, e quorum diſciplina ortus eſt Socrates: hoc ipſo Socrate, quid in philoſophando fuit popularius? qui de coelo deductam philoſophiam in urbibus collocavit, & in curias, in forum, in domos etiam privatas introduxit: cujus ſermones omnes traduntur fuiſſe ejusmodi, ut iis ſummorum hominum ingenia caperentur, quod eſſent perſpicuitate colluſtrati, & omni Attica urbanitate conditi. Quid? Platonis libri non ſunt ii, ut & intelligendi & dicendi magiſter optimus oratori optimo, Ciceroni, videatur. Quid? Xenophontis non melle dulciores ſunt diſputationes, refertae illae & ſententiis venuſtiſſimis & verbis ſuaviſſimis? Aeſchines autem Socraticus non in ſumma illa ſimplicitate ita naturali quadam pulcritudine & venuſtate nitet, ut intelligentibus nihil eſſe poſſit jucundius? Jam Academicos omnes Xenocratem, Polemonem, Arceſilam, Carneadem, Platonis exemplum ſecutos, diſertiſſimos homines, copioſos & ſuaves in docendo ſcribendoque fuiſſe, conſentiente antiquitatis teſtimonio traditur. Ariſtoteles, fuit ille quidem tetricae ſubtilitati & aptior & ſtudioſior, quod, cum in ſermone ac dialogo, ad Socraticorum rationem, ſcribere aggreſſus eſſet, ſibi non ſuccedere, nec ullo modo Platonicam aut Xenophontiam ſuavitatem ſe aſſequi poſſe viderat: ſed habuit diſcipulum Theophraſtum, hic autem Demetrium Phalereum, utrumque in diſſe-

(b) Ibid. add. Jamblich. Vit. Pyth. §. 58.
(c) Diog. L. I. 22. (d) Mem. S. II. 1.

differendo praedulcem, quorum similes multi alii extitere; in his Critolaus, qui etiam Romanos homines caperet copia & suavitate disputationum suarum, & Dicaearchus, magnus & copiosus (*f*) homo. Zeno Stoicae familiae auctor, cum valde subtiliter differeret (*g*), utque novi quid protulisse videretur, multis novis verbis & loquendi modis repleret philosophiam, recessit sane a populari illa veterum ratione: ceterum in eadem secta fuere Panaetius, cujus copia & suavitas in differendo fuit ea, ut Africanos, Laelios delectaret, & Posidonius, qui etiam in acerrimo artuum dolore graviter & copiose disputavit, (*h*) ac multi praeter hos alii copiosi & elegantes in differendo homines. Epicurei fuere illi quidem, imitatione Epicuri, qui non satis erat politus artibus liberalibus, & alios a studiis deterrebat, ejus igitur imitatione ita parum elegantes fuere & suaves, ut Cicero hoc argumento persuadere Memmio tentet, Atticum non esse Epicureum, quod sit omni doctrina liberali politissimus (*i*): sed exortum est Lucretii ingenium, cujus carminibus ita popularis, h. e. ita perspicua, ita copiosa, ita venusta & ornata facta est Epicuri ratio, ut ea nihil posset esse elegantius & conditius, speraretque, se illi ipsi Memmio, eleganti in primis homini & polito, placere posse. Quid dicam de Cicerone, qui philosophiam Latinis literis non modo illustravit, sed etiam ornavit, maximeque popularem effecit: qui, non modo cum in sermone ac dialogo scribit, copiosus & praedulcis est, sed etiam cum de officiis praecipit filio. Possum etiam commemorare Graecos, qui carmine complexi sunt philosophiam, ut ad eam cognoscendam allicerent homines, a sicca & tristi subtilitate abhorrentes: sed nolo longior esse in re tot exemplis certa.

Illud lubeat quaerere, quae res philosophiae istam suam popularitatem ac paene dicam humanitatem ademerit, eamque penitus ad subtilitatis umbratilis siccitatem redegerit, atque ex amplissimo laetissimoque cam-

(*f*) Cic. Off. II. 5. (*g*) Cic. Acad. I. 9. extr.
(*h*) Cic. Tusc. II. 25. (*i*) Ep. ad Div. XIII. 1.

campo in eas anguſtias, &, ut cum Cicerone loquar, * in dumeta compulerit, ut neceſſe ſit jam clamare: *ſtudeamus philoſophiam popularem efficere.* Atque ego non abnuam, in cauſis etiam ponendam eſſe cum Diderotio quandam obſcuritatis & ſubtilitatis nimiae adfectationem (*k*), cujus magnum Newtonum reum agit, itemque multorum opinionem ambitioſam, qui philoſophiae multas partes ſupra captum hominum plerorumque exiſtiment, quos ille nihil aliud, quam indicare judicat, ſe, quae ſit via & ratio bene diſputandi, quae exercitationis vis, ignorare (*l*). Sed ego longius rem repetendam arbitror. Maximam igitur velut fundi philoſophici in eo genere calamitatem ortam eſſe hinc puto. Antiquiſſimis temporibus philoſophia fuit penes eos, qui in republica pace belloque gerenda verſarentur, liberali doctrina eſſent exculti, viverentque cum hominibus magnis & elegantibus, in civitatibus denique iis, in quibus & nativa quaedam & exquiſito ſtudio culta regnaret urbanitas atque humanitas, aut in aulis regum, in quibus ſolertiſſimae elegantiae magiſtrae ſcholas aperuere adulatio & abundantia, qui denique non parvam mercedulam, ſed ingenii laudem docendo peterent: cujusmodi omnes fuiſſe ſcimus eos, quos ſupra commemoravimus, popularis philoſophiae auctores & magiſtros. Diſcipuli porro eorum quales erant? Matura aetate viri, multi & ipſi jam in republica verſantes: tum juvenes nobiles, & ad omnem humanitatem vel ingenio, vel educatione domeſtica, vel artium magiſtris eruditi & culti; qui inter deambulandum in foro, in porticibus gymnaſiorum, in villis, maxime in conviviis, de magnis & gravibus philoſophiae capitibus magiſtros ſuos diſſerentes audirent. Neque audiendi philoſophi diſcendaeque philoſophiae ſtudium anguſtis coërcebatur

* Acad. IV. 35. *Ac mihi videor nimis etiamnunc agere jejune. Cum ſit enim campus, in quo poſſit exultare oratio: cur eam in tantas anguſtias & in Stoicorum dumeta compellimus?*

(*k*) p. 103. *l'affectation des grands maitres.*

(*l*) p. 105. 106.

tur temporis finibus, ſed per multos annos, ſaepe ad ſenectutem durabat, ut etiam, cum ad rempublicam acceſſiſſent, tamen, quoties otium aut facultas eſſet, claros philoſophos diſſerentes audirent, domi etiam ſuae, & in convictu haberent, denique vel legerent nobiles de philoſophia libros, vel ipſi de magnis quaeſtionibus aliquid ſcriberent. Non attinet haec teſtimoniis veterum confirmare. Unum Ciceronem omnium eorum idoneum auctorem habemus. Enimvero, hanc rationem prorſus commutatam eſſe, quis neſcit? Tota in ſcholarum tenebras relegata dudum eſt philoſophia: eam docere vel diſcere indignum coeptum eſt haberi magno & illuſtri homine, relictumque docendi quidem munus totum hominibus tenuibus & umbraticis, diſcendi autem neceſſitas impoſita ſolis juvenibus, quibus ad majores diſciplinas per philoſophiae elementa, uno aut duobus ad ſummum annis e cujuscunque magiſtri dictatis macilentis percipienda, eundum putaretur. In utroque autem genere quam parum ſaepe ingenii, cultus, doctrinaeque elegantioris ac liberalioris, praeſertim ea, quae Scholaſticorum dicitur, aetate fuerit, nemo ignorat. In horum igitur conſuetudine, in his tenebris, mirum eſt, ſi dedidicit philoſophia ac perdidit veterem elegantiam copiamque? ſi populum fugit? nec lucem ferre poteſt? ſi denique elegantiores homines eam aſpernantur, &, tanquam etiam contactu contaminet, fugiunt?

Quae cum intelligerent eleganti ingenio praediti, & doctrina liberali politi homines, tum eo tempore, quo primum ſcholaſticorum philoſophorum depulſa eſt barbaries, tum hac noſtra aetate, quae illam reſtituere in philoſophiam, tanquam in veteres ſedes ſuas, conari putatur, hoc coeperunt agere, ut eam a ſordibus purgatam, beneque veſtitam e tenebris in lucem conſpectumque hominum producerent, ſi poſſet, ut quondam, nunc quoque amatores reperire, a quibus amari ſe gauderet. Hoc certe, ut nihil de ſuperioribus illis dicam, ſpectarunt, quicunque nuper vel puriori & concinniori oratione Latina complecti elementa philoſophiae conati ſunt, in quo genere noſtra quoque opera elaboravit, vel, id quod majus, & ad popularem reddendam philoſophiam efficacius eſt, Latinis,

nis, vel ſuis cujusque vernaculis literis, (nihil enim intereſt) partes quasdam ejus ita illuſtrarunt, ut lectores aliqua ſuavitate ab acute faceteque dictis, a copia, & venuſtate verborum allicerent, eademque via ipſas res accommodatiores cujusque, etiam non ſubtiliter in eo genere eruditi, ingenio redderent: in quo numero maxime hi cenſeri, e Francis, Britannis, Italisque, voluere, qui, exemplo Graecorum & Latinorum veterum, in dialogo ſcripſerunt, quod eſt aptisſimum ei conſilio genus ſcribendi: adeo magnam dat facultatem amoenitatis ingenii expromendae. Sed, ut mittam eos, qui parum ab ingenio doctrinaque parati ad id ſcribendi genus ſe contulerunt, nec ullas illecebras legendi adſpergere potuerunt, in hoc genere incommodum illud eſt, quod paucis datum eſt cavere affectationem acute dicendi; quae frigus affert: tantum abeſt, ut delectet eos, quibus vel maxime auctores cupiunt probari: quod vitium licet ſubinde & in iis animadvertere, qui aliis generibus ſcribendi uſi, idem quod illi ſpectarunt. Quare qui hoc genus popularis philoſophiae ſcribendo perſequi volet, quod & munditie orationis placeat, & claritate rerum luceat, copia denique & venuſtate quadam ac lepore in verbis & ſententiis delectet, etiam atque etiam videat, quid humeri valeant, quid recuſent ferre. Non enim parvo ingenio opus eſt. In quo eſt difficile judicium; cum quisque tanto ſe facilius ingenioſum credat, quanto ſuavior ingenii laus eſſe ſolet. Deinde, ut verum iſtius rationis ſenſum & quaſi ſpeciem animo capiat, dedat ſe ad legendos eos maxime, qui haud dubie principes numerantur, Platonem, Xenophontem & Ciceronem, conſueſcatque, non modo perſpicue copioſeque diſſerendi artem cognoſcere, ſed etiam guſtare Atticam Romanamque integritatem, venuſtatem, adde etiam novitatem modeſtam in ſententiis, elegantiam in verſibus Poëtarum loco ponendis, ſuavitatem denique in tropis, ut inde vel ſumere, vel gignere poſſit ſimilia. Etenim hoc datum felicitate quadam naturae fuit Atticis, ut, quid in quaque re maxime deceret, acutiſſime viderent, haberentque acerrimum atque emendatiſſimum omnium rerum pulcrarum judicium. Neque tamen ſpernet

ceteros, vel veteres, vel recentiores, qui in hoc genere aliquid esse putantur, sed ex his quoque optima quaeque libabit. In scribendo autem nihil magis vitabit, quam sententiolarum acutarum, allusionum venustarum, nitidorumque troporum captationem: quod vitium difficile est effugere. Sic conformatus lectione, judicio, usuque accedet, ut, quidquid suavitatis adspergat, id non ab ipso quaesitum, sed a rebus oblatum, non consilio positum, sed temere excidisse videatur. Ita non *spectris Diderotianis* * terrebit lectores, nec *Soli supplementa scribet.* †. Videbit porro, quid materia quaeque ferat: quae tractata possint nitescere, & in quibus contra nihil insit, quod capiat aliquem ingenii orationisque cultum, ut haec relinquat, nec purpuram vili panno adsuere conetur. Sed multo magis moderatum se praestabit in argumento divite, & ad ornandum uberiori, ne ejus veluti visco correptus haereat: quod cavere tanto difficilius est, quanto majores peccandi illecebrae propositae sunt, quas nec limatissimi ingenii homines semper effugere potuerunt. Non, in unius subtilis hypotheseos fallaci amore exprimendo, *Sirenas* & *Nymphae pulcerrimae hortos* (*m*), ac forte etiam *Laida* (*n*) advocabit (quibus quid simile est cum opinionis talis tenuitate ac prope jejunitate?) nec, occurrentibus pluribus exquisitis metaphoris, omnes profundet, sed boni dispensatoris diligentiam adhibebit, ut alias ponat, alias ad futuros usus reservet.

Atque haec nobis super populari philosophia hoc tempore disputata sunto: quae nobis in mentem venere, cum rogandi essent Patroni atque Fautores bonarum literarum, & juventutis studiosae, ut frequentes convenire ad audiendas Oratiunculas velint, quarum argumentum est Philosophia varie vel accusata vel defensa, sumtum illud ex Platonis Apologia, Aristophanisque Nubibus, quas per hunc annum interpretati sumus.

* Interpr N. p. 106. *A mesure que l'acte de la généralisation s'avance, les spectres corporels s'evanouissent.*

† Le Neutonisme pour les Dames p. 43. *ils vous trouveront de quoi recruter le Soleil, &c.*

(*m*) Ibid. p. 74. (*n*) Interpr. de la Nat. p. 63.

PRO-

PROLUSIO V.

DE PHILOSOPHIA VITAE.

Verae ſapientiae originem ſi quis vere definire velit, ad ipſos profecto generis humani natales referendam exiſtimet. Etenim homines primi, non, ut ille de Epicuri grege, porcus dicam an philoſophus, putat, e terris prorepſerunt, mutum ac turpe pecus, ſed e manu Dei, parentis optimi, prodiere, qui nullo modo in hujus vitae veluti peregrinationem dimittere liberos ſuos, niſi idoneo ſapientiae viatico inſtructos, potuit. Neque unquam benigna Dei providentia ita genus humanum negligere ſuſtinuit, ut id ſine ſapientia errare incertis viarum regionibus ſineret. Nullus ab rerum humanarum initiis populus fuit, in quo non ſubinde, primis maxime cujusque temporibus, extiterint, divinitus haud dubie excitati, homines, qui ſapientiae magnitudine & utiles ſuis & admirabiles eſſent, qui civitates ſuas legibus, moribus, diſciplina, pulcerrime conſtituerent, aut inventis aliis, publice privatimque fructuoſis, patriam, atque humanum adeo genus augerent. Atque hi ſunt, qui proprie omnibus temporibus ac veriſſime ſapientes ſunt appellati, rerum publicarum conditores ac rectores, legum latores atque cuſtodes, & rerum ad bene beateque, bello ac pace, vivendum accommodatarum auctores, inventores & doctores. Harum *Sapientia* fuit ea, quae *rerum humanarum Domina*, ipſa rerum humanarum pulcerrima, & eſſet & appellaretur. Ac neſcio an haec ſola ſit, quae hujus tanti nominis dignitatem tueri poſſit. Haec certe ſola intelligi poteſt ſapientia vel philoſophia, quae *vitae dux* Ciceroni laudatur, *quae urbes peperit, diſſipatos homines in ſocietatem*

vitae convocavit, quae inventrix est legum, magistra morum & disciplinae, Tusc. V. 2. hanc solam coluerunt ii, qui primi se ad sapientiae studium contulerunt, qui toti se in optimo vitae statu exquirendo collocarunt: ibid. c. 1. hanc neglectam ab iis, qui philosophi dici haberique vellent, restituit Socrates, devocans de coelo, deducensque in curias, fora, & coetus hominum, domos denique privatas, ut de vita & moribus, rebusque bonis & malis homines erudiret, & non modo ad recte utiliterque faciendum, sed etiam bene suaviterque dicendum adsuefaceret. Talis ergo fuit sapientia, antiquioribus temporibus, ante quam e reipublicae, ac vitae campo atque luce in scholarum & disputationum angustias & umbram compingeretur, ad eam rationem habitumque revocanda est, si eam vere prodesse publice privatimque, si in honore esse ac dignitate pristina, non contemni ac rideri ab hominibus, vel honore magnis vel ingenio elegantibus, velimus.

Omnino sapiens, a quo philosophus sola nominis modestia differt, longe alius olim existimatus est, & fuit, quam nunc vulgo solet haberi, postquam ei vel nominis novitas, & apud aures plebejas insolentia, vel eorum, qui hoc sibi nomen, propter tenuium quarundam rerum ac saepe ineptarum, certe inutilium ad bene vivendum, scientiam, contra jus & fas, arrogarunt, stupor ac stultitia, adde sordes & humilitas, offecit. Heroicis aetatibus Nestorem & Ulyssem, posthaec Lycurgum atque Solonem, sapientes & fuisse, & habitos, accepimus: quam ob causam? nisi quod in rebus publicis & privatis agendo ac dicendo bene utiliterque consulerent. Nec aliam ob causam aut septem illi Graecorum libris celebrati sapientes, in quibus idem ille Solon fuit, hoc nomen consentientis Graeciae judicio tulerunt, aut apud Romanos P. Scipio Nasica, Cato Censorius, Laeliusque. Quid? quare Homerus primum, deinde omnino poëtae boni, sapientes & dicti & existimati sunt, nisi quod vitam pulcerrimis & publice privatimque utilibus praeceptis, iisque ingenii, & acuminis, & verborum suavitate quadam conditis, instruerent ac regerent. Nam Homerum quidem, fatetur Horatius, quid honestum sit, quid utile, plenius ac melius Chrysippo & Crantore

tore vidiſſe ac dixiſſe: Euripidem autem, & ſapientem vocat, & vitae magiſtro uſus eſt ille ipſe ſapientiſſimus Cicero. Quid? hiſtoricos eos, qui res geſtas ad prudentiae diſciplinam accommodate ſcripſerunt, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Livium, Tacitum, quis olim non ſapientiſſimos viros, & ſapientiae publicae privataeque certiſſimos ac praeſtantiſſimos magiſtros exiſtimavit? ad quorum diſciplinam ſe contulere, quicunque rem publicam bello ac pace bene gerere cuperent. Nam, ut hoc utar, quis neſcit magnum illum Demoſthenem e Thucydidis diſciplina ſapientiam eam petiiſſe, qua ſola Athenae invictae Philippo viſae, quae nunc quoque in ejus orationibus lucet? Cicero autem fatetur, Cyropaediam Xenophontis in adminiſtranda provincia ſibi vehementer profuiſſe. Nec mirum, Oratori, h. e. qui in curia, in concione populi, de republica, in foro, de cauſis publicis privatisque, bene diceret, ſapientis nomen tributum eſſe, cum ea eloquentia, ipſa loquens ſapientia, ut erat, ita putaretur. Romae quondam jurisprudentiam, etſi tum tota prope jejunis formulis, & dierum, quibus agi lege poſſet, ſcientia conſtaret, nullo modo cum hujus noſtrae ſubtilitate & dignitate comparanda, tamen ſapientiae nomen tuliſſe accepimus, &, qui eam tenerent, *ſapientes* appellatos: propterea, quod conſiliis ſuis prodeſſent multis ad res ſuas obtinendas: quae non parva felicitatis publicae pars eſt.

Ipſum philoſophiae nomen, ne quis in eo haereat, ſic temporibus antiquis ſemper dictum eſt, ut ſubtilitati ſcholaſticae non id quidem negaretur, quae ſibi paullatim etiam ſoli, ut nunc fit, decus ejus vindicare conaretur, ceterum non modo cum omnibus communicaretur, quorum ingenium in rebus publice privatimque utilibus excogitandis tradendisque occuparetur, ſed etiam iis in primis, & praecipuo quodam jure, tribuendum putaretur. Primum ipſa religionis divinitus traditae diſciplina, quam nos Theologiam uſurpamus, a Judaeis, cum Graece loqui ac ſcribere de rebus ſuis coepiſſent, non alio, quam φιλοσοφίας vocabulo eſt appellata, ut clare patet e Philonis & Joſephi libris: (Ant. XVIII. 1. B. I. II. 8.) neque enim aliud melius verbum & ei rei

aptius dabatur: etiam σοφία νόμου, ut ap. Jos. A. XVIII. 3. 1. idque etiam vulgo fieri solitum, argumento est locus Paulli Col. II. 8. ubi profecto φιλοσοφία, a cujus fraude sibi cavere vult Christianos, non est, ut imperiti putant, ea, quae in scholis Christianorum philosophorum traditur, sed ut tota orationis series clamat, atque notatum est a doctis quibusdam viris, theologia Judaica, scientia legis Mosaicae, qua tum quidam ad conturbandos Christianorum animos abutebantur. Isocrati, auctori scribendi ac dicendi summo, solenne est φιλοσοφίαν vocare eloquentiam, in rebus publice in primis utilibus explicandis, suadendis vel dissuadendis, collocatam, & qui ei studeant, eos λόγους φιλοσοφεῖν ait, ut in Panegyrici initio, & περὶ τὴν φιλοσοφίαν εἶναι, in Euagorae principio. Nam sapientes ac philosophos putari volebat οὐ τοὺς ἀκριβῶς περὶ μικρῶν ἐρίζοντας, ἀλλὰ τοὺς εὖ περὶ μεγίστων λέγοντας, *non qui de rebus minutis subtiliter contenderent*, haud dubie designans eos, qui, scholastica quadam arrogantia, soli philosophi haberi vellent, quorum fastum vanitatemque saepe ridet, ut in Ἀντιδόσει, & contra Sophistas, *sed qui de rebus magnis bene dicerent*. Atque hoc ille Nicocli, Cypri regi, cui quae res magnae videri potuerint, sua sponte intelligitur. Qui autem ipso paullo major aetate fuit, Lysias, hoc vocat φιλοσοφεῖν, si quis calamitates suas ita tractet, ita moderari & mollire studeat, ut vitam quam minime molestam possit agere. Or. 24. p. 409. Quos vero putamus philosophos dixisse Strabonem Geographum, cum, in principio praeclari operis, Geographiam esse maxime philosopho dignam demonstrat ex eo, quod eam tam multi philosophi attigerint, in quibus primo loco ponit Homerum, adjungitque cum aliis Ephorum, historicum nobilem, deinde Eratosthenem & Polybium, ἄνδρας φιλοσόφους. Nempe, quos ipse interpretatur paullo post φροντίζοντας τῆς περὶ τὸν βίον τέχνης καὶ εὐδαιμονίας, *qui artem vitae & felicitatem cognoscere ac docere curant*. Sed longe principem in philosophorum choro facit Homerum, quem negat poëtica modo facultate superasse omnes & superiores & post se futuros, sed etiam τῇ κατὰ τὸν βίον ἐμπειρίᾳ τὸν πολιτικὸν, *vitae civilis peritia*: quae est aut summa philosophia, aut nobilissima & utilissima ejus pars. Sed pleni

ni sunt libri veteres, in primis Graeci, exemplis ac testimoniis, quibus intelligi potest, philosophiam veram antiquissimo cuique eandem fuisse ac sapientiam: hanc autem prope totam ad vitam humanam relatam, eumque sapientissimum existimatum, qui eam & nosset optime, & dictis factisque juvare plurimum posset.

Jam si quis appetat hanc philosophiam, vehementer erret, si in compendiis & corporibus philosophiae, quae in scholis feruntur, vel solis, vel maxime, eam se reperturum credat. Neque vero quisquam eorum, qui talem librum scripsit, nisi valde sibi placuit, atque gnaviter imperitus vitae humanae, & expers ipse sapientiae fuit, hoc se, tali libro scribendo, consecuturum existimavit, ut sapientes efficeret homines. Exercitationem illi libri quandam non inutilem ingeniis juvenilibus, habent cogitandi, & aditum munire possunt ad disciplinas majores: sapientiam eam ac philosophiam tradere non possunt, quae vere magistra vitae, & rerum humanarum moderatrix vocari possit, sed sunt toti scholae, non vitae: quae est profecto res major talibus ingeniis, & amplior talium librorum angustiis. Magnorum ingeniorum ac pene divinorum, & in magnis rebus publicis ac privatis diu cum summa diligentia versatorum est istius philosophiae scientia, & multo magis disciplina, hoc est, talium, qualia fuerunt in iis, quos supra sapientes descripsimus. Hi ergo adeundi sunt cupidis istius philosophiae, his se in disciplinam tradere, ad horum exemplum totos se conformare debent.

Sed optimum fuerit, auctorem hujus talis philosophiae discendae audire Ciceronem, virum haud dubie sapientissimum, & illius, quam commendamus, philosophiae peritissimum. Is vero eam se sapientissimorum virorum monumentis atque praeceptis, plurimo doctrinae studio, atque etiam usu rerum consecutum docet: sapientissimorum virorum monumenta intelligens, non, ut opinor, philosophorum libros, quas doctrinae nomine laudat, ut vidit Manutius, sed historicorum, sed poëtarum, & vero etiam oratorum, quorum exempla & praecepta sibi in vita, publice privatimque, plurimum profuisse, in oratione pro Archia poëta demonstrat; quippe etiam in epistolis Eu-

ripidis vera praecepta laudat, & ſingulos ejus verſus ſingula teſtimonia & praecepta vitae appellat. Doctrinam porro indicat philoſophorum, non tam eam, quae ſubtilibus, de rebus obſcuris naturae, aut metaphyſicis diſputationibus continetur, ſed quam ab Socraticis traditam tenemus, quorum philoſophiam ſolam veram judicat, in quintae Tuſculanae principio, aliisque locis plurimis, & aptam vitae civili atque privatae. Enimvero preſſius agamus, & comparando utramque philoſophiam, & ſubtilem illam ſcholarum, & popularem illam vitae, quae ex hiſtoricis & poëtis & oratoribus, ne dicam de Socraticis philoſophis, diſcitur, quanto haec ſit ex omni parte melior, & utilior, atque etiam pulcrior & ſuavior, paucis demonſtremus. In quo illud modo intelligi volumus, nec hiſtoricos quoscunque a nobis hujus philoſophiae magiſtros commendari, ſed eos, qui, Thucydidis exemplo, hiſtoriam, quae ante mera rerum geſtarum commemoratio fuerat, vitae humanae aptam reddidere, nec poëtarum omnium luſus & nugas, ſed gravia carmina, ut epicorum, ut tragicorum.

Uni philoſopho cauſarum cognitionem convenire ait Strabo, in primo Geographiae libro: hominem civilem ſatis habere, ſi ſciat, quid ſit fiatque, neque ei opus eſſe cauſarum ſcientia, niſi eam, propter otium, θέας φιλοσόφου χάριν, *philoſophicae contemplationis ſtudio ductus*, aſſumere velit. Sed hoc ille de rebus naturalibus dixit, quarum ſcientia interdum etiam in magnis vitae humanae actionibus habet aliquam utilitatem, ut ille docet. Nam in rebus iis, quae ad humanam naturam, & vitam civilem privatamque pertinent, indagatio & cognitio cauſarum utrique eſt communis. Quantum autem hic intereſt inter philoſophorum & hiſtoricorum poëtarumque diſciplinam! Philoſophi res univerſas tractant ſubtiliter, hi res ſingulas populariter: notiones illi, philoſophorum ingenio efformatas, hi facta & res poſitas in re atque natura. Qua in re plurimum ad actionem vitae intereſt. Nam primum difficilius haerent univerſae illae notiones, plerisque cogitatione recisis, per quae adhaereſcere in animis hominum poſſint: cum in rebus ſingulis, concretas ſchola vocat, permultae ſint veluti anſae, per quas arripi ab

uno

unoquoque tenerique poſſint. Quis deinde non vel ſuo, vel aliorum exemplo didicit, quanto difficilius univerſa illa ad uſum actionemque transferantur, quam eventus, & quae uſu didicimus. Huic ſimile illud eſt, quod philoſophia ſcholaſtica tantum genera rerum earumque cauſas univerſas explicat, cum hiſtoria & poëtica deſcendat ad omnia, quae iſtis generibus ſunt ſubjecta: quod illa hominem, hoc eſt, animum hominis, velut unum tractat, hi homines omnes. Atque illa etiam fortaſſe eam, quam tractet cogitatione, mentem, atque eum hominem fingit, qualem ipſe velit, leges ei ſcribit, quas libeat, cogit cogitare atque appetere ex philoſophi arbitrio, efficitque philoſophicum hunc hominem atque animum Platonicae civitati ſimilem: at hi homines, eorumque mentem, ſenſus motusque animorum, deſcribunt atque exprimunt pictoris veri & boni modo, qui imagines hominum e vivis exemplis accurate & ſine aſſentatione aut invidia ducit. Magna pars animi humani, ac prope dicam maxima, eſt in commotionibus, quas Graeci πάθη vocant, & cupiditatibus. Philoſophus, in ſchola ſubtiliter de iis diſſerens, quid facit, niſi ut certa capita ac genera ponat, & ſub his formas ac partes ſingulas, velut aciem diligens Imperator, ordinet, denique generum pariter atque formarum, ut amoris, odii, gaudii, metus, invidiae, cauſas exponat, & remedia tradat, ſed ita, ut nunquam ſe metaphyſico de faſtigio ad humilitatem regum, principum, nobilium, divitum, fortunatorum, &c. demittat, nec tempora, loca, aetates curet, & quando, quomodo, ac quibus rebus horum animi in utramque partem moveantur, doceat: quae faciunt omnia hiſtorici, poëtae atque rhetores: ſimilisque eſt ratio partis ejus, quae de virtutibus ac vitiis tractat. Univerſam virtutem ac vitium univerſum amplectitur ſchola, iisque eſt contenta: at noſtri illi, a quibus philoſophiam vitae petendam dixi, virtutes & vitia omnium hominum curant, quae in quoque genere ac conditione vitae ac fortunae vel impedimenta cujusque virtutis ſint, vel incitamenta atque praeſidia, quae irritamenta vitiorum, quae remedia, docent, quid aetas, tempus, indoles ingenii corporisque valeat. Magna pars, ac pro-

prope dicam maxima ſapientiae eſt, noſſe homines: de qua etiam commentarios doctorum virorum habemus. Non ſperno, quae in corporibus philoſophiae ſcholaſticae tradi ſcio: ſed quantula haec pars eſt eorum, quae poëtae atque hiſtorici tradiderunt? Nam & in his ſchola ſervare cogitur illam ſuam, ut ita dicam, αὐτάρκειαν, diſcipulosque cogit contentos eſſe generalibus quibusdam, & ſalubribus illis quidem, ſed nimis ſiccis & paucis praeceptis ſignorum. At alteri illi hic in primis copioſi ſunt, faciles atque officioſi: qui ſuae diſciplinae alumnis non modo univerſa quaedam praecepta proponunt, ſed eos etiam in aulas regum ac principum, in palatia potentium & divitum pariter atque caſas humilium & pauperum, in muſea ſapientum, & officinas opificum, in caſtra, in tentoria ducum atque militum, in urbes denique & agros, in regiones maritimas & mediterraneas, campeſtres, ſilveſtres, ac montanas deducunt, & omnium ubique animos, naturas aperiunt, eorumque intimos ſenſus, cupiditates, ſtudia ſpectanda demonſtrant.

Enimvero ne haec, quibus ſimilia addere in promtu eſſet, ſi longioribus eſſe vel liberet, vel liceret, ne igitur haec fingi a me putentur, quod ſuſpicari fortaſſe veniat in mentem iis, qui his magiſtris aut omnino non, aut parce nimis, aut ſtulte ſunt uſi, in quo poſteriori genere ſunt omnes hi, qui praeceptores quondam Graecarum & Latinarum literarum indoctos habuere, nihil ab iſtis diſcendum putantes, praeter verba, & formas dicendi, & vero etiam ritus quosdam Graecos Romanosque: age brevem ejus rei demonſtrationem, vel admonitionem potius, adjiciamus. Hiſtorici ii, quos ſupra deſcripſimus, πραγματικοὺς vocare ſolent, Thucydides, Xenophon, Polybius, Livius, Salluſtius, Tacitus, ſed maxime Thucydides, communis praeceptor ceterorum, Livius atque Tacitus, in narrationibus rerum, in quibus quidem aliquis motus animi, aut vitium vel virtus, aut prudentia vel ſtultitia, intelligi poſſit, hac perpetuo ratione utuntur, ut eas ſententiis illuminent atque exornent, non modo ad ſuavitatem legentium, ſed multo magis ad utilitatem. Earum tria genera ſunt. Primum eſt earum, quibus conſilia hominum, actiones, mores, vel pro-

bant

bant vel improbant, aut, quid tempore quoque officium a quoque postulaverit, ostendunt: quae sunt proprie praecepta, quae habent cum ceteris philosophis fere communia. Alterum genus est, quod constat pronunciatis de rebus humanis, earumque & hominum ipsorum natura interiori; quibus reddunt rationem consiliorum, dictorum atque factorum. In quo sunt profecto admirabiles, & philosophis scholasticis longe longeque copia & acumine superiores. Tales sunt hae Livianae de libertate: *Libertatis acriores stimuli sunt omissae quam retentae: libertas temperata salubris est: nimia & aliis gravis, & ipsis, qui habent, effrenata & praeceps: leges servare vera libertas est; libertas & regium imperium natura inter se sunt inimica*, & aliae de eadem, atque de permultis aliis rebus: *Vana, ut ad ceteram fidem, sic ad secreta tegenda, satellitum regiorum ingenia. Nulla ingenia tam prona ad invidiam sunt, quam eorum, qui genus ac fortunam suam animis non aequant*, &c. Hoc genus si quis ex historicis, poëtis, & oratoribus, & Socraticis philosophis, nam & hi tales habent permultas, colligeret, & in unum corpus congereret, posset profecto Anthropologia quaedam effici, haud paullo melior, & utilior iis, quas nobis Francici quidem scriptores, arroganti *Hominis* nomine, venditarunt. Hoc est illud genus sententiarum, quo Voltarius, qui se nuper a scenica fabularum simulatione ad rerum gestarum veritatem transferre instituit, has novi generis fabulas suas commendat muliercularum Francicarum, elegantiae amantium, etiam nostrorum hominum imperitiae; quamquam eas & contritas plerasque habet, & plerumque alieno loco positas. Sed tertium genus est, cum docent, quomodo quis in quaque re agenda, patienda, videnda, audienda, adfectus animo fuerit, qui motus cupiditatesque, & quomodo extiterint: quae cum legas, ipsos animos hominum praesentes habere, & contueri videare. Quis autem, cui Euripides, Sophocles, Homerus aut Virgilius, Demosthenes aut Cicero lecti, non idem ab iis fieri, ab his etiam in argumentando, animadvertit?

Ex his arbitror intelligi philosophiam vitae, quae prosit ad vivendum & agendum, hoc est, veram sapientiam, maxime petendam esse ex antiquis scriptoribus

ribus Graecis atque Latinis, ſtulteque facere eos, qui mirentur, cum audiant, eos auctores ac fontes verae ſapientiae dici, quo nihil aliud, niſi indicant, eos ſcriptores ſibi parum cognitos eſſe. Sed hanc philoſophiam etiam hoc nomine commendaverim, quod mirabiliter adjuvat eloquentiam, & de rebus omnibus acute ſuaviterque dicendi ac ſcribendi facultatem, quae maxime ab earum ſententiarum, quarum ante genera poſui, ſcientia & idoneo uſu, qui & ipſe ab iſtis ſcriptoribus peti debet, proficiſcitur. Atque cum veteres philoſophiae ad eloquentiam vim laudârunt, profecto vel Socraticam intellexere, quae talibus ſententiis abundat, vel eam, quam nos ante deſcripſimus. Quamquam ipſa ſe ſatis commendat ſuavitate ſua. Etenim cum prope tota conſtet ſententiis acutis, eaeque pronunciatae ſint & expreſſae ab hominibus magni ingenii, & venuſtis ac diſertis, admirabili dulcedine perfundunt non modo acutos, ſed quoscunque non plane ſtupidos lectores: quippe natura tangimur ſententiarum acumine, nec quisquam facile ita illiberalem ac durum a natura habet animum, ut iis audiendis legendisque non jucunde adficiatur.

Haec porro philoſophia primum reſtituta eſt per eos, qui bonas literas & veram ſapientiam, revocandis e pulvere ac tenebris Graecis & Latinis monumentis, inſtaurarunt. Nam cum, divino quodam in genus humanum beneficio, eodem tempore extitiſſent permulta praeclara ingenia, quae ſordes ſcholarum, quas philoſophiae nomine commendabant ſtultiſſimi hominum, nullo modo ferre poſſent, rediere ad veros ſapientiae fontes, ex iisque & ſuam ſitim reſtinxere, & aliorum pectora irrigarunt. Nulla tum alia philoſophia tradita ab talibus magiſtris, nulla alia ab eorum alumnis diſci ſolita. Ex eorum autem diſciplina quanta copia magnorum in omni genere hominum prodiit, inprimisque quantus numerus eorum, qui Latinae orationis & carminis pulcritudine cum ipſis illis antiquis Romanis comparari poſſent, unde ſeculum illud alterum aureum eſt appellatum. Jam ejus ſapientiae magiſtri ac profeſſores, Eraſmi, Moſellani, Melanthones, Camerarii, quanto in honore ab ſummis & imis, ſi Theologiſtas quosdam e ſcholaſticae & barbarae philoſo-

losophiae ſtabulo excipias, habiti! cum imperatores, reges & principes, & civitates, eos certatim expeterent, conſulerent de rebus graviſſimis, & omni ſignificatione proſequerentur. Noſtrum eſt, illud beneficium divinum gratis animis agnoſcere, quantumque in nobis eſt, retinere. Quod quidem facimus diligenter, pro parte noſtra, commendantes juventuti hujus ſapientiae omniumque bonarum literarum ſtudium, non tam verbis, quam rebus, imbuentes eos guſtu incorrupto veritatis, & elegantiae omnis.

Neque iſtud noſtrum ſtudium ad hanc diem irritum fuit. Cujus rei documentum dabunt quinque diſciplinae noſtrae adhuc alumni, Oratiunculis, quibus Pacis Auguſtanae, cujus hic annus alter ſecularis eſt, beneficium hactenus celebrabunt, ut eam bonis literis & tum plurimum profuiſſe & cum maxime prodeſſe oſtendant, &c.

PROLUSIO VI.

AD SACRA EUCHARISTICA OB RESTITUTAM PATRIAE PACEM.

Defuncti ergo ſumus bello miſero atque calamitoſo, &, auditis tandem votis noſtris, annuit miſericordia divina pacem plurimis & maximis de cauſis laetabilem, & omni praedicatione noſtra & gratulatione ſuperiorem! Itaque & ipſi vidimus, & ſaepe audivimus, primum ejus nuncium ita repente alienaſſe animos ab omni malorum etiamnum praeſentium ſenſu, tam enixo favore omnibus in locis, tam effuſo in laetitiam ſtudio exceptum eſſe, ut capere laetitiam homines non poſſe viderentur. Quae enim tum ſignificationes factae! quae voces auditae gratias Deo, gratias Patri Communi Patriae agentium, gratulantium inter ſe, ſibi, ſuis, patriae, manantibus etiam ſubinde lacrimis, omni alia ſignificatione & dulcioribus & verioribus. Nam in ceteris fere impetus eſt hominum repentino motu elatorum, ad diuturnitatem parum ille conſtans; hae molli & intimo pectoris motu cientur, ſuntque tacitae, ſed veriſſimae animi vere conſtanterque laetantis voces.

Sed

Sed posteaquam primus gratulationis ardor resedit, & ita recepti sunt animi ab illa prope alienatione, ut religiose ac pie, sapienter ac vere gaudere, & sancto ac certo gaudio incensi, veras & dignas Deo, dignas Patre Patriae, gratias agere possimus, quid prius quam publice gratulationem facere debemus, ut sit ab novitate tanti boni laetior atque efficacior? quid porro diligentius ac religiosius, ut decora sit professioni nostrae Christianorum, decora vero etiam sapientiae, cujus nomine ac studiis censemur: nec modo communiter cum patria universa, sed etiam proprie: tanto magis proprie, Cives, quanto magis proprias laetandi & gratiarum agendarum causas habemus.

Enimvero plurimum refert, animo ab sensu & cogitatione rerum ad praesentem temporis rationem pertinentium rite praeparato & instructo accedere ad officium persolvendum. Nec enim aliter ei tam veritas & sapientia constare potest, quam religio & sanctitas. Sed quae proprie religionis & sanctitatis in ea re partes sunt, eae in concionibus ad populum, & nuper, per supplicationum opportunitatem, demonstratae sunt, & in ipsa gratulationis solennis die inter sacra Civitatis communia demonstrabuntur a multis: nobis autem quoniam oratio proprie ad eruditos homines est suscepta, floremque juventutis literarum & sapientiae studia aemulantis, non abhorrebit ab consilio hujus instituti nostri, mentes vestras in eam partem rerum deducere, quae sit conjunctior rationibus vitae nostrae, nec tamen aliena a pietate ac religione. In quo nos aliquandiu tenuit dubitatio, conjunctene mallemus cum bello superiori pacem novam officii rationibus accommodare, an omnem tanti mali mentionem secludere, ne temporis hujus gaudium contaminaremus illius acerbitatis cogitatione, quae in recenti adhuc pace horrorem animo offundat, qualis vix elapsos magnum periculum, etiam in tuto, stringit. Sed nos non ita spectabimus, quae retro sunt, ut terribilis aliqua species occurrat animo, qualis Annibali per somnium oblata traditur, contra ducis monitum respicienti (Liv. XXI. 22.) sed ut vestigiis divinae providentiae persequendis deducamur ad ejus majestatem admirandam, quae se in nullo alio rerum humanarum

genere majoribus & luculentioribus documentis ſpectandam praebet.

Hiſtoricorum veterum praeſtantiſſimos ſtudium ſuum ita ad ſcribendum videmus contuliſſe, ut vel ſola bella magna amplecterentur, vel ea in perpetuis hiſtoriis ita perſequerentur, ut ceteras res prope tantum ad ſeriem temporum vel nectendam vel explendam adjeciſſe videantur. Qui primus hiſtoriae ad uſum vitae & prudentiae diſciplinam accommodatae exemplum prodidit, Thucydides, unius, ſed, cujus memoria eſſet, maximi belli, nec ejus totius res complexus eſt: cujus exemplum imitatus eſt alter, proximus ei, Xenophon, extremis belli ejusdem perſequendis, & Cyri junioris bello, rebusque ab Graecis Cyri ſociis, maxime ſe duce geſtis, tradendis. Jam Polybii, quam catholicam vocat hiſtoriam ſuam, tota eſt fuitque maximorum, quae ab Romanis geſta ſunt, bellorum; & quae ſeparatim ſcripſit ex hiſtorico genere, pariter ad bellicam rationem pertinuere. De Caeſare & Salluſtio tituli operum ipſi loquuntur: Livius autem in continua hiſtoria Romana ita in bellis majoribus, inde a Punico primo geſtis, Punico ſecundo, Macedonicis, Syriaco elaborat, ut cetera παρέργου loco, & Annalium contexendorum cauſa, ſcripſiſſe videatur, & has partes cognoſcere debeat, qui Livium penitus cognoſcere velit. Nam Tacitus, ut opinor, quia deerant bella magna, in quibus experiretur ingenium & prudentiam, hiſtorias fallere, inſidiari, dominari, omninoque peccare magis, quam recte facere docentes, ſcripſit: ceteri autem prope non numerantur in hiſtoricis, varietati doctrinae aptiores, quam hiſtoriae, quae proprie dicitur, ad uſum apte cognoſcendae. In quo illi ſane opportunitatem ingenii prudentiaeque proferendae ſpectare potuerunt. Etenim ea eſt in nullo alio genere rerum geſtarum major, aut par: & ut hominum in gerendo bello, auctore apud Homerum Idomeneo, (Il. N. 277.) ſic hiſtoricorum in ſcribendo μάλιστ' ἀρετὴ διαείδεται, *virtus maxime inſpicitur:* tanta eſt rerum varietas, ubertas, & ad bene explicandum difficultas! Sed profecto nullae res ſunt, & per ſe, & eventu, & tum ad hominum ſingulorum, tum populorum univerſorum, vel ſalutem vel perniciem majores

res, & cognitione digniores, nec aliae ullae tantum habent theatrum ſpectandae & naturae humanae cum omnibus virtutibus & vitiis ſuis, & divinae in rebus humanis poteſtatis ad arbitrium omnia gubernantis, & contra conſilia, vim, & opinionem humanam, leviſſimo momento, quocunque vult, impellentis.

Quo tempore, & quibus in rebus, magis perſpicitur vis ingenii, conſilii, induſtriae, fortitudinis, vigilantiae, adde patientiae humanae, cujus maximam diſciplinam in bello eſſe, & Polybius judicat, & nos experti ſumus; magnitudine praemiorum pariter & periculorum, inprimisque acerrima neceſſitate urgente & cogente contendere nervos mentis & corporis omnes, vel ſupra vires? Hic veritas prudentiae, fortitudinis, induſtriae, potentiae, virtutum omnium, velut igni ſpectatur: eliciuntur ſenſus, conſilia habitusque animorum, per pravi favoris licentiam, nudanturque rebus & ſecundis & adverſis vitia Civitatum publica & hominum privata, quae per pacis tranquillitatem vel tolerantur facilius, (*) vel obſcurantur felicitate ac teguntur, vel pudore, legibus, coërcentur, vel denique languidius irritantur; cum belli vis ea protrahat in lucem, tempeſtate fortunae utriusque, acerrimis lucri, damni, doloris, voluptatis, ſpei, timoris irritamentis & paene tormentis agitata & expreſſa. Ubi porro majores & crebriores rerum converſiones, publicarum privatarumque, futurae fortunae in longum tempus, ſaepe in ſaecula, momentum in utramque partem facturae? Quae ſunt magna omnia, & ad cognitionem & ad uſum; & ſunt his alia ſimilia.

Sed in omni bellica re nihil admirabilius eſt documentis poteſtatis & gubernationis divinae, quae ſe in bellis ita praeſentem exhibet, ut prope oculis cerni poſſit. Primum, non alio in genere rerum crebrius & manifeſtius apparet, quam non ſint in rebus maximis eventus conſiliorum & actionum in poteſtate humana; cum in conſiliis ſolertiſſime excogitatis, & rationibus ad rem gerendam prudentiſſime diſpoſitis, & expromta omni in agendo contentione induſtriaque, in perfe-

(*) Demoſth. Or. Olynth. II. p. 34. Epiſt. ad Philipp. p. 118.

ſeverandoque conſtantia, tamen eventus ſaepe non reſpondeat, ſemperque incerta ſpe expectetur: ita moderante rem ac temperante ſapientia divina, ut modo ſucceſſus conſiliis & actionibus annuat, qui ſequi debere videantur, ne ad ignaviam & ſocordiam prolabatur ingenium humanum, tollaturque diſcrimen ſapientiae & ſtultitiae, temeritatis & prudentiae, vigilantiae & ſomni, laboris & inertiae, modo omnia alia evenire jubeat, diſturbatis levi motu rationibus omnibus, ut ſuam quoque vim intercedere ſentiant homines, ſuumque imperium humano majus agnoſcant. Neque enim negligere poteſt jus ſuum Majeſtas divina, & non curare, utrum Dominum ſe mundi ſui, cujus ſcilicet auctor eſt conſervatorque, credant ferantque coloni ſui, nec ne. In quo miſeranda eſt coecitas veterum hiſtoricorum, qui varietatem hanc tantam ad fortunae cujusdam vanitatem referre maluerunt, quam ad divinae poteſtatis veritatem, in his Polybius, haud paullo deterior religionis quam prudentiae auctor, qui Fortunam *brabeutam eventorum bellicorum* conſtituit, (I. 58.) in rebus maximis, contra conſilia, apparatus, molitiones, & ſpem hominum, exeuntibus, etiam *luſus* ejus videt. Sed illi commentitiis ſuis Diis res tantas attribuere non auſi, dum incertis viis cauſas rerum indagant, ad nomen inane deducti ſunt. Quanto ſapientior Joſephus, Polybii alias admirator & imitator, qui τὰς πολέμου ῥοπὰς τῷ θεῷ βραβεύεσθαι, *a Deo gubernari ac diſpenſari belli inclinationes eventusque*, monet. (*)

Jam quod ſacrarum literarum praeceptis edocti tenemus, divinam vim eripere mentem hominibus conſiliumque, ut aut, in magna & non inficianda prudentia, tamen non videant, quod verum & ſalutare eſt, ipſosque ante oculos atque in promptu, aut, cum videant, tamen ab eo repente demoveant oculos, ſibique elabi ſuum conſilium ſinant; quo alio tempore ſaepius, vel legimus, vel ipſi audivimus ac vidimus, magnis & manifeſtis in rebus fieri? Pompeji, ut hoc utamur, ingreſſi bellum cum Caeſare, omne con-

(*) B. I. I. 10. A. I. XIV. 9.

consilium Themistocleum erat. (*) Existimabat, *qui mare teneret, eum necessario rerum potiri.* Nec dubitant rerum periti, quin saltem attriturus fuerit Caesarem & fatigaturus, si consilium id tenuisset. (**) Victoria utendum esse, urgendis victis, nec ulla parte quietis concedenda, si quisquam alius, sciebat. Quis enim ignorat? quis non vel indignatur, vel ridet, ubi secus factum est, etiamsi nunquam rem bellicam attigit? Et saepe ante, victis piratarum classibus, in Mithridate, bene usus erat. Quid ergo? Quae res eum repente de consilio ac mente deduxit? Profecto vis divina intercessit, commutatura per Caesarem imperium Romanum, & novam rerum formam inductura, quae esset ipsius consiliis, temporibusque Christi aetati vicinis aptior.

Et quoniam huc delapsa est oratio, magnas illas rerum conversiones, per quas imperia commutantur, transferuntur, augentur ac minuuntur, opes vel franguntur, vel provehuntur, divitiarum porro paupertatisque celeriores vicissitudines, quae in Scripturis attribuuntur numini ac potestati divinae, omni memoria reperimus belli maxime motu factas esse; ut appareat, instrumenti vim divini esse in bellis, per quod Deus res maximas in terris agat, & sui numinis potestatem inprimis demonstret, & prope ingerat sensibus nostris. Ad nos quidem, si priscarum rerum memoriam tenemus, humanitatem, literas, religionem ipsam, primum velut alis belli delatas, intelligemus. In quo nihil temere, nihil sine Deo factum, omnia divini consilii & operis fuisse, libenter, ut opinor, fatebimur.

Et sunt multa alia ejusmodi in bellorum indole ac natura, quae ad hanc rationem duci possint, inprimis digna cogitatione nostra: neque enim aliae ullae cogitationes aut ad patientiam in malis belli & adverso eventu, aut ad modestiam in secundo, potentiores ac majores aut sunt, aut intelligi possunt: sed omnia commemorare nec necesse est, nec convenit huic instituto nostro, praesertim quae sunt conjunctiora cum iis, quae ipsi sensimus, quibus commemorandis refricare dolorem, parum aptum foret laetitiae temporis: & festinamus ad pacis commemorationem. Ce-

(*) Cic. ad Att. X. 8. (**) Baco de Augm. Sc. VIII. 3.

Ceterum, ut ea, quae commemorata ſunt, hanc volumus habere vim, ut deducant animos veſtros, Cives, ad utilem & jucundam cogitationem, quae, in omnibus rerum humanarum eventis, debet eſſe prima, hoc eſt, quae habeat admirationem ac venerationem providentiae & poteſtatis divinae, quae ſe etiam in nupero bello multis modis & magnis eventis, &, inter ipſas miſerias noſtras, plurimis malorum lenimentis, & ferendorum onerum adjumentis ſuppeditandis, conſpicuam fecit; ita & cetera, quae ſenſum acerbum in experiendo habuere, accommodari ad hanc rationem poterunt, ut, quicquid eſt ex eo ſenſu reliquum doloris, obſcuretur paullatim ſancto hoc & ſapienti remedio, & extinguatur.

In quo nos plurimum adjuvabit pacis reſtitutae tranquillitas, praeſertim cum ea habeat multas & magnas commendationes, multa, quae dolorem noſtrum conſolari debeant, & ſpem bonam in poſterum facere poſſint. Atque primum in ea donum Dei, miſerti miſeriae noſtrae, quis non agnoſcit, quod, deſperata omni humana ope, maxime neceſſario tempore, cum maximus ultimi mali timor eſſet, ſpes pacis & ſalutis prope nulla, via ita brevi contigerit, ut velut coelo demiſſum videretur. Non ille externas & humanas opes in ſocietatem tribuendi beneficii venire voluit, ut ſuae unius curae, miſericordiae, benignitati deberemus, cui etiam libentius deberemus. Unum Auguſtum, Patrem Patriae, & poteſtatis ſuae inter nos Vicarium, in tanti operis, tamque amabilis muneris ſocietatem adſcivit, ut etiam commendatius nobis eſſet, haberetque gratiam majorem. Et hic divinitus ad rem tantam excitatus, incenſusque veriſſimo ſuorum amore, magno animo aggreſſus eſt opus tam nobis exoptatum, conceſſitque in conditiones, ut nobis conſuleret, redderetque ſe, heu nimium diu! orbae Patriae; quae fideli antea, nunc etiam laeto incenſa deſiderio, feſtinat occurrere Patri, & hunc primum & dulciſſimum capere geſtit fructum pacis novae, ut videat ipſum, ruatque in amplexus paternos, exſatiatura longum deſiderium. Nam profecto tum demum plenam pacem habere videbimur, tum ſolidum gaudium gaudebimus, cum hic tantus cumulus ad laetitiam noſtram acceſſerit. Et jam nunc

nunc praecipimus animis illius diei laetitiam, cum intranti Urbem hanc obviam ruet, ſi tamen intra moenia contineri ſe patietur cupiditas, aetas omnis, adulti, ſenes, veluti primum viſuri, quem toties viderunt, pueri inprimis, haerentes parentibus, eosque amabili impatientia viſendi fatigantes, denique ſine demonſtratione noſcitantes Patrem Communem, propria majeſtate oris, mixtaque majeſtati lenitate & comitate; cum omnes certabimus adire, dextram contingere, dictis, factis omnibus, amorem & pietatem proferre, quam adverſa fortuna etiam magis inflammaverit, quam res ſecundiſſimae aliorum Principum apud ſuos accendere poſſe videantur.

Sed ut ad pacem redeamus, quantam gratiae acceſſionem habet hoc, quod id tantum divinum regiumque donum accepimus de manibus Filii heredis, Friderici Chriſtiani, cujus patrius in Cives animus, maxime duris in rebus, quot & quantis documentis ſpectatus ſit, ſciunt omnes, praeſertim nos, Cives, qui etiam propriis, nec modo veteribus illis, ſed recentibus de cauſis beneficiorum, praecipua gratia excipere debemus, immo excipimus, quae ipſius manus dederit. Atque etiam magnum omen ex ea re capimus pacis, quae literis inprimis, & ſapientiae ſtudiis, & Academiae noſtrae, laeta & frugifera ſit, cum hoc, tam prolixe favente his ſtudiis atque rebus noſtris, Principe interprete & velut auſpice, perfecta ſit.

Sed ſunt alia plura, bene de pace nova ſperandi argumenta & pignora, miſericordia inprimis & benignitas in has terras divina, a multis ſeculis cognita, quae ſe etiam inter ipſa tanta belli mala haud dubiis rebus oſtendit, ubertate agrorum continua, & aliis copiis largiendis, per quas ſupra fidem & ſpem ſuſtinuimus onera belli, Urbis ipſius inter tantas tot periculorum minas, & Academiae in magnis rerum anguſtiis, incolumitate. Et ſicut tranquilla ſerenitas coeli a praegreſſa tempeſtate, ita, quae benignitas divina ſuppeditabit bona, eam ſuavitatis commendationem ab ipſa ſuperiorum malorum acerbitate accipient, ut ea nos ad veriorem & acriorem bonorum divinorum ſenſum acuiſſe videatur. Multa ſane ſunt a belli tanti motu, & jactatione labefactata & convulſa, multa velut longa

valetudine debilitata & aegra, multa denique jacturis tot ac tantis minuta & accisa: sed ea fovebit tranquilla moderatio Patris Patriae, in qua est fomentum omnium malorum publicorum ut maxime amabile, ita potentissimum, ut convalescant paullatim, roborentur ad pristinam firmitatem, & res nostrae benigne nutriendo velut a stirpibus adolescant ad laetam ubertatem; si modo ipsi intra animum mederi malis occultis, & vulnera nostra praebere curanda velimus, nec per vitia nostra & cupiditates adversemur medentium curae & manibus. Quare capessamus spem ad pellendas curas & tristitiam alienam ab hujus temporis gratulatione tanta, inprimisque animum dignum tanto beneficio Dei, beneficio Principis, eumque perpetuo conservemus.

Atque hujus talis animi primum documentum, agite, demus, adeundis caste sacris, quae in diem Lunae proximum indicta sunt, gratiisque Deo, salutis nostrae auctori, enixo studio actis, oremus Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut primum Augustum, Regem, Patriae Patrem Optimum, ad suos, ad nos reductum, Fridericum deinde Christianum, filium heredem Principem Serenissimum, cum Celsissima conjuge, & Sobole Celsissima, totamque Regiam Domum, potenti & perpetua tutela, & prolixa benignitate complectatur, deletisque omnibus superioris temporis malorum vestigiis, secundis rebus omnibus florentissimam reddat: tum, ut illustrissimos potestatis regiae administros, post exhaustas tot ac tantas inter belli mala curas & molestias, vita longa, tranquilla, & omni ex parte felici, exhilaret, iis consilia, verissimae eorum bene Patriae rebus consulendi voluntati paria, consiliisque optimis parem eventum annuat; denique ut totam, cum hac Urbe, Patriam hac pacis tranquillitate, pie, sapienter & diutissime frui sinat.

Enimvero ea vota faciemus etiam efficacius, si addiderimus sacrificia eleemosynarum, digna & boni divinitus accepti & laetitiae nostrae magnitudine: praesertim cum destinentur Urbibus iis, quae tantopere adflictae sunt belli vi & ruinis, ut nostra cum iis comparata, etiam libera ab omni belli injuria fuisse videatur; in his primum Dresdae, e qua quotusquis-

que

que noſtrum, Cives, non aut accepit, aut ſperat fortunas ſuas; deinde Vitebergae, Eccleſiarum noſtrarum Matri, a qua prima certiſſimum benignitatis divinae & felicitatis ſuae pignus accepit Patria noſtra; in quas adeo nulla ſatis magna liberalitas videri poteſt. Itaque omnes hic vel temporis vel neceſſitatis noſtrae excuſationes penitus excluſas putemus, demusque ita, ut & ſentire poſſint, qui accipient, & nosmet ipſi ſentiamus, qui dedimus; meminerimusque, eam eſſe Deo gratiſſimam liberalitatem, quae temporibus & rebus anguſtis ita fiat, ut poenitentiae & minuendae cupiditatis exercitationem habeat, qua nullum ad tempora futura bene traducenda uberius ac magis neceſſarium veluti viaticum exiſtimare debemus.

Ceterum eorum ſacrorum pars nobis propria, Cives Optimi, futura eſt ea, quam ab hora XII. in aede Paullina peragendam inſtituimus. Etenim cum inter has belli calamitates mollius ceteris & exiſtimemur habiti eſſe & ſimus, etiam proprias grati animi ſignificationes edere fas & juſtum eſt. In quo etiam incendet pietatem noſtram Antonii Guilielmi Plazii, Viri Medicae doctrinae conſultiſſimi, Collegae conjunctiſſimi, diſerta Oratio, qua pacem hanc e bello aeſtimare docebit & hortabitur. Huic igitur Oratori, & toti Cerimoniae ſacrorum noſtrorum, ut frequentiam dignam, audientiam piam, & religionem veram praeſtetis, Illuſtriſſimi Comites, Utriusque Reipublicae Proceres, Generoſiſſimi denique & Nobiliſſimi Cives, vehementer etiam atque etiam & hortamur, & rogamus. P. P. Domin. Judica A. C. CIↃIↃCCLXIII.

PROLUSIO VII.

ORATIONIS PANEGYR.

IN

FRIDERICUM AUGUSTUM,

REG. POL. EL. SAX.

Non rata fuere Deo, rerum humanarum arbitro, vota, quae nuper, in pace nova, & reditu Patris Patriae exoptatiſſimo, ſuſcepimus; nec contigit nobis ea, quam imaginabamur animis, laetitia, cujusque ipſa imagine inani paſcebamur, ut in hanc Urbem noſtram venientem cerneremus, ejusque adſpectu & praeſentia frueremur: ſed cui tempori hanc laetitiam deſtinabamus ſpei noſtrae pietate, eo ipſo ſuis, nobis, Patriae univerſae ereptum lugemus. Adeo nihil in rebus humanis abſolute laetum eſt, & laetiſſimis quibusque repentini alicujus mali acerbitas intervenit, nec liquidum eſſe aut diuturnum ſinit, quantumvis innocens ac pium, gaudium!

Quid primum aut maxime queramur ac miſeremur, in tanto tamque multiplici dolore? Ipſum Principem, poſt tantum intervallum, in amplexus Suorum & Patriae communis receptum, vixdum deguſtato paterno gaudio, in prima ſpe & ipſo conatu recreandae tot ex malis carae Domus & Patriae, repente occubuiſſe? an Domum Auguſtam, plenam adhuc piae laetitiae recepto tandem Parente Optimo, inter ipſa enixa ſtudia exhilarandi

larandi natales regni atque vitae paternae, ad lugubria omnia redactam? an denique Patriam communem a desiderio absentis tam tristi de causa, tamque diu, Principis Optimi, vix obliterato, ad longe acerbius desiderium sublati de vita Parentis sui recidisse?

Sed omnia pariter miseranda sunt, luctuosissima omnia, nec ea subtili graduum discrimine distinguere sinit magnitudo doloris, qui animos nostros confundit. Nec vero satis dignum arbitramur tanti Principis memoria, in funere ejus ita indulgere dolori, ut nihil nisi triste cogitetur, sola mortis acerbitas obversetur animis, vitae apte ad leniendum dolorem cogitandae nihil loci relinquatur. Facere hoc solent, quicunque vere carum sibi caput amiserunt, & sapienter lugere didicere, ut, posteaquam primi luctus ardor paullulum remisit, magis bonis ejus cogitandis indulgeant, ut inde aliquid solatii & piae oblectationis capere possint, quam alant jacturae ipsius cogitatione moerorem ac foveant. Horum sapientem pietatem tanto magis imitandam arbitremur, quanto & verius & sapientius amavimus amissum Parentem communem; praesertim hoc tempore, quod memoriae ejus digne condecorandae consecravit pietas publica. Et quoniam haec est veluti prolusio quaedam illius officii, cujus etiam rite peragendi demonstrationem ac cohortationem debet habere nostra haec ad vos, Patres ac Cives, oratio; videamus, si quid ad eam rationem pertinens vobis cogitandum praebere possimus.

Cum in nulla alia re magis consentiant homines, quam in felicitatis persequendae studio & contentione; quod ejus expetendae stimulos acerrimos subjicit ipsa communis illa, semper sibi consentiens ac constans, natura: mirabile videri potest, tanta dissensione distrahi eorundem judicia de felicitate humana, & partibus ejus inter se comparandis, pensandisque singularum momentis; nec modo in vita privatorum, sed etiam, atque multo magis, Principum; quorum res ut sunt in altiori fastigio positae, fortiusque feriunt sensus animosque humanos, ita plus ambiguitatis faciunt, & in diversa rapiunt judiciorum humanorum, sive potius opinionum, levitatem. Socratis discipulis, hominibus doctis & in veri judicio exercitatis, accidit hoc, aucto-

re

re Cicerone, ut, cum uno magiſtro uſi eſſent, tamen in ſummi boni judicio valde diſcreparent, cum ſinguli Socratis auctoritate niterentur; propterea, quod Socrates alio tempore aliud vitae humanae bonum laudans varie adfeciſſet animos audientium, eſſetque alius alio ſermone magis captus ac delinitus. Itaque fortaſſe tanto minus illa, quam diximus, diſſenſio mirabilis debet videri, quanto potentius ferire ſolet rerum ipſarum, praeſertim ſenſibilium, vis, quam verborum in umbra ſcholae lenis ſubtilitas.

Univerſae quidem felicitatis ſummam, quantum nos vel legendo vel audiendo cognovimus, nulla cuiquam attribuere ſuſtinuit aſſentatio, verecundia quadam, ut opinamur, ſenſus communis, qui abſolutam & expletam omnibus partibus felicitatem ſine haeſitatione abjudicat generi humano. Etiam *Felicis* cognomen raro vel adſcivit vanitas, vel attribuit adulatio. Croeſi ambitio in felicitatis nomine & principatu adpetendo, primum ſapientis viri oratione, mox rebus ipſis revicta eſt: & ſpecioſius ac probabilius *Magnos*, *Pios*, *Servatores*, *Euergetas*, *Callinicos &c.* praedicari putabant, quos cognominis honore inſignes reddere cuperent, quam *Felices*. Apud Graecos quidem, ad adulationem ſub Regibus abjectiſſimos, nunquam id cognomen in Regum honoribus eſt uſurpatum; apud Romanos autem, libera Civitate, uni & primo Sullae inditum (Plin. H. N. VII. 43.) initio facto ab familiari aſſentatione. (Liv. XXX. 45.) Sub Caeſaribus magis frequentatum publice, reperimus, ſed ſeculis deterioribus, in immenſum aucta adulatione, inde ab Commodo. Ei primo ſenatus decretum attribuit, Perennio occiſo, (Lamprid. Comm. 18.) idque ipſe, captus inani nominis ſpecie, in epiſtolis (Dio Caſſ. LXXII. p. 824.) & in numis tituliſque uſurpavit.

Sed quibus Principum felicitatis laudem tribuit vetuſtas, in iis, etiam cum adulatio interceſſit, tamen non univerſae vitae ſumma, ſed pars aliqua valuit, in qua quid ſupra uſitatorum exemplorum modum, praeſertim in bellis gerendis, & in potentia comparanda, ſucceſſiſſet; ut in Alexandro, cujus figuram pro felicitatis ſigno geſtavit in annulo Caracalla; ut in Sulla, de quo ſupra dictum; ut in Auguſto, cujus felicitas

inter omina novis Imperatoribus commemorata: ut in ceteris, qui hac felicium cenſura aeſtimantur. Nam in his, quos commemoravimus, ipſis quanta exempla pariter ediderit fortuna adverſa, longum & ſupervacuum eſt referre, & in Auguſto longa ſerie adnumerat Plinius l. c. 45.

Enimvero ſi qua pars rerum humanarum digna eſt felicitatis nomine, a qua recte felices, ut in hac imperfectione humana, adpellari poſſint, ea certe exiſtimari debet, quam Graeci vocant εὐτεκνίαν, ſobolis praeclarae copiam, praeſertim in Principe, cui nulla videtur major, & pulcrior, & amabilior, & ſuavior, denique etiam glorioſior felicitas poſſe contingere. In quo genere pro rarae felicitatis exemplo commemoratur Macedonicus Metellus, Civitatis Romanae princeps, de quo veriſſime Vellejus, in primi undecimo capite: *Vix ullius gentis, aetatis, ordinis hominem inveneris, cujus felicitatem fortunae Metelli compares. Nam - - - quatuor filios ſuſtulit; omnes adultae aetatis vidit; omnes reliquit ſuperſtites & honoratiſſimos. Mortui ejus lectum pro Roſtris ſuſtulerunt quatuor filii; unus Conſularis & Cenſorius, alter Conſularis, tertius Conſul, quartus Candidatus Conſulatus, quem honorem adeptus eſt. Hoc eſt nimirum magis feliciter de vita migrare, quam mori.*

Privatos quidem homines, nemo dubitat, inter bona ſua primo loco cenſere liberos, ad eos cetera ſua omnia referre: his maxime vivere velle; his laborare; cum his partiri fructum rerum omnium; his parcos eſſe; his reponere, quae, defraudantes ſaepe genium, reliqua fecerint; his relinquere ſua cupere; his eorumque poſteris ſaepe per omnia teſtamentorum vincula adſtringere; horum bonis, virtute, fortuna, magis ſua, laetari; denique, ſi vivos, in rebus ſecundis, certe bona cum ſpe, relinquere poſſint, etiam aequiori animo a vita diſcedere. Vidimus ſenem morientem, jam captum lingua, circumſtante lectum ſobole numeroſa, de qua bonam ſpem habuiſſet, cum admoneretur, adeſſe liberos ipſius omnes, periculo patris congregatos, excitatum ea voce attollere oculos jam gravatos morte propinqua, & lente circumſpectis ex ordine omnibus, leniter arridere; ut etiam

in

in illo ultimo articulo, in quo rerum humanarum omnium vis ac ſenſus perit, tamen adhuc liberorum bono moveretur, & ejus ſenſus ſuavitate mortis acerbitas vel leniretur vel exſtingueretur. Adeo etiam ἀθανασίας pars eſt in liberis bonis relinquendis: quanto igitur magis vitae beatae in fruendis. Mortuorum autem parentum veriſſimum & pulcerrimum ornatum (κάλλιστα ἐντάφια, ut ille libertatem, quacum moreretur, appellabat,) quis dubitet eſſe in iis, in quibus vivorum maximum decus eſſe, mater Gracchorum vere & ſapienter judicabat.

Sed in Principibus ſunt eadem fere omnia, atque etiam alia, tanto illa majora, quanto etiam ſunt cum republica conjunctiora. *Munimenta imperii* bene Tacitus (*H. IV.* 52.), *aulae ſubſidia* Suetonius (*Cal.* 12.) appellat Principum liberos; quae pari jure univerſae reipublicae ſubſidia & decora appellemus licet. Nam & ad Principum ipſorum non modo dignitatem, ſed ſaepe etiam ſecuritatem valent, & reipublicae univerſae per eos multis modis cavetur; quae raro ſine periculo aut multis magnisque incommodis ſine liberis Principem habet. Principibus quidem ipſis natura eſt carior, ſi eam ex ſe genitis ſunt relicturi. Quanti autem Principibus ſit, habere ſobolem bonam, quae in ſpem imperii adoleſcat, vel adoleverit, quantum in iis bonum eſſe cenſeant, non eget demonſtratione. An vero dubitamus, quin Croeſus omnibus ſuis de Graecis victoriis libentiſſime redemturus fuerit filio, vel loquelam vivo, vel vitam mortuo? Auguſtum Caeſarem autem quanti aeſtimaturum fuiſſe putamus, ſi imperium relinquere potuiſſet ex ſe nato potius, & ſimili huic, cui Auguſtus noſter Saxoniam reliquit, quam Tiberio, hoſtis quondam filio, & domino avaro ac ſuperbo? ut qui etiam miſer ſibi, ut erat, videbatur, quod nepotes & heredes ſuos aut acerba morte amiſerat, aut ob vitia intoleranda amoverat ab ſe & ab ſpe potiundi imperii, quod ipſe pulcerrimum effecerat. Nam ſi quis referre ſe ad illud Epaminondae, civitatis Thebanae principis, velit, qui objicienti, quod liberos nullos relinqueret patriae, at ex ſe natam relinquere, reſpondit, victoriam Leuctricam: primum in eo argutum ſolatium potius fuit orbi-

bitatis, quam ignorantia aut contemtus illius felicitatis; ac longe plus atque in longius tempus profuissent patriae filii, ad paternae sapientiae, moderationis & fortitudinis imitationem eruditi & conformati, quam victoria ea, quae, quamvis illustris, in perpaucos modo annos profuit.

Arbitramur, vos intelligere, Patres ac Cives, quo spectet haec disputatio nostra, quam longiorem esse non finit instituti ratio. Cupimus animos vestros imbuere cogitationibus iis, quae & Principi nobis ademto sint gloriosae, vobis autem memoriam ejus commendatiorem amabilioremque reddant, inprimisque incendant studium exsequiarum Regiarum omni ratione celebrandarum. Alii populi Principes suos pro felicibus celebrent, qui, finibus imperii late propagatis, victoriis multis a potente hoste reportatis, multis novarum provinciarum titulis, ac spoliis multorum populorum onusti decessere; si ipsi inter illa tot felicia feliciores facti sunt, aut propter ea melius in posterum sibi ac suis sperare coeperunt: nobis Augusti nostri felicitas placet, verissima illa & plena veri atque integri decoris, quae divino munere accepta, sapientia ipsius servata & aucta, quae nullius vel injuria vel incommodo tristis, nullo sanguine cruenta, laetissima ipsi, laetissima Patriae fuit, tanto laetior, Patres ac Cives, quanto cum utilitate ac salute nostra copulatior. Haec est in pulcerrima illa & felicissima prolis Regiae copia, cujus paucissima exempla omnis memoria antiqua & nova habet. In qua commemoranda nefas fuerit praeterisse fecunditatis felicissimae Matrem Regiam, & illius tantae felicitatis Augusto Sociam, Mariam Josepham, Reginam, quam inter medias belli tempestates morte repentina sibi ereptam, etiamnum luget grata Patria, lugebitque, quoad meminerit.

Jam quantam, quam perennem paternae ac regiae laetitiae materiam habuerit hic pulcerrimus liberorum regiorum chorus, quantam gloriae ad posteros mansurae, quantam utilitatis publicae, vix ulla oratio possit adsequi. Etenim in illo pectore, quod & naturae ipsius rara bonitas, & multo magis singularis pietas, indulgentia, lenitas, aequitas, ad omnem sensum humanitatis

tatis

tatis emolliverat, quantam voluptatem habuisse putemus vel adspectum talium liberorum suorum, vel cogitationem ingeniorum, virtutum, pietatis erga se, fortunae denique praesentis & futurae? Non est profecto credibile, aliud vel majus vel par lenimentum curarum & luctus habuisse in illo concursu malorum publicorum, in illo praesentissimo ex absentis Patriae miseriis & periculis dolore, quam hanc domesticae felicitatis cogitationem, vel petitam solatii causa, vel sponte oblatam. An vero potest esse obscurum, quomodo adfici solitus fuerit gloria Domus suae, quae populis Principes, copiis militum Duces mitteret, quae Siciliis Hispaniisque Reginam dedisset, Franciae Reginam futuram, & ex his nepotes haberet, alium jam Regem, alios potentissimorum toto orbe regnorum futuros Reges, Bavarico porro Electori Conjugem, &, quod super omnia est, in qua esset Heres Filius, ea sapientia, virtute, eo animo in Patriam, Nurus denique, & se Socero, & tali Conjuge, genere, ingenio, sapientia & virtute dignissima, per quam etiam tot nepotibus ac neptibus felicissime aucta Regia Domus esset.

Et quoniam parentes permagnam felicitatis suae partem jure ponunt in liberorum erga se amore & pietate, neque ea quicquam iis est suavius, praesertim in senectute, quae maxime in ea adquiescit: intelligi facile potest, quam felix hac parte senilis Augusti Parentis aetas fuerit. Neque enim verisimile est, privatum unquam parentem, in cujus vita & spiritu esset totum liberorum patrimonium, magis carum suis fuisse, aut quamvis indulgentem, adeo cupide cultum ab liberis omni genere enixi obsequii. Id autem non ab simulatione officii, sed pietatis integerrima veritate profectum fuisse, cum aliis rebus doceri potest, tum maxime in morte Regis luculenter patuit, quae talem simulationem & inutilem fecisset, & aperuisset. Etenim testes sunt multi, qui vel necessaria de causa ei spectaculo adfuere, vel temere inter consternationem irruperant, ita morientis vel modo mortui adspectu adfectos fuisse, ut nemo sine miseratione videre, nemo lacrimas tenere posset. Vix picturae exquisitum artificium exprimere illam speciem possit, nedum oratio.

Alii

Alii caput labans attollere: alii manus tenere, osculari manantibus lacrimis, si quid motus vitalis simile a venae sectione, a frictionibus appareret, gaudium lacrimis miscere; alii exanimes concidere: in his Nurus Regia medicos fatigare, ut medicamenta darent: cum negarent vivere, at darent; velut retractura fugientem animam, &, si posset, vivere coactura Patrem. Haec & his similia quam plena profundae pietatis! quam gloriosa Patri, gloriosa liberis! Non hoc fuit verissime, ut Vellejus de Metello dixit, *magis feliciter de vita migrare, quam mori?*

Sed inprimis regalis, ut voluptas & gloria, ita felicitas est ea, in cujus communionem venit Patria, hoc est, eadem publica. Dubitabimus igitur, Felicem praedicare Parentem Patriae, qui Saxoniae suae ac Civibus suis Principem ac Dominum reliquerit, qualem fingant cogitatione & optent votis, qui sapienter fingere & optare velint? cujus imperii omen felicissimum habuimus pacem nuper per ipsum factam, pignora autem habemus multa & magna tum ante susceptum imperium, tum in ipsis his initiis decreta & facta.

Sed laudandi novi Principis aliud tempus & alius locus erit: nunc de Patre Augusto agitur, cujus memoriae justis honoribus condecorandae officium indicimus. Ejus autem laudum partem nobis attingere visum est eam, quae & amabilis esset inprimis, & animos nostros maxime incenderet ad officium illud summo studio peragendum, quod etiam sola novi & exoptatissimi Principis nostri voluntas nobis ita commendare debet, & commendabit utique, ut eo nihil sanctius videatur. Ceteras laudes, plurimas & maximas, commemorabit generosissimae gentis Juvenis, idemque studiis doctrinae perpolitus, Carolus Guilelmus Carolovicius, Eques Misnicus, qui Oratione Panegyrica in aede Paulina recitanda memoriam Regis & Parentis Patriae optime meriti animis nostris commendabit. Ad eam igitur audiendam, & celebrandum adeo solenne exsequiarum officium, ut proximo die Martis, qui erit XXII. Nov. hora IX. Illustrissimi Comites, Utriusque Reipublicae Proceres, & Cives ceteri, genere, ingenio, doctrina nobilissimi, frequen-

tes in aede S. Nicolai adſint, meque ducentem pompam in aedem Paulinam ſequantur, etiam atque etiam rogo. A meridie etiam hora II. frequentiam praeſtabitis pro Concione, eadem in aede, dicturo ſuper Jeſaiae LIV, 8. Collegae noſtro Venerando, Chriſtiano Auguſto Cruſio, &, precibus pie & religioſe faciendis, primum gratias agetis pro beneficiis, quae Deus Patriae noſtrae, huic Academiae & Urbi, per tot annos, ſub Principatu beatiſſimi Regis indulſit, deinde novo huic Principatui, de quo tam praeclare juſtiſſimis de cauſis ſperamus, pacem perpetuam, tranquillitatem, ſecunda omnia impetrabitis. P. P. Domin. XXV. p. Trin. a. C. CIↃIↃCCLXIII.

MEMORIAE

ET

ELOGIA

PUBLICE PRIVATIMQUE
SCRIPTA.

MEMORIA JOANNIS FRIDERICI CHRISTII

POESEOS PROFESSORIS PUBL. ORDINARII.

Magnam habet antiquitas commendationem ſuavitatis: ſive natura ipſa eo ſenſu imbuit animos noſtros, ſive opinio quaedam hanc ei gratiam temere adjunxit. Sed nihil jucundius eſt antiquitate illa erudita, Graeca atque Romana, cujus vel veſtigia per literarum Graecarum Latinarumque priſca monumenta curioſe indagamus, vel reliquias ipſas in operibus artis cum magna admiratione ſpectamus. In quo ſi nihil aliud eſſet, quod probari poſſet, animus certe deberet laudari gratus adverſus eos, a quibus omnium bonarum artium praecepta egregia, &, quod multo majus eſt, exempla perfecta, accepimus. Sed vehementer falluntur, qui in antiquitate illa cognoſcenda nihil praeter aliquam voluptatem, liberalem illam quidem, ſed inanem tamen, ineſſe arbitrantur. Illi ipſi, qui omnem antiquitatis ſcientiam ad veterum ſcriptorum divinorum humanorumque intelligentiam, & hiſtoriam antiquam referunt, etſi honorificentius & verius judicant: eſt enim ea res permagna: tamen longe anguſtius utilitatem ejus circumſcribunt, quam res & uſus patiuntur. Itaque recte judicat intelligentiſſimus ille, & elegantiſſimus operum antiquorum ſpectator & interpres, Caylus, Co-

mes, non optime fecisse antiquorum monumentorum interpretes, cum aut nihil aliud, aut maxime id egerint, ut per reliquias antiquitatis Graecae atque Latinae lucis aliquid scriptoribus antiquis historiaeque adferrent: sapienterque ipse in operibus antiquis, quae mirifica artis elegantia expressit, hoc maxime & videndum praecipit, & ipse videt, ut artium elegantium incrementa & perfectio, artificumque ingenia cognoscantur, eaque intelligentia ad imitationem artificum, h. e. ad usum perfectionemque artium conferatur. Sed quod Caylus interpretibus antiquorum operum agendum censet, ipse autem in interpretatione eorum nuper eleganter, & cum magna peritorum laude agere coepit, hoc dudum fecerunt artifices summi in omni artium genere, quod habet aliquam cum Graecae Romanaeque vetustatis monimentis conjunctionem. Nam si verum velimus fateri, quicquid recentioris aetatis pictura, statuaria, sculptura, caelatura, architectura denique, habet admirabile, venustum, & exquisitum, id omne ductum est ab antiquorum operum imitatione, ad quam omnia retulerunt, quicunque primi in aliquo tali genere excelluerunt, & insignes esse voluerunt. Picturae apud Graecos quae perfectio fuerit, quam ipsam propemodum naturam aequarit, sciunt omnes, qui veterum testimoniis credere didicerunt. Nec Italica ingenia ad eam artem vel intelligendam dura, vel consequendam tarda & invenusta fuere, praesertim, posteaquam Graecorum opera Romae publicata, & in imitationem vocata sunt. Itaque Italia plena fuit pulcerrimis picturae operibus, ut quae etiam in sepulcra descendere, & ea exornare jussa est: ita machinante fortuna quadam, artibus favente, ut in eorum tenebris perfugium haberet ars pulcerrima; unde aliquando, liberata a barbaris Italia, & literarum luce terris reddita, & ipsa revocari in lucem posset. Quod ita accidisse satis constat. Etenim cum bonarum literarum amor & studium occupasset hominum animos, depulsaque philosophiae scholasticae barbarie, coepissent homines sapientiam petere e scriptoribus Graecis atque Latinis, requiri coeptae sunt reliquiae veteris Romae, & omnium antiquarum artium. Ita dum eae ubique e terra protrahuntur ab antiquitatis studiosis, e sepulcris etiam in lucem ac paene

vitam

vitam revocata eſt pictura: quae tum etiam non aliter pingebat, quam olim in iſtis ſepulchris pinxerat, hoc eſt, in tectorio camerarum atque parietum, & ſine oleo. Sed multo magis ea res clara eſt in ceteris generibus, e quibus majores & meliores reliquias antiquitatis elegantis habemus. Contemnimus hodie opera Gothici & Langobardici ingenii, & ridemus, quicquid eſt ab eo profectum: adeo in omnibus barbaries, hoc eſt, valde abhorrens a natura & ſimplicitate & pulcritudine ratio apparet: nec quisquam eſt, qui ea imitari vel ullo in genere velit, ac pulcra ducat, vel fieri quicquam ad eum modum, aedes, ſigna, vel in ſaxo, vel in aere, vel in gemmis, velit. Omnes aliquid elegantius requirimus & venuſtius. Sed quibus hunc meliorem in omnibus talibus rebus guſtum, quem nemo ingenuus ac politus habere nolit, quibus hujus artium elegantiſſimarum emendationis initia debemus, niſi iis, qui antiqua earum opera undecunque conquiſivere, ut vel in locis publicis muſeisque propoſita, vel in libris pictura lineari per aeneas laminas expreſſa ſpectarentur?

Enimvero id quantum, & quam multiplex, & amabile beneficium ſit, quis adeo parum humanus eſt, atque invenuſtus, quin facile intelligat? Atque non ignoramus, in iis rebus omnibus nullam eſſe partem neceſſariam vitae humanae, quae etiam ſine aedificandi elegantia, & ceteris illis deliciis agi poteſt, & a multis gentibus per multa ſecula acta eſt. Neque tamen propterea audiendus eſt, ſi quis eas res omnes, ut non neceſſarias, contemnat ac repudiet. Omnes alias vitae humanae oblectationes ac delicias in veſtitu, in victu, in reliquo vitae cultu, in hortis, expellamus licet, ſi ad neceſſitatem vitae revocare omnia velimus. Sed nemo ita eſt inhumanus, ut hanc necesſitatem tantopere amplectatur, nemo ita ab omnibus vitae ſuavitatibus alienus, ut iis nihil in ullo genere artium tribuendum ducat. Carere poteſt illis omnibus vita humana: ſed aegre careat, ſed doleat negatis atque ademtis: quod ei hoc ignoſcendum ſit magis, quo liberalior ea oblectatio debet judicari, quae non ad corpoream voluptatem ſolam, ut in cibo, potu, aliisque talibus rebus, refertur, ſed ad oculorum ſenſum, & quidem

eum, qui sine ratione, & sine ingenii quadam elegantia, vel naturae beneficio insita, vel artium studio & judicio aucta, contingere non potest. Quodsi qua in talibus rebus vanitas accusanda sit, ea profecto magis reprehendi debeat in iis, qui talium rerum possidendarum immoderata cupiditate incensi sint, quam in his, qui earum adspectu judicioque & pascere oculos pariter atque animum, & acuere ingenium ad sensum pulcritudinis omnis, & vitam ipsam elegantiorem reddere velint: qui est fructus talium rerum praestantissimus, maximeque liberalis. Etenim non est tacendum id, quo videntur ea artis vel antiqua vel recentia opera, eorumque spectandorum & intelligendorum studium maxime commendari.

Maxima pars humanitatis & decus prope omne vitae humanae, quo distamus a bestiis, inest primum in sensu quodam ordinis, decoris, & pulcritudinis, deinde in dictis factisque omnibus, & partibus vitae humanae externis ad illius sensus legem & normam componendis fingendisque. Hunc sensum obruit atque exstinguit barbaries, inimica rebus pulcris omnibus: eo autem exstincto, totius vitae in omnibus rebus deformitas, aberrans longissime a naturae humanae lege ac dignitate, consequitur. Sed ubi ille sensus viget, aliturque suis nutrimentis, & acuitur artibus idoneis, ibi vero omnia accipiunt suum ornatum ac decus, consentaneum naturae humanae dignitati, exiftitque elegantia quaedam, per omnes vitae humanae partes fusa & explicata. Hinc nascitur vera eloquentia, non modo popularis illa & libera, sed etiam altera exquisitior, & adstricta numeris certis: hinc morum facilitas, elegantia, venustas: hinc in operibus artis omnibus pulcritudo & lepos. Sed haec omnia genera habent conjunctionem inter se talem, ut suam invicem communicent vim, & iisdem semper in locis habitent, sitque iis quasi commune domicilium. Neque enim ignorat quisquam, quibus temporibus eloquentia, poësis, & aliae artes liberales, in Graecia & Italia maxime florerent, iisdem perfectissimam ibidem fuisse picturam, statuariam, architecturam, ceterasque tales artes, certe elegantissime tum de talibus rebus homines judicasse. Quare quemadmodum

ii,

ii, qui libros veteres Graecos & Latinos, vel in lucem protraxere, vel emendare ingenio, & explicare doctrina inſtituerunt, & cum maxime inſtituunt, adducuntque homines non modo ad eorum intelligentiam, ſed etiam guſtu pulcritudinis ejus imbuunt, qua ibi ſunt oblita omnia, hi, inquam, ut praeclare merentur de genere & vita hominum, propterea, quod ex iis libris omnis vera ſapientia humana, dicendique elegantia & ſuavitas venit: ſic & ii plurimum proſunt vitae humanae, ejusque jucunditatem adjuvant, qui vel reliqua vetuſtatis Graecae & Romanae opera e viſceribus terrae eruenda curant, quod multi non modo eruditiſſimi homines, ſed etiam Principes fecere, facitque cum maxime Carolus, utriusque Siciliae Rex, magno & regio ſumtu protrahens Herculani reliquias in lucem, in eoque ſe ad omnem poſteritatem victuro beneficio literas artesque elegantes adficere exiſtimans, vel eorum artem & venuſtatem demonſtrant. Nam acuunt homines ad pulcritudinis ejus, quae talibus rebus attributa eſt, ſenſum, non modo ad illas ipſas artes judicandas exercendasque profuturum, ad quas ea proprie pertinent, ſed etiam ad reliquas, in quibus elegantiae ratio habetur, vitamque univerſam.

Atque non ignoramus, eos, qui in aliis ſua rident vitia, quaedam antiquitatis interpretibus objicere, quibus eorum ſtudia in contemtum adducere conentur, in his quaedam oppido frigida: qualia ſunt in iis, quae, ſub Sectani nomine, in eos effudit Lagomarſinus, cetera aut communia, aut levia, aut omnino nulla. Nam quod minutias conſectari dicuntur, ea non eſt, niſi majoris diligentiae reprehenſio, quae eſt valde lubrica & fallax. Neque enim cujusvis eſt, judicare, quid ſit, in illis praeſertim generibus artium elegantiorum, & quas ipſe ignorare ſe fateatur, minutum ac contemnendum: nec ullius artis perfectio, ſine multis parvis rebus conſtat: denique nulla pars doctrinae reperitur, cujus profeſſoribus non minutiae ſoleant objici. At vident ſaepe, velut in numis ac gemmis, quae nemo alius videt, nec omnino inſunt. Primum, non mirum ſit, ſi oculus, in aliquo genere exercitatus, videat, quod alii non cernant, qui ſe non in eodem genere exercuerint: cum etiam aures, exercitatae au-

 dien-

diendis muſicis concentibus, audiant, quae aliae non aſſequuntur. Enimvero, an in ceteris artibus ac diſciplinis nemo videt, niſi quod eſt ante oculos, poſitumque in re ac natura? Immo vero quam multi vident in ſacris libris, quorum nullum ibi veſtigium impreſſum eſt divinitus? in legibus, quorum nihil in mentem legiſlatori venerat? Phyſici ii, qui arcana naturae perſpicere, per microſcopiorum auxilia, tentarunt, quam ſaepe irriſi ſunt, quod viderent ea, quae per eadem microſcopia nemo alius poſſet aſſequi? Metaphyſici autem, quod in verbis inanibus viderent notiones rerum? Quid? quod gravius eſt, quotus quisque non in ſe atque in animo ſuo videt res maximas, ſapientiam, doctrinam, virtutem, etiam cum ab eo longiſſime abſunt? quam multa in liberis parentes, in amaſiis amantes bona vident, quorum alii nihil admodum agnoſcunt? quam multa porro vitia atque peccata in aliis vident male acuti homines, a quibus eos facile liberent aequi aliorum oculi? Non igitur tolerabilis erit in Antiquariis error innoxius oculi, cum alii plerique haud paullo graviori animi errore peccent? Immo condonabitur ceteris magnis bonis, quae eorum diligentiae debentur: eruntque ipſi in tanto majori honore, quanto pauciores ſunt, qui in eo genere vel elaborare ſuſcipiant, vel probabile aliquid efficere poſſint.

Neque enim facile eſt, aut cuivis datum, in antiquitatis iſtis reliquiis cum laude verſari: adeo multa requiruntur vel ingenii, doctrinae, artiumque praeſidia, vel ſtudii, laboris, exercitationisque adjumenta! Opus eſt primum ingenii ac prope oculorum ipſorum quadam elegantia, quae ſentire & agnoſcere talium operum pulcritudinem, & manuum artificia poſſit, ſine qua nihil in toto iſto genere quaevis cura effecerit. Doctrinae porro antiquae copia inſignis requiritur, quae gemmarum, numorum, arcuum, columnarum, figuris antiquis refertarum, aliorumque talium operum erudita argumenta aſſequatur, & apte interpretari doceat. Oportet etiam artes ipſas, quae talia opera effecerunt, non prorſus ignorare, tenere ſaltem linearis picturae artificium, in quo inſunt fundamenta & principia omnium illarum artium, & ſine

quo

quo nullum certum eſt de ullo tali opere judicium. Quanta denique diligentia eſſe debet vel in iisdem operibus ſaepe tractandis, inſpiciendisque, vel in comparandis ſimilibus; ne conjecturis uti neceſſe ſit, ne ſuſpicionibus acquieſcere cogare, aut videre videare, quod non inſit: quod eſt unum certum genus antiquitatis talis bene cognoſcendae: ſicut accurati Phyſici in operibus eventisque naturalibus inſpiciendis obſervandisque faciunt. In quibus rebus quanta difficultas, quam paucis ſuperanda oſtendatur, quis non ſua ſponte intelligit?

Sed talem nos proh! habuiſſe Jo. Frid. Chriſtium, harum rerum vel mediocriter intelligens, nemo negaverit. Primum, quanta doctrinae veteris, cum univerſae, tum maxime ejus, quae ad hanc rationem pertineret, copia fuerit viro, & ſcripta ejus loquuntur, & cognoverunt, quicunque eum vel diſputantem de talibus rebus diſcendi cauſa audivere, vel cum eo ſermones ſuper talibus argumentis familiariter contulerunt. Omnia cognorat Latinorum ſcriptorum monimenta, in primis ea, in quibus eſſet veluti domicilium antiquariae illius ſcientiae, ut Plinii Majoris libros poſtremos, & poëtarum carmina, quae etiam proprio quodam rei poëticae ſtudio adamarat, & accurate magnoque cum judicio tractabat, in his etiam, quae alii praeterire ſolent, hiſtoriae denique auctores univerſos. Sed in omnibus omnia antiquitatis veſtigia, etiam leviter impreſſa, & ab aliis vix animadverſa, curioſe indagarat, & vel ſcriptoribus ipſis e numis gemmisque ſuis aliquid lucis affundere, vel his ex illis accendere tentarat. His adjunxerat reliquias antiquitatis, quas docti ubique terrarum viri per lineares in aeneis lamnis figuras expreſſas edidiſſent, quorum operum librorumque magnam & lautam copiam haud parva pecunia compararat, non, ut haberet, & per eam ſe imperitis jactaret, ſed ut perſpiceret, excuteret, & inde cum ſuam in hoc genere ſcientiam augeret, tum intelligentibus prodeſſet. Quid? quod etiam quibusdam ſupellectilis antiquariae generibus non parvam pecuniam impenderat, ut numis gemmisque antiquis, quarum non parvum ille numerum reliquit, in his quas-

dam

dam exquisiti artificii, & non vulgaris raritatis. Viderat denique in peregrinatione, quam per Germaniam & Italiae partem fecerat, permulta ejus generis, non obiter, ut peregrinantium plerique solent, sed quemadmodum periti & artifices artis suae opera solent spectare. Et erat tanto melior & spectator operum ipsorum, & exemplorum inde ductorum in libris judex, quod non modo a natura sensum quendam talis elegantiae habebat, sed eum etiam omni ratione acuerat. Nam linearem illam in charta pingendi rationem tenebat, & radium in aeneis lamnis ducere didicerat: non ille quidem, ut artificum venustatem & subtilitatem assequeretur, at, ut artem se callere, ostenderet. Accesserat exercitatio operum artis inspiciendorum comparandorumque assidua & scita: ut qui etiam pictorum omnium recentiorum tabulas, de quibus & ipsis eleganter judicabat, ita accurate, ita saepe inspexerat, ita propriis quibusdam notis discernere didicerat, ut, cujus artificis quaelibet esset, facile diceret: in quo genere ille tantum diligentiae posuerat, ut etiam signa omnium pictorum, quibus opera sua notare consuevissent, collegerit, & perite interpretatus sit proprio libro, (*de Monogrammatis Pictorum*) qui nuper e Germanico Francicus factus est Parisiis. Itaque quicunque apud nos in tali aliqua re haererent, aut intelligere aliquid cuperent, Christium consulebant, a quo se putarent optime, quae vellent, cognoscere posse. Quibus ille ita plerumque e vestigio respondebat, ut, sibi ab eo satisfactum egregie, faterentur. Neque vel alium, quam ipsum, interpretem adhibebant, qui antiquitatis partem aliquam, ut gemmarum argumenta, explicari vellent, ut in Richteriano Museo publicando factum est, vel alius judex facile adhibebatur, cum in Actorum Eruditorum Commentariis, de libris antiquariis judicandum esset. Quo majus in eo se ornamentum habere Academia nostra putabat: quo amisso, merito, ut in gravissima jactura, non modo communi literarum nomine, sed etiam sua causa proprie dolet: praesertim cum etiam alia, vel a literis, vel a virtute & sapientia, permagna in eo bona fuerint, quibus aegre sibi posthaec carendum videt.

Eum

Eum debuimus Coburgo Francorum: quo in oppido natus erat, anno hujus ipſius ſeculi primo, e gente antiquae in Franconia claritatis: patre Jo. Sebaſtiano, in Aula Ducum Saxoniae e Coburgenſi Domo Erneſtina Conſiliario, & Gymnaſii Curatore, avo paterno Georgio Julio, Marchionis Baruthini in Fiſci procuratione Conſiliario, materno Jo. Adamo Drechſelio, in eadem Aula Conſiliario. Pater cum & filium amaret, praeſertim in quo praeclari ingenii ſigna comparerent, & literas, quas ipſe calleret egregie, primum domeſticos praeceptores aluit, quos optimos nanciſci poſſet, deinde ab his bene praeparatum publicis Gymnaſii magiſtris erudiendum tradidit. Horum doctrina, & vero etiam Parentis domeſtica diſciplina conformatus, miſſus eſt in Academiam Jenenſem: unde perceptis, trium annorum ſpatio, philoſophiae, matheſeos, jurisque partibus omnibus, itemque hiſtoria Imperii Germanici, redux in patriam, rector datus eſt nobiliſſimis Juvenibus, primum Volzogiis tribus, uni, quocum profectus in eandem Academiam, & ſcientiam earum diſciplinarum & amorem ſibi auxit, duobus ejusdem fratribus, Halas Saxonicas ituris, denique Rud. Bunavio, Comiti, magni illius Henrici fratri, in Lipſienſi Academia, quae ei, per viciniam, dum Halis commoratur, cognita, plurimum omnium placebat. Inter haec ei in Aula Meinungenſi, Volzogiana ſuffragatione, deſtinatus erat locus inter ſcribas Principis, etiam ſpe majorum honorum propoſita. Sed ille literas, Latinas in primis, & elegantiores artes, ita adamarat, ut Academicam in literis vitam aulicae praeferret, nihilque magis optaret, quam ut docere, quas didiciſſet, literas in Academia, in primis Lipſienſi, poſſet. Cujus voti compotem fecit Domus Bunavia, impetrata ei Profeſſione hiſtorica extraordinaria: ad quam ſibi, Magiſtri Philoſophiae honoribus capiendis, & diſputationibus legitimis, inprimisque doctrinae & virtutis opinione, viam munierat. Neque tamen ea res ipſum impedivit, quo minus comes iret Bunavio, primum per Germaniam inferiorem, Belgas, Batavosque, in Britanniam, poſt per Bohemiam, Moraviam, Auſtriam, in Venetos: unde per Suevos, Bavaros, Francos & Bohemos rediit Lipſiam. Nam Italiam reliquam, quod

maxime

maxime cupierat, & Francogalliam visere, bellicae turbae non siverant.

Reversus Lipsiam totum se dat erudiendae juventuti bonarum literarum studiosae, auctus mox Professione Poëtica ordinaria, quam ad finem usque vitae ornavit, & scholis historicis, poëticis, literariis, antiquariis assidue habendis, & scribendo multa, quibus literis communibus prodesset, & dignitatem bonarum artium omni ope asserendo. Pleraque scripsit per occasiones Academicas, Prolusiones, Disputationes, Carmina, quosdam etiam alios libros, ut *Noctes, de Monogrammatis Pictorum, Fabulas Aesopicas*, exquisitae eruditionis plenos: nec ulla est pars elegantis doctrinae, cui non aliquid lucis adfuderit scriptis suis: quorum prope omnium titulos & argumenta uno loco ipse prodenda curavit. Et reliquit quaedam affecta, quae dolendum est, perfici ab ipso & publicari non potuisse. Genus orationis erat, in differendo purum, perspicuum, copiosum & profluens, in scribendo exquisitius ab delectu verborum, & structura curiosiori, & Latine doctioribus magis, quam qui leviter tincti Latinis literis essent, aptum ac probatum. Docendi rationem non modo ad scientiam referebat, sed etiam ad virtutem & bonam mentem, digredi saepe solitus ad praecepta sapientiae & virtutis, commendationemque elegantis in vita humanitatis: cujus tanto melior & praeceptor & commendator erat, quanto ipse in omni vita erat elegantior & urbanior, domestica Patris disciplina olim in prima aetate imbutus humanitatis & elegantiae sensu, & ad eam plane conformatus consuetudine cum viris magnis, cujus ei copiam & nobilium juvenum rectura, & peregrinationes fecerant. Vitae genus sequebatur, quale literis maxime convenit, tranquillum sine ignavia ac solitudine, neque assidua & promiscua cum aliis consuetudine occupatum & distractum, neque nimia literarum aviditate solitarium & obscurum: nunquam se minus solum existimans, quam cum inter libros suos ageret, nunquam magis, quam cum inter homines, quibuscum nihil loqui liceret de communibus literis, aut quod in diem posterum juvare ingenium animumque posset. Bonarum literarum tantus amor erat, tantum studium, ut in earum laude ac digni-

dignitate tuenda modum excedere mallet, si tamen in tali re modus excedi potest, quam non satis acer defensor videri.

Sed illa ipsa vita, domi maxime & in literis acta, sicci corporis virum, nec nimis a nervis robusti, quanquam satis prospera valetudine a pueris usum, tamen paullatim debilitaverat. Cujus imbecillitatis vis primum erumpere ante paucos annos coepit sputi copiosiori fluxu, per intervalla recurrente, qui interdum etiam vomendi conatum ciebat. Hunc etsi represserat aliquoties, & primarum viarum debilitatem roborare tentarat, Ludovicus noster, cujus excellente scientia, & fideli consilio utebatur Christius: tamen tanta mali vis fuit, ut plane tolli nulla arte posset. Nam superiori hieme ita aucta est imbecillitas, ut de salute viri dubitare medicus inciperet, post breve autem a vernalis temporis benignitate levamentum, etiam desperaret, cum adpropinquante autumno ita vires frangerentur, corpusque totum contabesceret lentae febris accessione, ut ad extremum succumberet malo, & leniter exspiraret.

In tanta imbecillitate corporis, tamen ad extremum animus conservavit cogitandi vigorem: qui & amicis & ipsi spem quandam recuperandae valetudinis relinquebat. Itaque ei licebat, sermonibus cum familiaribus, qui visendi causa venissent, habendis, libris inspiciendis legendisque, sed maxime rerum divinarum cogitatione, mali sensum subinde vel minuere, vel obruere: videbaturque ipsa cogitandi contentione recreari potius, quam defatigari. Quo magis etiam corroboratus est animus, accepto de Christophori Wollii manibus corporis & sanguinis Christi viatico, auditisque sermonibus ad contemnendam hujus tam fragilis vitae miseriam, & melioris spem atque cupiditatem confirmandam alendamque accommodatis. Neque vero aut impatientia se opprimi sinebat in tam longo malo, aut querelis molestus cuiquam erat, sed dissimulabat potius magnam mali partem, & in melius verbis vertebat, quae timor etiam augere solet. Una re gravius est commotus, cum bello repentino oppressam patriam audisset. Sed ille dolor admodum ei brevis fuit, tertio die post ex hu-

jus

jus vitae miſeria & turbis ad coeleſtia gaudia & aeternam tranquillitatem translato. Nos vero, quicunque bonas literas amamus, memoriam viri de iis praeclare meriti conſervabimus, eamque juſtis laudibus ad poſteritatem propagare, ſed maxime inſigne ejus ſtudium in iis vel diſcendis vel tuendis imitari conabimur. P. P. Dominic. Sexageſ. a C. CIƆIƆCCLVII.

M E-

MEMORIA JOANNIS CHRISTIANI HEBENSTREITII

S. THEOL. PROF. ET CANONICI MISENENSIS.

Magnum & doctrinae accuratae parataeque, & feverae fanctitatis exemplum amifimus, mortuo Jo. Chriftiano Hebenftreitio, Theologo primario: nec facile eft aeftimare, utra jactura magis lugenda videatur. Magna profecto res eft, & cum doctori ad famam gloriofa, tum difcentibus ad utilitatem mirifice fructuofa, fi quis partes alicujus doctrinae omnes ita perceptas animo habet, & quafi percurfas, ut nufpiam erret, incertusque vagetur, nufpiam haereat, nufpiam titubet, aut labatur, ita vero in poteftate habet omnia, ut quocunque loco ac tempore proferre, quae res poftulet, ac perfpicue accurateque explicare poffit: praefertim in Theologia, quae, ut dignitate omnium difciplinarum prima, fic amplitudine maxima, & difficultate graviffima merito putatur. Nam tot linguarum, earumque vehementer natura difcrepantium fua, tanta fcientia, tanta omnis aevi memoria, tanta in explicandis defendendisque dogmatis, erroribusque refellendis, fubtilitate tenetur, ut, fi quis ea omnia vel intelligentia affecutus fit, vel me-

moria complexus, vel cogitatione ſubegerit, denique exercitatione devinxerit, is prope divino ingenio eſſe videatur. Quare ut inſigne ornamentum adjungitur Academiae, cui talis ac tantus Theologus munere divino contigit, ſic juventus, ſacrarum literarum ſtudia aemulans, majus in eo bonum habet, quam hujus aetatis vel ignavia, vel levitas aeſtimet, quae perfectae doctrinae vim nec intelligere ſolet, nec aſſequi curat. Nam ut ipſe non facile modo docet, ac ſine moleſtia, ſed etiam cum voluptate quadam, ſic rectius, facilius & celerius, jucundius denique diſcunt, qui ejus diſciplina utuntur, nunquam cum doctore haeſitantes, nunquam per ambagium avia vagantes, ſed rectiſſimo, planiſſimo, breviſſimoque itinere euntes. Solus ille, ubi ſtrigandum, & ubi currendum ſit, tenet: ſolus egregiorum ingeniorum capacitatem explet, & aviditatem ſatiat, mediocribus autem ac tardis prope vim affert, ut naturae anguſtias dilatare, & ipſam tarditatem incitare videatur. Quantum autem illud eſt, quod eſt profecto permagnum, quod in eo habent non modo juvenes exemplar doctrinae, quod ſpectent, ad cujus perfectionem ſibi contendendum videant, ſed etiam viri, qui ſe jam haud dubie in doctoribus numerant, velut menſuram juſtae & perfectae doctrinae, ad quam ſe exigentes, quid ſibi deſit, quid agendum perſequendumque reſtet, intelligant.

Etſi autem nullo tempore admodum frequens, nec in alio genere, illa doctrinae perfectio fuit, nec in Theologia: tamen nulla aetas ita infelix fuit, ut non quosdam haberet, quibus ea laus vere tribui poſſet. Nec mirum profecto foret, ſi, tanta gloria aliisque praemiis propoſitis, frequentia talium eſſet major, quam videmus, praeſertim in Academiis, ubi inclareſcendi cupiditas, & aemulatio plus quam ſatis eſt, dominantur, & exempla imitandi rationem demonſtrantia ſpectantur, denique ipſius exercitationis aſſiduitate & diuturnitate ingenia ſublevantur. Sed illud haud paullo rarius genus ſemper exiſtimatum eſt: ſive ita eſſet, ſive iniquius de vivorum virtute, ut fit, judicaretur: qui non ore tenus doctrinam divinam exercerent, nulla ejus parte ad pectus deſcendere juſſa, ſed ſanctitate animi, atque vitae ſanctitatem doctrinae ſuae,

quan-

quantum in hac imbecillitate humana fieri poſſet, aequarent. Neque ſane mirum debet videri, ſi major paucitas in hoc genere, quam in illo animadvertitur. Nam in illa doctrinae perfectione nihil eſt, quod magnopere adverſarias habeat cupiditates humanas, a quibus etiam adjuvari ſolet, cum viciſſim ipſae alimenta ab ea & ſperent, & ſaepe accipiant: in hoc genere omnibus cupiditatibus bellum perpetuum indicitur, & nosmet ipſi debellamur. Enimvero incredibile dictu eſt, quanta & quam praeclara res, quam amabilis, quam publice utilis ſit Theologus, cujus non modo cathedra, ſed tota vita quandam Chriſti diſciplinam habeat, cujus non vox magis quam facta Chriſtum loquantur, in quo denique ſit & doctrinae & vitae ἀκρίβεια & εἰλικρίνεια.

Nihil profecto eſt perfectius diſciplina vitae, quam literis divinis propoſitam atque explicatam habemus. Si quicquid ſapientiſſimi Graecorum & Romanorum exquiſitiſſime de virtute praeceperunt, ſi quaecunque magnifice, de moderandis animi cupiditatibus, contemnendisque rebus humanis omnibus, ſcripſerunt, ea igitur ſi in unum contuleris omnia, non modo nihil reperias boni, quod non idem reperiatur in libris ſacris, ſed omnia etiam majora & puriora in his agnoſcas. Ad eam igitur diſciplinam, ſi quis compoſitus videatur atque exactus totus, quantam admirationem debet injicere ſui? Nemo eſt paullo liberalius inſtitutus, atque aliquo rerum bonarum & pulcrarum ſenſu praeditus, quin ſuaviter afficiatur animo, cum apud poëtas, inprimis Tragicos, audit generoſius loquentes homines, & cum ſignificatione luculenta animi contemtoris rerum humanarum, admiratoris autem divinarum, ſapientiae atque virtutis: ut ſaepe admiremur atque amemus, quos nunquam vidimus, immo qui nuſpiam fuerunt? Quanto magis gaudeamus igitur neceſſe eſt, atque amemus, cum ea omnia, atque adeo majora, non modo audimus, ſed etiam in vivo exemplo oculis intuemur ipſis. Sed hoc Theologus ſanctus commune habet cum omnibus, in quibus eſt vera & magna virtus Chriſtiana: illud autem, quod habet proprium, quantum eſt? quod diſcipulis inſpirat plenum quendam pietatis ſenſum, quem olim

& ipſi docendo in alios transfundant: quod odium vitiorum, & amorem virtutum omnium injicit, comparantibus tacite hanc modeſtiam cum aliorum ſuperbia, hanc αὐτάρκειαν cum aliorum aviditate, hanc gravitatem cum aliorum levitate, hanc adverſus omnes aequitatem, & benivolentiam, cum aliorum malignitate in judicando, reprehendendo, invidia & aemulatione.

Sed talem nos Theologum proh! habuiſſe Hebenſtreitium, qui rariſſimo exemplo utrumque tantum bonum, illam accuratam promtamque doctrinam cum hac diligentiſſima ſanctitate, conjunxerit, conjunctasque ad extremum retinuerit, nullius neque improbitatis impudentia negaverit, neque invidiae malignitas: a qua ei quomodo poſt mortem timeamus, cum ne vivum quidem attigerit? adeo fortuna caverat, ne multa eſſent in ejus vita atque conditione, quae invidiam irritarent! Nam doctrinae quidem Theologicae velut aedificium ſuperſtruxerat linguarum veterum, Latinae, Graecae, atque orientalium, & philoſophiae fundamentis, neque illis tenuibus, & levibus, ſed firmis & alte poſitis. Nam linguae quidem Latinae & Graecae ſcientiam cum ab aliis bonis magiſtris, tum Gotfrido Oleario acceperat, & utramque multos annos ſcholis publicis privatisque docuerat accurate & feliciter. Hebraicam autem didicerat, ceteris dialectis, Aramaea, Chaldaica, etiam Arabica, adſcitis: & didicerat ad Grammaticam ἀκρίβειαν, cognitis etiam magiſtrorum Hebraicorum commentariis omnibus, & exercitationibus docendi legendique aſſiduis effecerat, ut plane in poteſtate haberet. Philoſophiam didicerat & antiquam, lectis diligenter Ciceronis aliorumque φιλοσοφουμένοις, & ſcholaſticam, cujus omnes partes, docendo diſputandoque imbiberat: nec neglexerat novam. Itaque antiquorum lectionem commendabat, intelligebat enim ipſe: Theologorum noſtrorum libros, qui contemta illa ſcholaſtica philoſophia contemni & ipſi incipiunt, praeclare intelligebat: nec iniquus erat philoſophis novis: rara copulatione mixtis ingeniorum omnium generibus & inventis. Nihil erat Theologorum noſtrorum, qui quidem ἀκριβέστεροι numerantur, quod illi non lectum, nihil controverſiarum, quod non cum ratio-

num

num omnium momentis exactum & ponderatum esset, quaestionesque Theologorum omnes plane percursas ac prope decantatas habebat. Nam & insatiabile legendi studium ab adolescentia fuerat, & invicta cogitandi cura: ingenii autem erat celeritas & capacitas incredibilis. Sed maxime se ad literas sacras, cum universas, tum inprimis Hebraicas, penitus cognoscendas dederat, idque genus doctrinae sibi elegerat, in quo plane habitaret. In iis interpretandis autem, ut antiquitatem maxime probabat, ita nec recentiorum ingenia contemnebat: nec suas opiniones ita probabat, ut aliorum sententias invidiose improbaret. His igitur rebus effecerat, ut, cujuscunque rei ex illis generibus disciplinam quis a se peteret, eam suscipere posset, eamque ageret ita, ut cum maxime imparatus ad docendum venisset, tamen paratissimum venisse omnes existimarent. Docebat totum paene diem, ab hora etiam sexta matutina, si quis vellet, ad septimam usque vespertinam. Laborandum esse, dictitabat: assiduitatis quoque exemplum studiosis esse debere bonum Professorem: & illam ipsam assiduitatem, & exercitationem docendi, unam viam ad doctrinam esse accuratam paratamque, crediderat sapientibus viris (*). In docendo alacritas mira animi apparebat: vultus & frons blanda, cum gravitate quadam: nulla sui & suorum inventorum jactatio, multo minus ullius insectatio: veritatem disci volebat, non suas laudes, aut aliorum errores ac vitia cognosci: illa percipienda ali ingenia, his cognoscendis inflari putabat. Nihil in docendo alieni: nihil digressionum: brevitatem sine obscuritate sequebatur. Instabat discentibus, assidue percunctando, & premendo usque, dum percepisse sentiret, quae vellet: urgebatque ingenia salutari quadam festinatione, ut progredi strenue, ut secum festinare cogerentur. Quod maxime faciebat in iis, qui Hebraica a se discere vellent: quae ille tanto successu docuit, quanto apud nos ante ipsum, quod sciamus, nemo. Itaque quicunque in hoc genere aliquid apud nos possunt,

ii

(*) Legant futuri doctores Ringelbergium de Ratione studii, capp. de ratione docendi.

ii paene omnes ab ipso se fatentur didicisse. Quae si quis collegerit omnia, profecto intelligat necesse est, in eo viro nos praestantissimum & bene accurateque discendi, & recte promteque docendi exemplum habuisse.

Sed non minus magnum castissimae sanctitatis exemplum amisimus. Qui vero atque integro animo ad Theologiam, e sacris inprimis literis percipiendam, veniunt, neque studium suum ad gloriae vanitatem, aut ad quaestus humilitatem referunt, sed ad gloriam Dei, & suam generisque humani salutem, in iis efficacem se praestat disciplina sanctissima, nec finit esse vita dissimiles sui. Itaque hunc primum, &, ipsius verissima aestimatione, summum fructum e rerum sacrarum studio illo acerrimo ceperat, ut animus esset plenus Christi, in eo, & bonis per eum partis, ipsi essent omnia, ad ejus exemplum sanctissimum, animum, orationem, vitamque universam fingeret atque componeret. Pietas adversus Deum erat magna, & integra, sed sine pompa: neque in fronte, ac vultu, aut in ore residere veram pietatem existimabat, sed in animo & factis: quae in isto propatulo & animi velut atrio obversaretur pietas ac religio, & se ingereret assidue hominum oculis atque auribus, eam ad penetralia animi non venisse, quam solam dignam pietatis sedem esse. Deo pius esse volebat & religiosus, non populo, pessimo, tum omnium bonarum rerum, tum maxime pietatis, judici. Ab hujus pietatis integritate nata erat, & educata, & roborata illa invicta viri patientia & aequitas animi in tenuitate fortunarum, in laboribus, in malis denique omnibus. Nunquam eum quisquam audivit, non modo lamentari, sed ne queri quidem in malis suis & incommodis: nunquam vultus atque oris tranquillitas & hilaritas desiderata est. Induxerat animum, atque per omnem vitam adsuefecerat, quicquid obvenisset sine culpa sua incommodi, leniter ferre, & ad Deum referre auctorem, a quo pari moderatione laeta ac tristia accipienda decreverat. In Schola Thomana cum docebat, iis, qui se injuria affectos, sive vere, sive falso, quererentur, etiam cum puniret injuriae auctorem, tamen ingerebat: discite pati: magnum ad vitam futuram viaticum est patien-

tia.

tia. Cupiditatis veſtigium in eo ullum ſe animadvertiſſe nemo dixerit. Nullum rei augendae ſtudium erat: etiam in mediocritate fortunarum liberalitas ultra rei familiaris modum. Jam tum, cum ipſe vel aliena beneficentia ſuſtentabatur, vel in re admodum tenui erat, tamen ſex deinceps fratres, in hanc Academiam delatos, etiam re juvit: ſic demum ſe ſatis gratum exiſtimans adverſus fratris majoris, Jo. Georgii, beneficium (ita appellabat) qui ſibi vitae Academicae auctor fuiſſet. Nullis adverſus quemquam malis ſuſpicionibus indulgebat: ſaepius in bonam partem de hominibus ſentiendo deceptus, nunquam in malam: omnibus aequus, facilis, ad conſulendum, ad ignoſcendum paratus. Uni gravius iraſcebatur, quem impudenter mentitum repererat: mendacio tamen magis, quam homini. Etenim nihil mali non auſurum ajebat, qui impudenter mentiri ſuſtineret. Neminem eſſe confidimus, qui vel leviter ab eo ſe laeſum ulla in re, dicto aut facto, meminerit: nec ipſe ullius a quoquam injuriae meminerat: qui nihil obliviſcebatur, ſolas injurias, ſi quas acceperat, voluntaria & profunda oblivione delebat.

Hic tanti vir exempli natus eſt a. d. V. Kal. Mai. A. C. CIↃIↃCLXXXVI. in Villa nova Dioeceſeos Neoſtadienſis in Variſcis. Patrem habuit Joannem Davidem, A. M. avum Joannem, utrumque in ea villa ſacerdotem: matrem autem Eſtheram Suſannam, filiam Jo. Georgii Gutneri, A. M. qui ſacra fecerat Luſcaviae, quod eſt Dioeceſeos Colditienſis oppidulum. Avia materna fuit Suſanna Schüzia, ſacerdotis, in Dioeceſeos Neoſtadienſis agro, filia: paterna autem Regina: per quam ſe cognatum gaudebat eſſe Stemlero noſtro, viro magnifico. Nam ea patre uſa erat Davide Stemlero, Archidiacono, fratre autem Michaele, Praeſule Neoſtadienſi, noſtri avo. A quo vitam naturalem habuit, ab eodem prima melioris vitae initia, hoc eſt, & religionis & literarum elementa accepit, nec modo ſcientiam, ſed etiam ſenſum quendam earum rerum, qui ad verum & conſtans pietatis & doctrinae ſtudium valet plurimum. Sed mox pater ſenſit, non ſatis ſibi eſſe otii ad hoc ingenium explendum, quod & tantopere ſitiret rerum bonarum ſcientiam, & tam celeri-

ter arriperet, quae traderentur. Itaque filium misit primum in ludum Neostadii literarium, & disciplinam Davidis Wendleri, viri majoris, quam pro eo loco, doctrinae, post Salfeldam, denique Cizam: ubi tum literas in gymnasio publico, cum egregia fama, primo loco docebat Gotfridus Gleismannus. Inde tandem anno CIↃIↃCCVI. in ipso Suecici belli tumultu, transiit in hanc urbem: in qua providentia divina ei & paraverat, qui ad magna contendentem sua liberalitate sublevarent, & destinaverat theatrum, in quo ejus ingenium virtusque aliquando spectarentur. Hic primum philosophiae & literarum causa audivit Pfautium, Hardium, Lehmannum, Ludovicum, Abichtium, & G. Olearium; deinde Theologiae partes omnes ab utroque Oleario, patre & filio, Rechenbergio, Schmidio, Cypriano & Pfeiffero didicit. Quibus omnibus non modo assiduitate audiendi, sed etiam profectu per experimenta idonea cognito, nec minus vitae eximia honestate abunde satisfecit, carusque fuit in paucis. Posito sub talibus magistris doctrinarum earum, ad quas ingenium contulerat, tirocinio, ipse docere alios instituit, acceptis ab Ordine philosophorum Magisterii in philosophia honoribus, & legitimis doctrinae speciminibus editis, in his Disputatione erudita de *sertis convivalibus*, qua difficillima Ezechielis prophetae verba (VIII. 6.) explicarat: post ab eodem ordine inter Assessores suos receptus, aditu in eum locum facto per Diatribas duas, & scriptas erudite, & defensas egregie. Neque subtilem modo illam docendi rationem secutus est, sed etiam alteram, popularem, exercuit, concionibus in aede Paullina a meridie per dies sacros habendis. Inter haec, cum alia bene viro procederent, favente ejus pietati providentia divina, nihil tamen neque felicius ipsi contigit, neque ad commendationem ingenii, doctrinae, ac virtutis, efficacius, quam quod receptus est in domum Abr. Chr. Plazii, viri consularis, erudiendorum filiorum causa, & in ea constanter probatus. Erat enim vir ille ejusmodi, qui homines non modo a doctrina, sed etiam a pietate, & animi gravitate ac placabilitate spectaret. Itaque Hebenstreitius illius viri, & liberalitatis ejus erga se, totiusque temporis in ea domo

exacti,

exacti, libenter recordabatur: cujus eum etiam aſſidue admonebat creſcens virorum, quos tum diſcipulos habuit, fortuna & laus: qua fruebatur ut ſua. Et ſunt in ea domo jacta fundamenta reliquae fortunae. Nam viri iſtius ſuffragatione ab Senatu ampliſſimo ei primum conciones Sabbatis in aede D. Nicolai habendae mandatae ſunt, poſt Con-Rectoris in Schola Thomana munus eſt attributum, cui ab a. XXV. usque ad annum XXXI. ſumma fide & dexteritate praefuit. In ea Schola etſi abunde erat, quod ageret, cum quinae indies horae lectionibus ſcholaſticis eximerentur: tamen levis labor, pro viri ingenio, doctrina, alacritate, denique cupiditate juventutis ſtudiis inſerviendi, erat: adjungebatque horas alias, quibus Academicos orientali maxime literatura erudiret. Cujus rei fructum a. XXXI. cepit hunc, ut inprimis dignus cenſeretur, qui celeberrimo illi Carpzovio, ad Lubecenſes evocato, in Profeſſione Hebraicarum literarum ſufficeretur. Secuti ſunt ſtatim gradus honorum Theologicorum, & decem annis poſt Profeſſio Theologiae Extraordinaria, poſt ſex alios, anno aetatis ſexageſimo, ordinaria ultima. Ab hoc fortuna, veluti poeniteret, tantae doctrinae, tantique laboris virum tam ſero reſpexiſſe, tamque tenuiter habuiſſe, artioribus intervallis coepit ei praemia meritorum tribuere, ſive potius oſtendere: adeo brevi tempore frui licuit. Nam a. XLIX. ad tertiam cathedram & Canonicatum Cizenſem, a. LIII. ad ſecundam cum Canonicatu Miſnenſi, anno autem ſuperiori ad primam pervenit. Sed aliorum copias aequabat, atque adeo ſuperabat animi magnitudine, & laetiſſima αὐταρκείᾳ, facilius admiratores quam imitatores habitura. Enimvero quantum a ceteris ſuperabatur fortunae copiis, tantum ipſe ſuperabat omnes docendi accurata & promta aſſiduitate, de qua ſupra memoravimus. Et docebat, veluti abundaret ipſe divitiis, exigua mercede, ut paupertatem tenuiorum, quales fere ſunt, qui ſe ad literarum ſacrarum ſtudium adjungunt, non deterreret, ſed alliceret: magnam mercedem ponens in ſuavitate, quam in docendo caperet, & ſpe utilitatis, quam & iis, qui a ſe diſcerent, & Eccleſiae allaturus eſſet, ſi quam plurimos poſſet, & ad ſacrarum literarum intelligentiam,

& ad veram pietatem, tum literis ſacris interpretandis, tum ſuo ſenſu inſpirando adducere. Ad concionandi etiam conſuetudinem, omiſſam a ſuſcepto Scholae Thomanae Con-Rectoratu, rediit, accepta Profeſſione Academica, & Theologiae honoribus, probatusque eſt omnibus, qui ſenſus magis quam vocem ſpectarent, animoque potius, quam auribus conſuli vellent: ſimilis in hoc quoque magno Salomoni Glasſio (*), cui ſimillimus doctrina fuit. Atque etiam utroque genere docendi exercebat, magiſtros artium juniores, Praeſes Collegii Philobiblici, quod a multis annis inſtitutum durat, & Senior alterius, quod concionando diebus Lunae privatim exercetur in aede Paullina. Magiſtratum Academicum bis geſſit, magna fide & dignitate: Decanus autem Theologorum Ordini quater praefuit: denique etiam ab Deylingii morte Miſnicae nationis res, Senioris nomine, adminiſtravit. In vita tam occupata, tamen plurima ſcripſit, quae vel pro cathedra diſceptaret cum doctis viris, vel ſolemnibus orationibus, cum ſuis, tum alienis, proluderent: quae fere ad interpretandas vel vindicandas literas ſacras pertinent. In his juſti voluminis opus explent, & Commentarii eruditiſſimi locum obtinent diſputationes, ab anno XXXI. ad XLVI. editae, quibus totum Malachiam explicavit, adjunctis Kimchii, Jarchii, & Abenesrae ſcholiis. Etſi autem ita ſe & ſtudiis literarum, & utilitatibus aliorum addixerat, ut nulli alii rei vacare poſſe videretur: tamen etiam ad conjugium adjunxit animum, ducta a. XXX. a. d. XV. Aug. virgine ornatiſſima, Chriſtiana Dorothea, Frid. Guilielmi Schüzii, S. Theol. Doctoris, & ad aedem

(*) Seckendorf. Hiſt. Luther. p. 313. *D. Sal. Glaſſius, quo quatuordecim annorum adoleſcens, cum in Gymnaſio Gothano literis operam darem, duobus prope annis patre ſpirituali uſus ſum, Theologus conſummatiſſimus. Eum ſane jam tum pro captu aetatis meae venerabar, & cum concionantem pauciſſimi ob exilitatem vocis vel intelligere, vel attentionem ipſi praeſtare vellent, ego quidem ſermones ejus calamo excepi, & doctrinam viri accuratiſſimam, & in exegeſi ſacra plane admirabilem, in ſumma habui admiratione.*

aedem D. Thomae Paftoris, filia maxima, gravi nunc ex obitu mariti vulnere percuffa. Ex ea fufcepit duas filias, quarum minor, Rahel Sophia, ante hos novem annos obiit: majorem, Chriftianam Fridericam, ornatiffimam feminam, fuperiori anno feliciter collocavit Jo. Adolpho Scharfio, A. M. S. Theol. Baccalaureo & in aede nova Diacono, viro diferto atque erudito. Ex ea nuper nepotem vidit, Joannem Fridericum: idque ultimum gaudiorum humanorum habuit. Et jam tum vifebantur in corpore ejus, quae periculum oftenderent: fed id longius differebamus amore viri & votis, quam Deo placuit, volenti virum ex tam laboriofa vita, quae nunc etiam patriae malis affligeretur, ad laetitiam immortalem ocius traducere per placidam mortem. De qua, & ejus praefignificationibus, neminem melius, quam fratrem, idem decus Medicorum Ordini praeftantem, quod ipfe Theologorum Ordini praeftitit, audiemus.

Actionibus, ait, noftris, quas quilibet vel domi, vel foris, exercet, deftruimur, & praeftantiffima vita, etiamfi ab offenfis vacua eft, via tamen ad mortem dici poteft continua, donec ex lapfu virium fpontaneo, facultates noftras imminuantur, tandemque concidant. Ifthoc lento veluti virtutis corporeae decremento tandem fuccubuit Nofter. Erat enim illi robur excellens, & fingularis animi & corporis praeftantia, ut nifi cum jam proximus effet ad fuas ruinas, fe decrefcere atque exinaniri, fentiret. Nuncius tamen illi miffus eft, quo fe vacillare intelligeret. Sexagefimo enim anno major, cum Magiftratum Academicum, calamitatibus publicis & tumultibus exafperatum, anno MDCCXLV. geffiffet, intumuerunt illi fummi pedes, & febre intermittente laboravit, qua oedema difcuffum fuit, fubinde tamen revertens, fenfimque ad furas auctum, intra quarum limites conftitit, nec porro per plures annos adauctum fuit, ut fpes effet, majores afflictiones hac afflictione redemtum iri. Par quoque fiduciae eventus fuit; namque, fi ab ifthoc pedum morbo recedas, cetera vixit hilariter, utpote qui exquifitiffimo regimine, & animi inprimis tranquillitate labantem fanitatem fuftineret, una in re forte reprehendendus, quod animi vires,

con-

continuis laboribus, quos officiorum gravitas & ſtudiorum & lectionum frequentia non poterant non ſecum afferre, ſubinde hauriret. Cum enim loquelae organon, quod illi per naturam ſemper debile fuit, a luce prima ad veſperam, ultra quam leges ſanitatis paterentur, continuis lectionibus diu multumque exercuiſſet, tuſſiculam expertus fuit, qua tamen ſpiritus non interciperetur. Ab illo obtinere haud potuerunt vel amici vel medici, ut ſibi aliquantulum indulgeret. Habebat enim penes ſe conſtitutum, veluti ſaepe profeſſus eſt, laboribus immori. Nunc tumores pedum augebantur, quod ſub exortu caniculae ſuperioris anni contigit. Jam ſentiebat, ſe deficere, & majore crurum moleſtia affectus fuit. Acceſſit ergo ad medicos, quibus quidem ſemper magnum honorem habuit, iisdem autem uſus eſt parciſſime, paſſus tamen ſibi perſuaderi, eſſe aliquid in arte poſitum, quo poſſint humores, ad quietem properantes ſubigi vel excitari. Praeſtitit illi laudabilem operam vir experientiſſimus D. Sandelius, gentis nobiliſſimae Schüzianae caput & ſtator eximius, cujus in ſe voluntatem, cum tota gens, tum ſtirps Telleria experta frequenter fuit. Acceſſerunt fratris conſilia, arti ſuae male cupientis, quod fratrem ſervare illa non potuit. Effectum tamen communibus conſiliis fuit, ut pedes, poſtquam humor ſumma cute effuſus eſſet, detumeſcerent, & eryſipelas, quod acceſſerat, diſpareret, unde nova convaleſcentiae affulſit ſpes, heu nimium fallax! Namque ad ſuperiores artus tumor converſus eſt, & ſummas manus implevit, viribus adhuc ſufficientibus, quo poſſet ſex continuis per diem horis docere diſcipulos, quos ut dimitteret, hujus demum menſis die tertio, frater aegre obtinuit. Jam ſcilicet aderat ſummus dies. Totius enim morbi vis ad pectus converſa proximo die fuit, quo, verſus veſperam, horror totum corpus vehementer concuſſit, ſubſequente aeſtu, virium celeri dejectione, & raucedine. Poſtquam igitur alterum diem inter languores conſumſiſſet, fruitusque eſſet voluptate, filiam unicam, puerperio hactenus detentam, compellandi, hac ſola re afflictus, quod cariſſimae uxoris, morbo chronico laborantis, ſodalitio privaretur, cetera nihil vel doloris, vel gravioris mali, quam, quod ex debi-

debilitate esset, sentiens, somno oppressus fuit tranquillo, uti videbatur, ita, ut expergefactus, subinde necessaria quoque postulare posset, cumque in latus seipsum convertisset, excubias agente D. Küchelbeckero, medico claro, cui curam noctis frater tradiderat, veluti Hippocrates dicit, latenter mortuus est.

Haec ille quanto cum dolore scripserit, immo quanto cum luctu viderit, senserit, facile est judicare. Sed nos ita fas est in societatem doloris venire, ut communem tam praeclari viri jacturam putare debemus. Illatum est, quicquid mortale habuit vir immortalis inter nos memoriae, aedi Paullinae. Sed memoria pietatis ejus, virtutumque omnium, exempli causa, celebrabitur in eadem aede, cras ab hora I. pomerid. a Collegis B. viri duobus disertissimis, Jo. Christiano Stemlero, viro venerando, concionaturo super Psalm. XVIII. 1. 2. & Jo. Frid. Bahrdtio, viro reverendo. Ad hos igitur audiendos, & exsequias viri, de Academia nostra tam praeclare meriti, honestandas, frequentes ut conveniant illustrissimi Comites, utriusque reip. Proceres, ceterique Cives generosissimi atque nobilissimi, etiam atque etiam rogamus. Vos inprimis, qui ab ore Doctoris excellentis pependistis, omninoque, quicunque sacrarum literarum studia aemulamini, frequentiam praestabitis: sed multo maximum, & B. viro dignissimum honorem memoriae ejus habebitis, si doctrinam, & pietatem in Deum, & virtutes universas imitando consequi summo studio curaque conabimini. P. P. Dom. IV. Adv. A. C. CIƆIƆCCLVI.

M E:

MEMORIA
JO. FLORENTIS RIVINI

J. U. D. ET PROFESSORIS ORDIN. CANONICI MARTISBURGENSIS DECANI CANONICOR. WURCENENSIUM FACULTATIS JURIDICAE IN ACADEMIA LIPSIENSI ASSESSORIS.

Felix Academiae noſtrae atque Civitati, & cum omnibus literarum diſciplinis, tum maxime Juris ſcientiae, per totum ſeculum amplius, fuit gens Rivina: nec minus illae felices huic, & gratae adverſus ejus de ſe merita. Nam Andreas Rivinus, qui primus genti ſuae & nomen hoc novum fecit, & nomini famam atque celebritatem peperit, Poëſeos pariter atque Phyſiologiae Profeſſor, non modo de utraque Profeſſione bene meruit, ſed etiam unus tum, in hac Academia, humaniorum literarum & Philologiae laudem ac famam habuit: unus dignus, qui cum Reineſiis, Barthiis, Daumiisque compararetur, quae tum erant Saxoniae in eo genere ornamenta primaria. Sed ei, ambiguum eſt, utrum plus debuerit Civitas noſtra, ipſius & ceterorum meritorum ejus cauſa, an quod tres filios reliquit, omnes Profeſſoriae eruditio-

nis

nis viros. Nam natu maximus inter primarios hujus urbis JCtos jure numerabatur: alter princeps Medici ordinis summo merito ponebatur: tertius literas Hebraicas professus publice, idemque sacerdos in aede Thomana, nisi mature decessisset, haud dubie ad summum inter Theologos nostros locum pervenisset. Ita in una domo, atque una stirpe, si patrem numeres, universitas quaedam literarum atque doctrinarum, rara felicitate, fuit. In quo intelligi potuit, quanta vis esset disciplinae domesticae, etiam maternae, si ea non ad vanitatem ac mollitudinem muliebrem remitteretur, sed ad sapientiae virilis & Christianae severitatem acueretur. Nam pater decesserat, cum natu maximus filiorum vix quinquennis esset: sed matrem iis reliquerat Oleariam, Halensem, e praeclara disciplina: quam illa optimam marito dotem, liberis lautissimum ac felicissimum patrimonium e paterna domo Lipsiam deportarat. Haec cum filios contineret, illa ipsa Oleariae domus disciplina, tot felicibus exemplis cognita & spectata, ita eos conformatos reipublicae dedit, ut matri prope plus, quam patri deberet. Neque aliam comminisci convenit caussam, quare in ea Domo tam diu, & per omnes gradus una continuatione, manserint virtutis & doctrinae amor, immo virtus & doctrina ipsa, quam quod illa disciplina, bene olim constituta, summa cura semper conservata, novis subinde institutis sancita, & veluti salubribus alimentis aucta fuit.

Non enim profecto coeca quadam hoc fieri putandum est fortuna, quam & ratio, & multo magis Christiana sapientia plane repudiat, quod videmus, Domos quasdam diutissime retinere magnam in aliquo genere gloriam, atque aliquam inde natam felicitatem. Beneficium divinum est, in rem publicam prope majus, quam in privatam cujusquam domum, cum in familia aliqua nascitur ingenium praeclarum & singulare, cui divinitus hoc sit datum, ut prope sua sponte, & divina magis ope quadam, quam domesticae disciplinae adminiculis sublevatum, ad magnam aliquo in genere laudem provehatur. Sed illud bonum propagari ad posteros, sine alicujus disciplinae sapientis adjumento, vix potest. Simillima enim, ut in aliis rebus, sic in

hac,

hac, civitatum & familiarum eſt ratio. Fuerunt civitates omni memoria, quibus, clarum eſt, ſingularem aliquam ad amplitudinem & gloriam felicitatem divinitus fuiſſe adjunctam, ut, ne minores commemoremus multas, Athenienſis, ut Spartana, ut inprimis Romana; ipſo Deo illam amplitudinem & gloriam moliente. Sed illud bonum in iis omnibus, ſi & rationi, & ſapientiſſimis illarum ipſarum civitatum viris credimus, diſciplinae cujusdam, a prudentiſſimis viris conſtitutae, veluti vinculis adſtrictum remanſit, quibus laxatis atque ſolutis, ſtatim fugam coepit capeſſere. In plantis hoc, & floribus maxime, fieri videmus, ut vel ex ipſis caulibus erumpat, vel ſeminibus aliquid naſcatur excellentius, & veluti *matre pulcrior filia*, unde novi etiam & inviſitati floris ſpecies interdum exiſtit, quae ſibi novum nomen facit. Quodſi felicior illa planta bene colitur, non modo ipſa ſervat bonitatem repentinam, ſed etiam quandam bonam per propagines & viviradices ſibi poſteritatem facit, & quaſi neptium neptes progenerat, quae in plures hortos, veluti colonias, eunt, & nomini nobilitatem ſuo adjungunt. Sed opus eſt magna hortulanorum diligentia, & accurata cultura: qua etiam augeri illa avita bona ſolent. Ut primum ceſſat alicubi cura, & velut hortenſis diſciplina labat, diminuitur in ſubole bonitas, & familia illa ad priſcam tenuitatem vilitatemque redigitur. Nec eſt alia hominum ratio, ut bene Ariſtoteles judicat, & omnis memoriae exempla plurima demonſtrant. Nam, ut ille ait, proventus quidam hominum eſt, ſicut eorum, quae e terra naſcuntur. Quodſi haec, in quibus neceſſitate quadam fiunt omnia, tamen ſervare & propagare naturae bona non poſſunt, ſine periti & diligentis hominis arte & cura: quomodo in hominibus, in quibus tam multis corruptelis locum facit voluntatis licentia, conſervari aequabiliter & conſtanter poſſunt, ſine tali, & multo illa quidem majori diligentia, & multis variisque ſapientis diſciplinae inſtitutis?

Qua in re convenit vel admirari, vel dolere errorem vulgi, & conditionem aetatis tenerae. Etenim cum nemo audeat repente horti culturam ſuſcipere, aut pecorum curam, inprimisque equorum domandorum, ca-

canumve ad venationis ſolertiam acuendorum diſciplinam, nullis praeceptis, nullo uſu, aut exercitatione, neque velit quisquam homini, ab arte & uſu imparato, earum rerum curam & quaſi diſciplinam committere: utrumque ab utroque ſexu magna cum confidentia videmus fieri in homine; in quo, dici vix poteſt, quanto plus artis ac difficultatis ea res habeat. Nam in illis vel plantis, vel brutis, quia praeter corpus nihil habent, quod ad colentis curam pertineat, una, & ſimplex, & brevis eſt cujusque generis ratio, quae nulla ingeniorum naturarumque diverſitate varietur: in hominibus autem, quamvis tenerae aetatis, ingeniorum animorumque tanta prope varietas eſt, quanta vocum, vultuum ac formarum, tot in animis ipſis latebrae, quot venarum per totum corpus propagatarum fibrae. Tum nihil tam inconſtans, atque incertum, & varium eſt, quam voluntas, quae nulla corporea vi bene regi, & ad officium conſtanter retinendum adduci poteſt: unde, incredibile eſt, quam multiplex diſciplinae ratio naſcatur. Quanto ſapientius veteres illi Graeci atque Latini fecere, cum disciplinam etiam privatam, hoc eſt, educandorum liberorum rationem, publicarum legum inſtitutorumque auctoritate, a ſapientibus viris conſtituta, rexere, ne erraret atque vagaretur, aut eſſet incerta & multiplex, ſed una eademque, per quam boni, & honeſti, & praeclari ſenſus imprimerentur animis omnium, eſſetque totius populi, ut una lingua, ſic unus ſenſus, unus animus, denique exercitationibus aptis adſuefierent ad officii & amorem & conſervationem. (*) Atque etiam magni ſaepe viri fuerunt, qui communi diſciplinae ſapienter atque utiliter adjicerent, quae propria eſſent ingeniis, vel natura magnis, vel ad illuſtrioris vitae cultum erudiendis ac provehendis: eaque poſteris, velut per manus tradita, & in boni patrimonii loco ſervata & uſurpata, certa genera virtutum atque artium fecerunt familiis quibusdam propria & perpetua, ut fortitudinem militarem Scipionibus, Metellis, Marcel-

(*) Vid. Proluſ. noſtra, *de privata vet. Romanor. diſciplina.*

cellis, jurisprudentiam Muciis, Craſſis. In quibus etiam valuit paternarum artium, morum, vitaeque totius imitatio. (*) Incredibile dictu eſt, quantam vim habeat ad animos pueriles bene fingendos, & ad aliquod genus artium virtutumque communium aſſumendum, aſſuetudo videndi a teneris & audiendi, quae ad id pertinent: praeſertim ſi adjungatur perſuaſio haec, ut ea bona, pulcra, glorioſa, utilia eſſe credant. Nec aliam crediderim ob cauſam aut lege cautum fuiſſe apud Aegyptios, ut eam quisque artem & vitae genus ſequeretur, in quo natus eſſet, aut noſtris quoque moribus, citius artis atque opificii cujusque tirocinia ponant ii, qui domeſticum opificium diſcunt, quam qui alienum, quam quod facilius, & celerius, & melius diſcuntur, quae ab aetate prima vidimus atque audivimus. Cicero quidem Lentulo puero nullam meliorem diſciplinam poſſe contingere judicabat, quam ſi maxime parentis imitatione erudiretur. **

Atque hanc domeſticae imitationis diſciplinam maxime & placuiſſe genti Rivinae, & profuiſſe, non levi conjectura moti, ſed idoneis argumentis inducti credimus. Andreas Rivinus, cum ad medicam doctrinam ſe contuliſſet, ſed ita, ut cum ea, multorum magnorum virorum exemplo, humaniorum literarum ſtudium conjungeret, plurimum ſtudii tribuebat poëtis Chriſtianis veteribus, quos etiam lectionibus publicis interpretabatur, itemque ceteris Patrum Eccleſiae Latinae libris, ut qui etiam Tertulliani, aliorumque carmina, & libellos alios edidit: ſive ſuam ipſius pietatem, ſive etiam vetus inſtitutum Petri Moſellani, & Caſparis Borneri, magnorum virorum, ſecutus, qui propriam quandam poëtarum Chriſtianorum interpretandorum, Prudentii maxime, diſciplinam inſtituerant †: omninoque rerum ſacrarum ſtudio-

* Cic. Off. I. 32.

** Ep. ad Diverſ. I 7.

† Georg. Fabric. praef. poët. Chriſt. p. 8. *Noveram e poëtis Chriſtianis, excepto Prudentio, neminem. Neque eum magni feciſſem, niſi Lipſiae audiviſſem Caſp. Bornerum, hymnos ejus interpretantem eruditiſſime: quam lectionem, a viro clariſſimo Petr. Moſellano ſibi quaſi per manus traditam, fideli poſ-ſeſſione*

ſtudioſiſſimus & religionis amantiſſimus erat. * Mortuus dudum erat Andreas, cum filii ita adoleviſſent, ut de ſtudiorum ratione deliberandum eſſet. Sed, ut nihil dicamus de Tilemanno, qui materni generis gloriam ſecutus, totum ſe ad ſacras literas dedit, fratres ambo, Q. Septimus, & Quirinus, rerum ſacrarum ſtudium ſemper, ille cum jurisprudentia, hic cum medicina conjunxere, ſcriptis etiam editis, quae ad eam partem doctrinae pertinerent. Quintus autem omnibus pietatis caſtae & officii memorem animum probavit, ut non eruditi magis ac prudentis JCti, quam religioſi, & ſancti, & boni viri laudem nomenque ad extremum uſque obtineret; ut qui etiam a vita diſceſſum habuit eum, qualem in Theologo veterano laudaremus, hoc eſt, non modo ſine timore ac tergiverſatione, ſed etiam cum laetitia, identidem ingeminans illud Simonis: *Ita ſervo tuo, Domine, das cum laetitia de vita diſcedere.* Ab hoc natu maximus, Florens, de quo nobis dicendum eſt, non modo juris amorem ac felix ſtudium, ut de ceteris plerique filiis, ſed etiam acrem illum ſenſum pietatis adverſus Deum, quem ipſe a matre hauſerat, illum Chriſtianae religionis integerrimum amorem, velut pulcerrimam hereditatem accepit, & in ſuos viciſſim liberos transfudit: fuitque domus Rivina ſemper inſignis ſtudio rerum divinarum, inprimisque religioſa exiſtimata. Haec ſacerdotibus ſemper maxime patuit: hic nulli ſermones libentius auditi,

ſeſſione ad uſum publicum multos annos retinuit. A *C. Bornero* quosdam poëtas Chriſtianos ad vetera exempla collatos tradit in Comment. p. 106. nominatim *Prudentii*, p. 17. *Prudentii codicem manuſcriptum e bibliotheca Numburgana habuit vir eruditione & diligentia praeſtans, Caſp. Bornerus, quem ante annos octo & viginti, cum in ludo Lipſienſi Thomano ejus collega eſſem, mibi conferendum dedit.*

* Programma in funus Andr. Rivini a. 1656. p. 8. *Tota ipſius vita quotidianis pietatis exercitiis, inprimis rerum ſacrarum meditationibus fuit deſtinata, prout meditationibus, quas reliquit, piis LIX. ſtilo partim Latino, partim Germanico confectis, nec non ſeptem Chriſti verbis ſeptem petitionibus orationis Dominicae applicatis, teſtatum fecit.*

auditi, quam de rebus divinis: haec cantibus ſacris ſaepiſſime & precantium vocibus reſonuit: haec creberrimas pietatis & religionis exercitationes habuit. Atque ut ipſe paterna diſciplina, praeceptis, conſiliis, exemplo conformatus erat ad eximiam jurisprudentiam, quae feliciter ſe in cauſis agendis, in docendo ſcribendoque, in conſulendo, deque jure reſpondendo proferret: ſic ipſe filium pariter ſua diſciplina in eodem genere effecit talem, qualem videmus, qualem ſpectaverunt laudantque a multis annis vel judicia, vel collegia, in quibus aut cauſas egit, aut de jure reſpondit. Sed ipſam viri excellentis vitam omnem, quomodo natus, educatus, inſtitutusque ſit, quid honorum geſſerit, qualem ſe in omni vitae genere ac parte praebuerit, videamus.

Natus eſt in hac urbe, ſuperioris ſeculi primo & octogeſimo anno, a. d. V. Kal. Aug. patre Q. Septimo Florente, JCto, honoratiſſimae imaginis viro: nam & Dreſenae in regio Provocationum Collegio Conſiliarius, & in hac urbe Curiae ſupremae Aſſeſſor, Scabinus, & Conſularis fuit: matre Maria Catharina, Nicolai Creuſelii, ſupr. Curiae & Facultat. Jur. Aſſeſſoris, Academiaeque Syndici, & Chriſtinae Nosviciae conjugio edita. Avum paternum habuit eum, quem ſupra memoravimus, Andream, Medicae artis Doctorem, ejusdemque ac Poëſeos Profeſſorem clariſſimum, aviam Catharinam Eliſabetham Oleariam, Tilemanni, ſacerdotis Halenſis, filiam, Gotfridi Olearii, ſacrorum ibi Antiſtitis clariſſimi, & Tilemanni Heshuſii, Theologi, neptem. Sed Andreas ille patrem habuerat Andream Bachmannum, Senatorem Halenſem, virum etiam honeſtis militiae ſtipendiis nobilem, matrem autem Dorotheam Krebſiam. Matrem amiſit annos natus duodecim: ſed matris affectum & curam reddidit Joanna Sophia Birnbaumia, Jo. Abrahami, Procancellarii Dreſenae regii & Praepoſiti Eccleſiae Wurcenenſis filia. Patre diutius frui contigit, ad annum uſque hujus ſeculi tertium decimum: viditque laetus venire in domum ejus honores tum alios, tum ad extremum Conſulatum: quos ille non ad ſuperbiam inanem trahebat, ſed ad aemulandi ſtudium. Tirociniis literarum puerilium poſitis, doctores artium Academicos

audire

audire coepit, annos quindecim natus: primum, in hac urbe, Pritium maxime, & Hardium: poſt Vitembergae Planerum, Jo. Guilielmum Bergerum, itemque JCtos, Strauſſium, Heberum, Hornium & Jo. Henr. Beyerum. Unde reverſus Lipſiam, a Ludero Menkenio & Fr. Frankenſtenio profecit. Ita decurſo Academico curriculo, iter per Halas Saxonicas ſuſcepit in Batavos, inſtructus illic a Strykio non modo conſiliorum ſaluberrimorum veluti viatico, ſed etiam literis, quibus clariſſimis inter Batavos JCtis commendaretur. Ex ea peregrinatione non modo Doctoris honores, Ultrajecti, anno hujus ſeculi primo acceptos, ſed etiam Lucae Pollani, Jo. Molani, & Cornelii Eccii, JCtorum clariſſimorum, aliorumque benivolentiam deportavit.

Ut primum in patriam rediit, ad uſum communem conferre inſtituit partam doctrinae copiam, cauſis in foro agendis, ſcholisque de jure habendis. In utroque genere ita probata eſt viri ſcientia, dexteritas, aſſiduitas, fidesque, ut omnia conſequeretur deinceps, quae iis rebus tribui poſſent. Nam & in Curia & in Conſiſtorio cauſarum agendarum jus datum eſt, poſt inter Juris Profeſſores locus is, cui publica tituli de Verb. Significatione & Regulis juris interpretatio attributa eſt: a quo gradu deinceps ad ſecundum usque pervenit, qui Codicis interpretationem habet. Nihil eſt neque honorum, neque munerum, in Academia noſtra, atque in JCtorum Collegio, quod illi non vel contigerit, vel ſaepe impoſitum fuerit: in his Canonicatus primum Numburgenſis, mox Martisburgenſis Eccleſiae. Sed utrumque praeceſſerat Wurcenenſis, prid. Kal. Jul. A. CIϽIϽCCIV. initus. Neque ulla eſt Profeſſorii muneris pars, cui ille non egregie ſatisfecerit. Nam & docebat perſpicue fideliterque, & exercebat aſſidue juvenes ad diſputandi cauſarumque agendarum facultatem, & rei Academiae publicae quacunque ratione prodeſſe cupiebat. Neque vero hujus Urbis & Academiae finibus continebatur fama viri, ejusque & in conſulendo prudentiae, & in rebus agendis dexteritatis. Itaque etiam Principes ejus conſilio & opera in eo genere ſaepe uſi ſunt, in his Chriſtianus & Jo. Adolphus, Saxoniae Duces e Domo Leucopetraea,

traea, a quibus etiam Consiliarii Aulici ornamenta habuit, & Aug. Ludovicus Princeps Anhaltinus, e Cothenensi Domo: consulebaturque saepe a multis magnis viris, etiam universis ordinibus, in causis gravioribus, publicis privatisque.

In tam negotiosa & occupata vitae ratione, tamen & permulta scripsit, per occasiones Academicas, quibus juris civilis, inprimis controversi, capita & quaestiones difficiliores explicarentur; & efficaci atque in labore felicis celeritatis viro reliquum erat aliquantum temporis, quod exercitationibus pietatis domesticae tribueretur: eamque temporis partem omnium optime collocatam existimabat. Sed iis maxime consumebat dies publicis religionis exercitationibus sacros, totus vacans Deo cum suis, scribens etiam, quae plenum rerum divinarum cogitatione & pietatis vero sensu animum exprimerent. In quo ut imitandum & suis & aliis exemplum fuit, ita divina providentia eum felicis pietatis exemplum fecit. Nam profecto felicitate usus est ita rara, ut nemo dubitare possit, quin ea ipsi singulari quodam beneficio Dei, colentis, a quibus colitur, contigerit. Ne repetamus ea, quae ante commemoravimus de honoribus viri: valetudine usus est, ad secundum & septuagesimum usque aetatis annum, firma & constante, & cum reliqua vita, tum senecta multis raris bonis cumulata. In collegio Canonicorum Wurcenensium ad Decani usque gradum pervenit, eumque septendecim annos obtinuit, omninoque unum & quinquaginta annos in eo Collegio sedit. Annum Doctoratus quinquagesimum, quatuor ante vitae finem annis, superavit: gratulante ei publice hujus felicitatis laetitiam Academia Trajectina, per Jac. Gisbertum Woerdmannum, Rectorem, memoriam autem numo, vultum viri exprimente, posteritati commendante Vestnero, Noribergensi artifice. Quibus rebus ille mirifice laetabatur, non vanitate quadam, sed grati adversus beneficia divina animi causa. Nec alio consilio, quinto ante mortem anno, in Vitembergensi Academia praesens ipse quinquagesimum acceptae ibi civitatis annum celebravit, suumque nomen iterum referri in Album Academiae voluit. Heres bis scriptus est ab iis, qui ejus opera bona & fideli in contro-

troverſiis forenſibus uſi fuiſſent; legata autem, ſimili de cauſa, ſaepius cepit. Quae ille non magnitudine, ſed animo teſtatorum aeſtimabat, gaudens non lucro, quo ipſi opus non erat, ſed fidei & rerum bene geſtarum fructu. Sed nullum aliud felicitatis genus ei laetius accidit, quam quod per filium natu maximum ad eum pervenit: quem ut virtutum ſuarum omnium imitatorem amavit, ita aſſiduam laetandi materiam habuit. Nam primum in Diſputatione, per quam aditum ſibi in Collegium JCtorum muniret, comitem duxit: poſt in Advocatione utraque, Curiae & Conſiſtorii, ſucceſſorem habuit, in Canonicorum Collegio Wurcenenſium Collegam, ab ſe inauguratum, itemque in Ordine JCtorum Academiae noſtrae: denique matrimonio ornatiſſimae matronae beatum vidit, ex ea filiola auctum, per eandemque nactum privignam, quae ipſum atque ſe patris avique naturalis loco amaret. Quae res ei tanto laetior fuit, quanto magis ipſe felicis & fecundi matrimonii ſuavitatem cognoverat.

Nam bis matrimonium iniit. Primum a. CIƆIƆCCIV. prid. Kal. Octobres, cum Clara Eliſabetha, Tilemanni Andreae Rivini, patrui, de quo ſupra memoravimus, filia virgine: quacum quinque & triginta annos conjunctiſſime vixit. Nam in ea & ſingularis pietas in Deum erat, & ceterae Chriſtiana femina & matre familias dignae virtutes. Ea ipſum undecim liberorum parentem fecit: e quibus ſuperſtites reliquit Auguſtum Florentem, J. V. D. Canonicum Wurcenenſem, Fac. Juridicae Aſſeſſorem, & in Curia atque Conſiſtorio cauſarum patronum, qui ante paucos annos in matrimonium duxit Joannam Chriſtianam, Triptonis filiam, Suabii, mercatoris noſtratis, viduam, feminam ornatiſſimam; ex qua ſuſcepit Ludovicam Florentinam; Samuelem porro Florentem, A. M. Florentinam Sophiam, & Claram Sophiam, virgines ornatiſſimas; in quarum pietate & obſequio viduitas & ſenectus patris acquievit. Ceteram prolem praematura mors abſtulit. Ipſam tantae ſubolis matrem acerbo fato amiſit, prid. Kal. Jul. A. CIƆIƆCCXXXIX. inter prandium apoplexia ſubita ad coeleſtia gaudia translatam, maximo cum ſuo ſuorumque luctu. Biennio in vidui-

tate exacto, h. e. anno XLI. ipso natali suo, duxit Christianam Margaretham Greniam, Joannis Andreae Gleichii, Consiliarii in Consistorio Dresenae Regio, & Concionatoris Aulici viduam, sancti exempli matronam: quam & ipsam anno post, a. d. IV. Kal. Octobres, amisit.

Ita vita viri, quamquam praecipuae felicitatis, tamen non caruit acerbitatibus, per quas patientia ejus, fiducia in Deo, & constantia exerceretur. Sed maxime vis earum erupit in extremam vitae partem, quae facillime eam sustineret, animo per tot annos assidua rerum divinarum meditatione adversus humana mala obfirmato & roborato. Nam anno CIƆIƆCCLIII. a. d. IX. Jan. cum nulla morbi gravioris signa extitissent, derepente, dum stans Commentarios forenses legit, caligine oculis offusa, praeceps in terram actus est, ut crus dextrum graviter afflictum claudicaret: (nam livore totum suffusum erat, ut sanguinem ex vasis ruptis sub cute confluxisse, in promtu esset) dubiumque videretur, utrum ex contusione, an ex nervis sideratis debilitatum crus esset. Sed nervis quoque vim factam arguebat & lingua balbutiens, quae sola Domino negabat obsequium, reliquis sensibus promte sua obeuntibus munia, & ejusdem cruris, discusso Medica & Chirurgica ope livore, residua debilitas. Ceterum in illa senectute adhuc aliquid erat viriditatis a corporis naturali robore, quod etiam animi quadam firmitate sustentabatur. Itaque tum non modo evasit, sed eo usque convaluit, ut publicis & domesticis officiis sufficerent animi corporisque vires. Namque cum hiemem anni sequentis inter cruris afflicti dolores, interque symptomatum, quae a nervorum lusu spastico eveniunt, vicissitudines transegisset, verno aestivoque anni CIƆIƆCCLIV. tempore, si cruris imbecillitatem exceperis, ad se adeo reversus est, ut, ne quid mali ex plethora redundaret, timens medicus sanguinem, venae sectione diminutum, motu subigere juberet. Igitur inter labores consuetos vixit, primum consulendo, scribendo, docendo, ad extremum etiam conventus statos Collegii Juridici obeundo. Illo ipso, quo vivere desiit, die, scholam publicam habuerat, atque ita, quae non parva felicitas est, prope agendo mor-

mortuus eſt. Quamvis enim ſiderati cruris memoria non poterat non aliquem timorem gravioris & repentini mali injicere peritiſſimo artis medicae viro, & ſagaciſſimo naturae indagatori, Hebenſtreitio, a quo etiam in ſocietatem cuſtodiendae valetudinis, ſpeculandique hoſtis, adſcita erat Ludovici noſtri vigilantia & cauta ſcientia: tamen a. d. III. Kal. Jan. qui dies ei ultimus vitae fuit, nihil periculi adverterat aut ſuſpicatus erat medicus, qui illa ipſa die circa veſperam ad eum viſendum venerat. Enimvero poſt parcam coenulam, cum lectulum petiiſſet, derepente ſenſuum ſtupore tanto oppreſſus eſt, ut periculum grave oſtenderetur. Advocantur medici: aeger balbutit, negatque ſe male affectum: inter verba obdormiſcit: etiam cum vigilat, praeſentes vix agnoſcit: mox ſentire, moveri deſinit. Coma adeſſe intellectum eſt. Cordis motus vegetus & calor incenſus ſanguinem ducere imperabant. Adhibetur quicquid ars habet ſoporatis excitandis. Nihil proficitur. Manum movet interdum, vel articulum aliquem: alte reſpirat: arteriae ictus intenduntur & accelerantur. Quae febrem ex cerebro preſſo, ſive vaſe ibi derepente rupto, ſive materia morbi alia illuc celeriter translata, adeſſe indicabant, eamque majorem, quam quae vel viribus vitae, vel arte ſuperari poſſet. Itaque nocte, & diei ſequentis parte, inter ultimos ſpiritus, ſenſim deficientes, abſumta, inter pios ſuorum gemitus, inter medicorum curas, inter preces pias, exſpiravit, hora ſecunda pomeridiana, menſe ſupra quartum & ſeptuageſimum aetatis annum quinto. Vivit tamen meliori ſui parte in coelis, videns audiensque, quorum cupiditate diu flagraverat, vivetque in animis ſuorum, tot diſcipulorum atque Civitatis univerſae, maxime autem in filio, ipſius majorumque doctrinam, merita, virtutes non modo aemulante, ſed etiam feliciter aequante.

MEMORIA BENJAMIN GOTTLIEB BOSSECKII

J. U. D. ET IN COLLEGIO SCABINORUM REG. ELECTORALIUM LIPS. SENIORIS.

Totius Cyropaediae Xenophontiae haud ſcio an pulcerrima pars ſit, quae exitum Cyri habet. Ea ſi ex vero eſſet expreſſa, non exempli cauſa a philoſopho confiêta, fatendum eſſet, nullum bene moriendi exemplum (ſi bene mori dici poſſunt, qui a vera Dei cognitione ſunt alieni) in omni antiquitate, Graeca quidem & Latina, reperiri, quod cum eo comparari poſſe videretur. Sed ejus partis initium ducitur ab admonitu divino. Nam dormienti oblatam, ait, fuiſſe, ſpeciem humana auguſtiorem, quae ei diceret: συσκευάζου, ἤδη γὰρ πρὸς Θεὸν ἄπει. *Collige vaſa: nam mox tranſibis ad Deum.* In quo & tranquille mori cupienti prudenter praecipitur, & mors ipſa, non modo demtis terroribus, ſed etiam adjunctis moriendi invitamentis, exprimitur.

Etenim, quid habet mors terroris, quod non inſit in cogitatione amittendarum rerum, quas nobis vel naturae veritas, vel opinionis vanitas, conſuetudinisque aſſiduitas ac diuturnitas ad caritatem ſuavitatemve com-

commendavit, aut in timore ſortis, qua poſt mortem animus uſurus videatur? Excedendum eſt e corpore, per quod omnium pulcrarum ſuaviumque rerum ſenſum hauſimus, per quod accepimus aliorum bona, & communicavimus cum aliis noſtra. *Linquenda eſt tellus, & domus, & placens uxor*, & liberi dulces, & amici jucundi. Ad alios dominos incerta conditione tranſeunt multo labore parta bona, & cupide conquiſiti libri, & honores moleſta ambitione quaeſiti. Et hanc tot tantarumque rerum amiſſionem fingimus animo talem, qualis eſt in iis, qui vivi videntesque, hoſtili aut alia qua vi, rebus iisdem privantur, hoc eſt, magnum deſiderium illarum ipſarum rerum habituram, & ad animi dolorem ita acerbam, ut etiam eos commoveat, ad quos proprie non pertinet. Quid porro animo eſt futurum, ab corpore & bonis terrenis deſtituto? In quae vel bona vel mala venturus eſt? Et nos loquimur, ut in certa futurae alicujus vitae perſuaſione. Quid vero? ſi quis aut nullam ſine corpore vitam intelligat, aut incertarum opinionum inconſtantia jactetur? quod accidit omnibus, quos non divinae ſapientiae certa auctoritas confirmavit: an ſine animi angoribus mortis cogitationem poteſt ſuſcipere?

Sed Xenophon nihil horum eſſe ſinit in illa mortis denunciatione. Nec modo liberat eam ab omni moleſta cogitatione jacturae, atque incerta futuri opinione, ſed totam confert in tranſitum ad Deum, de quo dubitare non ſinat divinitus facta promiſſio. In quo etſi non idem ſentit, quod Chriſtiani, auctore Jeſu Chriſto, unico bene conſtanterque moriendi magiſtro; tamen idem propemodum dicendo, efficit, ut ab natura ipſa duci videamur in veſtigia jucundiſſimae veritatis, diſcamusque, felicitatem omnem vitae futurae eſſe in aditu ad Deum ponendam, ejusque ſpem certam e promiſſione divina pendere. Quae veſtigia verae ac divinae ſapientiae, & quaſi reliquiae, quamquam tenues, in illis tantis ſuperſtitionis & ignorantiae paganicae tenebris, non contemni videntur debere: non, quo nobis ſit iis valde opus ad intelligendum verum, ſed quod habere videntur quandam commendationem, vel ſapientiae divinae ipſius, vel eorum, per quos ea eſt ad nos perlata. Neque enim ullo modo poſſunt eſſe humani

mani inventa ingenii, quae ab hominibus literarum omnium expertibus, inter omnia alia, quam doctrinae ſtudia, natis educatisque, multo majora & perfectiora accepimus iis, quae ab ſummis ingeniis, incredibilique ſapientiae ſtudio praeditis, excogitata ac tradita habemus.

Enimvero ſi in morte corporis eſt tranſitus ad Deum, in ea profecto non tam extimeſcendus finis vitae, quam verae, hoc eſt, nunquam terminandae jucundiſſimaeque initium debet putari, quod etiam votis omnibus expetendum atque vocandum, & cum appropinquet, laeto animo capeſſendum videatur. Nam animus noſter vivit, cum veritatem cognoſcit, resque bonas appetit atque percipit. Unde fit, ut tum vivat maxime, cum veritatem puram ab omni erroris & ignorantiae labe, in rebusque optimis ac ſummis, cognoscit, & ſummum bonum amplectitur totis viribus, in ejusque perpetua poſſeſſione, atque inſatiabili fructu totus adquieſcit: quod ei contingit proprie tum, cum ex hujus vitae tenebris atque miſeria ad coeleſtem lucem ac beatitudinem, hoc eſt, ad Deum evolavit, cum ſe lux divina, h. e. ipſiſſima veritas, naturae divinae adſpectu in ipſum transfundit, & quicquid Deus habet admirabile atque amabile, quod eſt totum infinitum, id fruendum ſumma cum ſuavitate conceditur. Atque ad hanc tantam lucem atque ſuavitatem quomodo non debet feſtinare animus humanus, praeſertim ſentiens ingerentem ſe undique hujus vitae moleſtiam: a qua cum liberari profecto cupiat, tamen liberari, niſi illo modo, non poteſt? Qui nunquam patrem viderit, ei cum tandem non modo ſpes fiat, ſed etiam facultas detur, ejus conveniendi, ſumma cupiditate ad ejus adſpectum properet, in ejusque amplexus ruat; qui autem Deum, unum verum patrem, tantum in imaginibus rerum adſpectabilium vidit, & per literarum ſacrarum figuras ſecum loquentem audivit, expaveſcat, & non potius veriſſime laetetur, cum adeſſe tempus illud intelligat, quo jam liceat *ora* ejus *tueri, veras que audire & reddere voces?*

Sed Chriſtianis etiam hominibus in hoc accidit fere id, quod illi apud Ciceronem, qui legendo Platonis Phaedone ita movebatur, ut argumentis aſſentiri coge-

cogeretur, cum ipſa lectione autem eorum vim perire ſentiebat. Itaque ſaepe, cum de ea re cum hominibus ſerio agas, eorumque ſenſus pertentes, veniat in mentem Eraſmi, qui mirabatur, tam multos eſſe ipſius ſimiles; qui, cum univerſam philoſophiam Chriſtianam & didicerint & profiterentur, tamen ſic expaveſcerent mortem, quaſi aut crederent, nihil hominis ſupereſſe ab exhalata anima, aut Chriſti promiſſis diffiderent, aut de ſe prorſus deſperarent: quorum iſtud eſt Epicureorum, illud incredulorum, hoc denique Dei miſericordiam, hoc eſt, Deum ipſum ignorantium. Sed nobis nihil jam negotii eſto, neque cum Epicureis, neque non credentibus Chriſto, ac deſperantibus ſalutem. Nam, in quibus nihil eſt horum malorum, qui non dubitant, quin mors ſibi aditum ad Deum patrem, & Dominum Jeſum Chriſtum factura ſit, ad coetum denique omnium beatarum animarum, in iis tamen fit, ut pavores maximi incutiantur a ſeria cogitatione mortis, praeſertim propinquae, oppidoque rari ſint, qui votis morti occurrant, &, cum vitae finis venerit, non modo conſtanter, ſed etiam cum gaudio & gratulatione diſcedant, quomodo Platonicus Socrates, & Cicero ſapientem volebant mori.

Ejus infirmitatis culpa etſi ſatis ſpecioſe confertur in naturam, quae nobis incredibilem vitae amorem ingeneraverit: tamen tota hominis propria eſt, nulloque modo cum natura, h. e. cum Deo, debet communicari. Etenim, ut nobis Deus vitam ita commendaverit, ut ejus mirifica dulcedine moveamur: tamen id totum factum eſſe ratio intelligit, non ipſius vitae cauſa, nec ut eam dimittere nolimus, ſed ut in ea honeſtis rationibus tuenda, nulli labori, quamvis moleſto, parcamus. Ex quo efficitur, ut, ſi ejus retinendae ratio nulla ſuperſit, vocetque ad mortem Deus, nulla ſit honeſta & naturae conſentanea tergiverſatio. Vera autem cauſa eſt in eo, quod nimis raro, & non niſi leviter, de vaſis colligendis cogitamus, etiamſi admoniti, vel ab ſapienter praecipientibus, vel ab ipſis mortis praecurſoribus, qui ſaepe per omnia corporis membra homini clara concentione ingerunt illud συσκευάζου, quod auguſtiorem ſpeciem Cyro per ſomnium dixiſſe, fingit Xenophon.

Plato

Plato disputare solebat, (v. c. Phaedon. p. 83. D.) dolorum & voluptatum sensum, per quem tanquam clavum animus humanus corpori esset adfixus, facere, ut homini sensibilia viderentur & clariora & veriora rebus inadspectabilibus, & sola mente contuendis, eumque esse fontem stultitiae & miseriae humanae. Nam ea opinione deceptum, averti a rerum divinarum & virtutis non modo intelligentia, sed etiam studio & amore, implerique admiratione & amore voluptatis, rerumque omnium, quae essent ejus ministrae, ut divitiarum honorumque; unde praecipitem ruere in omnia vitia. Verum nos etiam naturale illud malum augemus studiose & assidue, cum aliis multis rebus, tum negotiorum humanorum multitudine, quae etiam anquirimus, & cumulamus omni ratione, ac saepe supra vires, incitati vanitate nostra, & cupiditatibus vel gloriae, vel pecuniae, vel utriusque. Nam ea re animus humanus primum ita dispergitur per res sensibiles, & quasi dilaceratur, ut se non possit, cum opus est, colligere, & totum ad cogitandas res divinas ac coelestes convertere, aut iis satis immorari, immorandoque earum verum gustum capere: deinde vero alimenta nimis magna accipiunt cupiditates, & ita non modo ille Platonis clavus altius defigitur, sed etiam multi novi & prope majores adiguntur. Hi sunt illi Cupidines, qui, in gemma apud Maffaeum, magno nisu & contentis viribus papilionem, h. e. animum, cujus illum symbolum fecit antiquitas, amplexi, alas ejus, discerpere conantur: hic est Cupido ille Sponianus, qui papilionem, in arbore jam haerentem, insuper magno clavo adfigere parat. Enimvero, ubi animus tot per annos implicatus rebus humanis haesit, omnibusque vinculis adfixus tenetur, an mirum est, si nec sustinere vocem jubentis de colligendis vasis cogitare, nec cogitationem talem, ne si velit quidem, serio suscipere potest? Non profecto facile aut repente revelli tot tamque alte adacti clavi possunt. Facilius adigas clavum, quam revellas. Magno labore, etiam tempore opus est; praesertim cum longa consuetudo nobis ista vincula commendavit, & vel invitos animos ad se trahit, ut in fabulis Psychen Consuetudo, ancilla, per capillos trahit, quo vult. Itaque, ut medici

medici homines ad ſenilem aetatem appropinquantes jubent, valetudinis cauſa, circumcidere negotioſam vitam, de quo praecepto eſt egregius Platneri quondam noſtri libellus: ſic multo magis, animi cauſa, convenit minuere paullatim rerum humanarum curam, & ita initium vaſorum colligendorum facere, magisque curioſe praeparare animum ad tranſitum, qui in morte repente a rebus ſenſibilibus & corporeis fieri ad intelligibilia & coeleſtia debet, ne illis repente, ſine ulla recuperandi ſpe, detractis, cum e rebus divinis, & ſummo bono, Deo, nihil voluptatis capere per diſciplinam Jeſu Chriſti didicerit, ex hac ipſa vita, & in ipſo animo, orcum quendam deportet, & in omnem aeternitatem ſit miſerrimus. Magna haec eſt ſapientia, & haud ſcio an maxima, ſed quae paucos omni tempore diſcipulos nacta eſt.

Sed in illo parvo numero fuit profecto venerabilis nuper ſenex, Benjamin Gottlieb Boſſeckius, J. U. D. & ampliſſimi Scabinorum collegii Senior. Nam in chartula, in qua de vita ſua ſcripſit, maluiſſe ſe, ait, accepto inter Scabinos loco, aliis muneribus carere, & uno illo contentum eſſe, quam iis aſſumendis, vel ſe nimis onerare, vel alios. Itaque quamquam magno onere premebatur laborum, tamen reliquum erat ſatis temporis, quo vacare rebus divinis cogitandis, & pietati alimenta ſuggerere, aut recreare etiam animum lectiunculis poſſet: quamquam nulla major contingere animo recreatio poteſt, quam quae pietate per preces rerumque divinarum aſſiduas & placidas cogitationes exercenda capitur. Nam rerum humanarum cogitatio aſſidua & intenta fatigat animum & corpus, habetque ad extremum faſtidium, quod non, niſi intermiſſione cogitandi, interpoſitoque otio, vinci poteſt: propterea, quod res ipſae nihil in ſe, aut admodum parum habent, quod ad animum aut pacandum, aut dulcedine quadam, digna ejus divinitate, explendum valere posſit. Quicquid enim habent commendationis, id eis fere extrinſecus accedit ab opinionum noſtrarum vanitate & cupiditatibus, quae non habere hanc vim poſſunt, ut rebus ipſis detrahant vim defatigandi & faſtidium. Sicut videmus, cibos ad ita breve tempus, exiguumque modum, commendari palato

a

a defideriis naturae, ut quamquam cupidisfime expetitos, tamen mox etiam averfemur, in morbis autem vix eorum adfpectum aut odorem ferri: quod non erat futurum, fi in ipfis effet jufta vis oblectandi: fic in rerum humanarum cogitatione verfamur quidem fubinde hilariter atque alacriter, incenfi fpe laudis aut quaeftus, fed ad certum & brevem modum, quem ne cupiditas quidem ulla fuperare poteft, faepisfime etiam minuunt res multae, & cafus vitae humanae varii. At res eae, quibus cogitandis tractandisque animo pietas exercetur, in fe habent fuavitatis animo immortali dignae perennem & inexhauftum fontem, explentque animum amore Dei, cujus dulcisfimus fenfus eft, folatio in adverfis, & fpe felicitatis aeternae, quarum rerum fuavitas reficit etiam laffum a rebus humanis animum. Hac igitur maxime utebatur vir praeftantisfimus ad reficiendum a laboribus publice utilibus & neceffariis animum, & hac maxime de caufa gaudebat, fe modum imponere didiciffe cupiditati habendi, quod plus fibi temporis ad illam humanisfimam recreationem animi ufurpandam relinqueretur. Ceterum ipfe fibi aliud egregium, & haud paullo certius vectigal comparaverat, quod nec cupiditas quaefierat, nec cupiditatem alebat, nec fibi aut aliis moleftum erat, parfimoniam honeftam, & rei familiaris adminiftrandae diligentiam, propter quam etiam mediocres reditus alendae atque honeftisfime tuendae numerofae foboli fufficerent.

Sed hunc talem atque tantum animum multo magis declaravit tum, cum etiam unum illud munus fua fponte depofuit, totumque fe ad otium contulit. Erat tum natus annos quatuor & feptuaginta, videbatque vitae finem non longe abeffe poffe: amiferat etiam paullo ante uxorem, in cujus amore & cura fenectus ingravefcens adquieverat. Itaque omni modo exonerare fe cupiebat negotiis humanis, quae nihil alimenti falutaris animo praeftarent, fed eum devincirent artius terrae, & totum transferre ad colligenda vafa, parandumque fibi expeditiorem & laetiorem tranfitum ad Deum. Davidis hoc pulcerrimum & fapientisfimum votum eft, (*Pf.* 39. 14.) rogantis Deum relaxationem ab aerumnis vitae humanae, ut fe colli-

gere & recreare poſſit ante, quam a vita diſcedat, in eoque profecto eſt permagnum Dei beneficium, quod mortem haud paullo, non modo tolerabiliorem, ſed etiam beatiorem facit: niſi quis optabile putet, ut in medio ſtrepitu ac tumultu negotiorum humanorum, inter ſudores & contentiones animi corporisque, omnia alia quam coeleſtia cogitans & agens, repente avocetur, vel abſtrahatur ad tribunal J. C. aut ut praeparando itineri tali nihil niſi brevis morbi tempus relinquatur, cujus languor tantae rei facultatem non concedit. Sed homines ad extremum usque ſpiritum quaerunt vulgo materiam laborum & aerumnarum, & venantur undique fabularum, rumorum, oblectationum corporearum, aliarumque talium rerum nugas, quibus animus diſtrahatur, ut colligi, recreari, & ad illum tranſitum rite praeparari non poſſit. Itaque cum finis venit, non avocatur a corpore ac rebus terrenis, ſed, innumerabilibus clavis repente per vim revellendis, abſtrahitur. Noſter autem Davidicae illi ſapientiae obſecutus, Deo per ſenectutis imbecillitatem & uxoris mortem monenti, ut relaxaret ſe a laborum moleſtiis, & animum hunc ſuggerenti, ut relaxari cuperet, modeſte paruit, & ſic voti ſui compos factus eſt, ut recreare ſe & colligere poſſet, antequam a vita diſcederet. Itaque ab illo tempore in exercitationibus aſſiduis pietatis, in lectionibus librorum bonorum, & vero etiam in liberorum & generorum, inprimisque majoris filii pietate adquievit, in cujus etiam amplexibus placide obdormivit.

Natus eſt tam ſancti vir exempli Gaudicii, agri Lipſienſis villa, a MDCLXXVI. a. d. III. Non. Nov. patre Joanne, qui per LVI. annos ibi ſacra fecit, cum magna ſanctitatis laude, ortus gente nobili Boſſeckiorum in Franconia & ad Rhenum inferiorem. Nam avus Joannis fuit Joannes de Boſſeck, multarum vir imaginum, qui Gebhardi Archiepiſcopi Colonienſis tempore, relictis ſacris Romanis, & Conventu monachorum Colonienſi, tranſiit ad Eccleſiam noſtram, & ſede fortunarum Lippiae conſtituta, vitam in otio egit, matrimonium autem cum Anna e nobiliſſima gente Ritbergia iniit. Horum filius, & avus noſtri, Joannes, medicae artis Doctor, ibidem medicinam non ignobilem

S fecit,

fecit, duxitque in matrimonium Gertrudem Hilverdingiam, honestissimi viri filiam, e qua natus est nostri pater. Sed hic in matrimonio habuit Barbaram Margaretham, Joannis Ottii, sacerdotis in Moelbensi villa filiam, e Margaretha Stolbergia, sacerdotis Gaudiciensis filia, susceptam. Horum parentum saepe vehementer laudabat exquisitam in se educando, inprimisque ad pietatem praeceptis exemploque conformando, curam & disciplinam: nec dimiserat ex animo memoriam praeceptorum domesticorum, Mich. Benedicti, Sam. Bernhardi, Christiani Petschii & Dan. Sinapii, a quibus literarum initia perceperat: sed maxime praedicabat magistros, quos in schola Cizensi habuerat, Gotfridum Gleismannum Rectorem, & Jo. Fr. Koeberum Con-Rectorem: a quibus bene eruditus, contulit se (a xcIv.) in Academiam nostram, audiitque Philosophos & JCtos, qui tum maxime clarebant, A. Rechenbergium, Gotfr. Olearium, J. G. Hardium, Barthol. Leonh. Schwendendorferum, Nic. Ittigium, Andr. Frid. Mylium, Gotfr. Barthium, Christ. Gotfr. Franckensteinium, denique Luderum Menckenium, cujus inprimis fidem & benivolentiam gratus commemorabat.

Ita quatuor annis in studiis doctrinarum exactis, Rector & Comes vel studiorum vel itinerum datus est pluribus juvenibus, in his duobus primariis & nobilissimis, primum Schonbergio, regii Cubiculi postea Comiti, cujus pater Dresdae Comes Consistorianus, idemque Aerario, Provocationum & rerum Ecclesiasticarum supremo Consilio praeerat: deinde Gustavo Henrico Mylio, qui nunc in Collegio JCtorum nostrorum secundum locum cum aliis honoribus obtinet, quocum etiam per Germaniam, Batavos & Britannos iter fecit; denique Conrado, Baroni e Jesseniis, cujus pater Dresdae Regis Daniae legatione fungebatur, ipse jam tum designatus Consiliarius in Curia Imperatoris Romani, postea etiam ad altiores honores in patria provectus. Cum hoc quatuor ipsos annos exegit peregrinando, per Germaniam, Belgium & Batavos, Britanniam, Franciam, Hispaniam, Italiam & Helvetos, viditque non modo, quicquid ibi urbium nobiliorum, &, quicquid in iis visendum putaretur, sed

etiam

etiam Principes multos adiit, pluresque eruditionis fama nobiles viros. Ex hac non diuturna magis, quam multis nominibus fructuosa peregrinatione, feliciter reversus, hoc est initio a MDCCIX. paulo post, m. Februario profectus est Vindobonam, exactoque in Urbe toto reliquo anno, locupletatus multarum rerum scientia, per Moravos & Bohemos Lipsiam rediit.

Ab eo tempore non semel invitatus est conditionibus non contemnendis ad capessendos extra Lipsiam honores. Sed destinaverat spem suam Lipsiae, malebatque in hac urbe exspectare facultatem doctrinae explicandae, ad quam rem sibi sex annis ante viam munierat, editis legitimis speciminibus, in his disceptata pro Cathedra exercitatione, *de donationibus, quae inter conjuges honoris causa fiunt*, capiendo Doctoris honores. Ea facultas ipsi tribus annis post data est, suffecto in Gotfr. Barthii locum inter Scabinos regios, e quo loco per omnes gradus tandem ad primum pervenit, praefuitque ei Collegio undecim annos Senioris nomine, h. e. ab d. XIV. Maji a. MDCCXL. ad finem anni L. quo, ut supra diximus, venia impetrata, ad otium se contulit.

Inter haec matrimonium iniit a MDCCXV. a. d. XXV. Nov. cum Sophia Elisabetha, Jo. Bohnii, Therapeutices Professoris clarissimi, & Medicorum apud nos Ordinis Decani filia, omnibus sexus sui virtutibus ornatissima; quod cum aliis omnibus causis, tum maxime subole numerosa & egregia felicissimum fuit. Nam filios ex ea tulit duos, primum, Jo. Gotlieb, A.M.S. Theolog. Baccalaureum, Linguarum Orient. Professorem, Coll. Maj. Principum Sodalem, & h. t. Praepositum, praeclare de Academia merentem, alterum, J. Henricum Ottonem Med. Doctorem, qui vestigiis avi materni persequendis ad laudem cum maxime contendit: filias autem septem. Earum maxima, per quam primum pater factus est, Sophia Elisabetha, in matrimonium data est, Georgio Christiano Ibbekenio, V. S. P. Oldenburgi ad aedem S. Lamberti Pastori secundo, & Consistorii regii Assessori, quinque liberorum mater. Altera, Christiana Eugenia, nupsit Jo. Ernesto Hebenstreitio, Medic. Fac. apud nos Decano, magno cum omnium dolore nuper mortuo, e quo septies pe-

 perit,

perit, tertiam, Joannam Henricam, collocavit Gottl. Benedicto Zemischio, quartam autem Christianam Florentinam, Jo. Friderico Peinemanno, mercatoribus apud nos primariis: viditque e Peinemannia duos nepotes, post avi mortem fato functos, unamque neptem, cui paullo post mortem ipsius accessit altera. Quintam reliquit Rahelem Elisabetham, virginem ornatissimam: nam aliae duae, primo quaeque vitae anno decesserunt.

Sed tam felicis fecunditatis conjugem maturius, quam speraratt, amisit, annos duodesexaginta natam, cum ipse annum quartum & septuagesimum ageret, maximeque adjumento ejus & solatio, propter senectutis ingravescentis metum, indigere videretur. Sed cepit etiam tum fructum vitae honeste, moderate ac pie exactae. Nam etiam in solitudine illa, si solitudo esse potest in tot liberorum generorumque egregiorum tanta pietate, vixit, non ille quidem liber ab incommodis grandioris aetatis, sed ita tamen, ut, quod eam accusaret, non magnopere haberet, quicquid autem incommodi accideret ejusmodi, quod non a melioris aetatis intemperantia, sed ab aetate ipsa, & vita inter labores acta proficisceretur, constanter perferret. Laboraverat a multis annis asthmate humido, quod per singulas hiemes recurreret, cum Jo. Caspar Kuchlerus & Hebenstreitius, medici peritissimi, iidemque ejus amantissimi viri, levare malum tentarent, tollere inconsultum putarent. Id sub finem anni MDCCLII. repente sublatum, gravioris mali timorem attulit non vanum. Nam anni proxime sequentis initio arripuit eum febris acuta, e genere τῶν συνόχων, cum diro symptomatum comitatu. Cujus superandae cum spes nulla esset, etiam propter aetatem, quippe etiam juvenes plerumque rapit, tamen cessit, victa & a reliquo corporis robore, & generi solertia atque pia cura, quae tali eventu divinitus bearetur. Itaque veluti renatus, cum sine offensione valetudinis vixisset annos tres, repente, anni MDCCLV. fine, rursus incidit in discrimen ab impetu ἀποπλήξεως. Sed hoc etiam malum discussum est, revocatusque motus dextri lateris, quod vehementius fuerat resolutum. Nec suberat vitium corporis, praeter tumores pedum, attollentes se

se per vices ac subsidentes sine molestia. At die tertia proxime superioris Februarii, repente naturae vis aetati succubuit. Nam deficere se, & velut e magna defatigatione laborare, dixit, cum nulla causa languoris appareret. Fulcire ruentem vitam tentavit filius minor analepticis medicamentis: sed irritus conatus fuit. Nam quatuor diebus inter languores consumtis, die septimo Februarii, cum post noctem insomnem, tamen surrexisset, & cum filiis, quamquam solito parcius, pransus, hora quarta, ut per aliquot menses factitarat, ad quietem se dedisset, placideque dormire coepisset, post horam audivit eum filius major, qui solus aderat, altius & stertentis modo ducere spiritum. Percussus re subita, cum propius accessisset, vidit, eum animam agere, quam mox placide, & sine ullo mortis sensu exhalavit, atque vitae sancte & pie actae finem fecit. Vixit supra annum primum atque octogesimum menses tres, & tamen magnum desiderium reliquit non modo pietati suorum, sed etiam aliis, qui in eo insigne severae sanctitatis & virtutis exemplum de civitate sublatum dolent.

Erat in eo magna vis pietatis adversus Deum, quam primum praeceptis & exemplo parentum in animo satam, magistrorum institutio foverat, librorum divinorum atque aliorum de rebus divinis exponentium lectio aluerat, denique exercitatio assidua & perpetua ita confirmarat & roborarat, ut ad extremum vitae duraret. Ab hac nata erat illa in omni genere officiorum diligentia, totius vitae moderatio & aequabilitas, domesticae disciplinae severitas, & humanorum incommodorum tranquilla patientia. Parentibus primum & praeceptoribus obedientiam, conjugi amorem, liberis curam, propinquis & amicis fidem abunde praestitit. Justitiae & aequitatis supra, quam dici potest, amans erat, ut qui etiam quacunque specie iniquitatis moveretur: cum ipse de suo jure facile decederet. In negotiis, quae vel delata a republica receperat, vel benivolentiae in quemquam causa susceperat, inprimisque, si quid ei nominatim a Principe mandatum esset, quod aliquoties factum est, summa religione ac fide versabatur: nec modo, ut aliorum opinioni sa-

tisfaceret, sed multo magis, ut conscientiae veritati & religioni. Existimabat, cum non sua causa natus esset, aliis se vivere, non sibi debere: maximamque in rebus humanis felicitatem esse, quam plurimis profuisse. Et tamen sibi quoque vivebat: cum tempus omne, quod ab muneris publici, & amicorum negotiis, suorumque cura, reliquum esset, sibi, h. e. animo, rerum divinarum cogitatione, bonorum librorum lectione alendo & oblectando, tribueret. Itaque etsi abstinebat ab conviviis celebrandis, coetibusque hominum delectationis causa obeundis, videreturque in solitudine vivere, tamen nunquam solus erat: secum enim loquebatur, & vero etiam cum sapientibus viris, quorum voces, in libris eorum resonantes, magna cum jucunditate audiebat. Fuerat ab juventute studiosus cum omnis doctrinae honestae, tum linguarum. Graecam & Latinam didicerat in scholis: per peregrinandi autem opportunitatem consecutus erat facultatem egregiam Francicae, Italicae & Anglicanae, nec adeo levem Hispanicae, Lusitanicae, & Batavae. Itaque omnium linguarum libros facile legebat. Cujus rei fructum quendam nostrates olim ceperunt, versis ab eo Germanice libris plurimis, in his Vita Sixti V. ex Italica, Connoriana autem Poloniae Notitia ex Anglicana. Sed etiam aliis rationibus rei literariae profuit. Ut nihil dicamus de Theatro belli Italici, a MDCCII. edito: non parum ipsius opera profuit Actis eruditorum Latinis: nec parva pars Lexici Fritschiani, a. MDCCXIII & XIV. editi ei debetur. Sed scribendi otium abstulerunt curae majores, quas provincia inter Scabinos de jure respondendi attulerat: habebatque satis, legisse, quae alii ingeniosi & eruditi viri scripsissent. Sic ergo vitam agendo consecutus est id, quod semper spectarat optaratque, ut recte & utiliter, sed sine strepitu exacta aetate, dilectus omnibus, placide moreretur, discederetque ad aeternam & beatissimam tranquillitatem, quam in coelis nobis destinavit Deus.

Felices vero nos, si tali exemplo imitando & ipsi nobis viam ad vitam in his terris tranquillam, & sapienter pieque jucundam, in coelo autem beatam mu-

muniamus, efficiamusque, ut, cum dies fatalis venerit, non modo ſine tergiverſatione & timore, ſed etiam promti laetique ex hac vita ad Deum tranſire poſſimus! Ita ergo facite, ac bene valete. P. P. Domin. XI. p. Trin. a. C. CIↃIↃCCLVIII.

MEMORIA

JOANNIS ERNESTI HEBENSTREITII

MEDIC. DOCTORIS ET PROFESSORIS PRIMARII, ORDINIS MEDICORUM DECANI PERPETUI, ACADEMIARUM, VRATISLAVIENSIS NATURAE CURIOSORUM, ET MASSILIENSIS SODALIS.

Non eget noſtra, vel ad vos, Cives cariſſimi, vel ad poſteritatem, commendatione memoria Jo. Erneſti Hebenſtreitii, cujus ingenium doctrinamque, Academiae & literis acerba morte interceptam, dolemus: adeo ipſam per ſe vobis eſſe, ut debet, caram putamus, adeoque multis monimentis eam ipſe vivus ſtabilivit, & ad omnem poſteritatem propagavit. Sed ut non nolumus habere imagines parentum, conjugum, liberorum, & fratrum, in quibus nihil, praeter oris figuram, lineamenta, coloresque, expreſſum videmus, cum in animis noſtris multo luculentiores imagines, non modo corporum, ſed etiam animorum, repoſitas ſpectemus: ita nec iis, qui vel vivi Hebenſtreitii ingenium, doctrinam, virtutesque e propinquo, & per uſum diſciplinamve fruendo, vel ſcriptis expreſſas legendo cognoverunt, inju-

injucundum fore putamus, in hac veluti tabula, aliquam Hebenſtreitiani ingenii, animi, totiusque vitae imaginem propoſitam intueri: quae ſi non ad vivum exprimat, quicquid vel ab natura datum habuit, vel ſtudio curaque partum, vel denique per doctrinam & virtutem aliis publice privatimque impertivit, ſaltem eorum cum ſuavitate quadam admoneat. Nam etiam de bonis jucundisque rebus, nec modo noſtris, ſed etiam alienis, valet, quod eſt de adverſis acerbisque apud poëtam dictum: *etiam meminiſſe juvabit.*

Editus eſt in hanc lucem in Villa nova Dioeceſeos Neoſtadienſis in Variſcis, a. d. xv. Jan. A. C. CIƆIƆCCII. patre Jo. Davide, qui tum ibi, poſt Neoſtadii, ſacra fecit, matre felici ingeniis praeclaris edendis, Eſthera Suſanna, Jo. Georgii Gutneri filia, qui Luſcaviae, dioeceſeos Colditianae oppidulo, ſacerdotium obtinuerat, e Suſanna Schuzia, ſacerdotis in dioeceſi Neoſtadienſi filia. Avum paternum habuit Joannem, in eadem villa nova ſacerdotem, qui in matrimonio habuit Reginam, Davidis Stemleri, Archidiaconi Neoſtadienſis, filiam. Initia religionis & literarum cum pater ipſe tradidiſſet, datus eſt primum in diſciplinam Jo. Oswaldi Thoelitſchii, in ludo Neoſtadienſi Conrectoris, & Davidis Wendleri, Rectoris, poſt, miſſus in Vinarienſe Gymnaſium, magiſtris uſus eſt magno illo Jo. Matthia Geſnero, qui tum Conrectoris ibi munus ſuſtinebat, & Jo. Chriſtophoro Kieſewettero, Rectore, hoſpite autem Jo. Friderico Hebenſtreitio, ad aedem S. Jacobi tum Paſtore, poſt Butſtadienſis Eccleſiae & Dioeceſeos Praeſule: qui eum, ut filium, aluit atque amavit. Ibi cum ſub tam excellentibus doctoribus praeclare profeciſſet in literis Latinis & Graecis, in Jenenſem Academiam ſe contulit, a. CIƆIƆCCXVIIII. natus annos duodeviginti. Sed cum ibi non reperiſſet, unde viveret, in hanc urbem ſe contulit, ſperans fore, ut, quae fratrem majorem benigne ad id temporis aluiſſet, eam ipſe quoque benignam experiretur. Quae ſpes eum non fefellit. Nam & in convictu publico, locus ei contigit, & ſtipendium regium, & Patronus Aug. Quirinus Florens Rivinus, qui eum, perſpecto ingenio, celeriter adamavit, & omnibus in rebus, quoad vixit, enixiſſime

 juvit.

juvit. Praeceptores secutus est, philosophiae & literarum causa, Lehmannum Physicum, & A. F. Mullerum: in medica autem doctrina, illum ipsum maxime Rivinum, tum Paullum, Schacherum, Etmullerum, Waltherum, Platnerum & Lischvicium, herbariae rei causa, praeter Rivinum, etiam Hahnium. Emensus studiorum curriculum, ad docendum adjunxit animum, disceptataque pro cathedra, sub Lischvicio, Exercitatione *de continuanda Rivinorum industria in emendando plantarum charactere*, Magistri philosophiae honores cepit a. CIↃIↃCCXXVII. & anno post, jus privatim docendae philosophiae, defendenda Exercitatione *de Ordinibus Conchyliorum methodica ratione constituendis*. Secutus est post duos annos a. d. v. Maji, a. CIↃIↃCCXXX. Doctoratus artis medicae, scripta & feliciter defensa *de viribus medicis minerarum & mineralium diatriba:* quo accepto, etiam aditum sibi munire coepit ad Collegium Ordinis Medici per aliam Disputationem *de sensu externo virium in plantis judice*. Sed cum omnes medicae doctrinae partes studiose diligenterque tractaret, tum vero inprimis, & suo quodam studio incensus, & Rivini cohortatione & exemplo invitatus, rem herbariam cupidissime & felicissime colebat, adjuvante etiam memoria, cujus prope divina vis erat. Quod cum videret Rivinus, impense eum commendavit Caspari Bosio, Senatori aedilitio, & Horti Bosiani majoris tum domino, ut ejus opera uteretur in plantis raris, quae ibi alerentur, tuendis & ordinandis. Ille vero ei rei praefectus, tanta non modo diligentia, sed etiam solertia usus est, ut & ipse Bosius vehementer probaret ejus operam, ipsumque ea causa omni genere benignitatis foveret, & judices majores mirifice curam ejus & solertiam laudarent. In quibus vel maxime fuit celeberrimus ille Heucherus, Medicus regius, qui, cum horti plantas inspexisset, Hebenstreitiumque per eam occasionem propius cognovisset, mirifice collaudato ipso, memorem se ejus fore apud Regem, liberaliter promisit. Cui promisso mox fides constitit. Itaque quod studium, liberalis delectationis maxime causa, erat susceptum, etiam ad utilitatem valuit, quae esset tanto magis jucunda & honesta, quanto minus ab initio fuisset quaesita.

Erat

Erat tum adhuc in vivis Auguſtus Rex, hujus Noſtri Pater, inter ceteras virtutes plurimas & maximas, etiam amore incredibili omnium bonarum & pulcrarum artium atque rerum praeditus, inprimisque naturae operum omnium cognoſcendorum, inque ſedem ſuam, Dresdam, ex omnibus terrae partibus congerendorum cupidiſſimus, plane alter Ptolemaeus Philadelphus. Nam Ptolemaeus ille, ut (ex Agatharchidis Periplo Maris Rubri) Diodorus Siculus tradit (III. p. 169. ed. Rhod.) non modo libros ex omnibus locis congerebat, & eruditiſſimos quosque viros liberaliſſime fovebat & alebat, ſed etiam rariora & ſpecie admirabilia animalia Alexandriam magno ſumtu adduci curabat, propoſitis ingentibus praemiis, ſi qui in eo genere aliquid, quod viſendum eſſet, cepiſſent, atque ad ſe adduxiſſent. Is igitur Auguſtus induxerat in animum, mittere in Africam, qui inde vel viva animalia majora, vel eorum exuvias, & membra peterent, nec plantas aut alia naturae opera, quae illi terrae propria eſſent, negligerent. Deſtinabatur autem iis peragranda Africa, primum ſeptentrionalis, quae mediterraneo mari adluitur, Barbariam vulgo vocant, ad deſerta usque Libyae, Saram nunc appellant, deinde occidentalis, inde ab Atlante ad Bonae ſpei promontorium: nam orientalem, hoc eſt, Aegyptum, jam perluſtrarat Turnefortius. His deſtinatis perficiendis cum quaereretur vir idoneus, commendabatur Regi ab Heuchero Hebenſtreitius, in quo eſſet & hiſtoriae naturalis, & linguarum ſcientia ei rei apta. Miſſus igitur eſt, cum adoleſcentum, quos ipſe ſibi delegiſſet, in his Ludovici, qui nunc Ordini medicorum apud nos praeeſt, comitatu, inſtructus literis Regum Franciae, Britanniae, & Principum Belgii foederati, quibus non modo Legatis eorum, ſed etiam Principibus Africae commendaretur. Profectus Dresda, a. d. xxiii. Octobris, a. cIↃIↃccxxxi. per Germaniam, Helvetos & Franciam, extremo anno pervenit Maſſiliam: unde cum ſolviſſet a. d. xxiv. Januarii proximi, difficili & moleſto curſu, a. d. xxvii. demum Februarii portum Algerii attigit. Ea in urbe cum tres amplius menſes ita commoratus eſſet, ut ſubinde in vicinas regiones excurreret, Junio medio inde navi digreſſus, venit Bonam, Tu-

Tunetanorum finium, ſed Algerianae ditionis oppidum, haud procul Hipponis regii ruinis: unde excurrendi facultas dabatur in Conſtantinae fines, quae & ipſa eſt Algeriani regni, & veteris Numidiae pars, verſus Orientem ſita, antiquitatis Romanae reliquiis inprimis referta, cujus caput eſt Conſtantina urbs, olim Cirta, Numidiae regum ſedes. Inde oram maritimam legens, adiit Thabracam inſulam, nobilem coralliorum captura, quam ibi Genuenſes exercent, Biſertamque urbem (quae eſt Hippo Diarrhytus, ſ. Zarrhytus, unde & nomen corruptum eſt in Biſertam) brevi intervallo ab Utica diſtantem, ad ultimum terreſtri itinere Tunetem. Ea urbs cum vicina ſit veteri Carthagini, e cujus excidio olim incrementa cepit, non modo ejus ruinas ſpectabat, ſed & viſendarum vicinarum regionum facultatem ſibi datam ſperabat. Sed ea tum quidem ſpes irrita fuit. Etenim Princeps Tunetanus ita infeſto erat in Chriſtianos animo, ut eis peragrandorum Tunetanorum finium poteſtatem omnem adimeret. Itaque mox Tripolim contendit, inſpectisque diligenter, quae regio ea viſenda habet, per Melitam inſulam Tunetem reverſus eſt. Sed dum aberat, Ludovicus, qui valetudinis cauſa ibi remanſerat, aditu ad Principis benivolentiam reperto, impetraverat viſendarum regionum vicinarum veniam, easque peragrando pervenerat ad Sarae usque fines. Qua re cognita, perſecutus eum eſt Hebenſtreitius, & cum alias regiones, tum maxime Africae partem eam peragravit, quae inter Tunetanum & Tripolitanum regnum ab anguſtis initiis ducta, latioribus ſpatiis verſus interiora Africae propagatur: Arabes *Biled-el Gerid* * vocant, hoc eſt, terram palmarum, quarum ibi magnus proventus eſt. His terris peragrandis cum multa ſpectanda praeberet natura, tum vero vir antiquitatis eruditae & amans & intelligens ſaepenumero mirifice adfectus eſt animo, cum reliquias vel urbium clariſſima-

* Lingua vulgari incolae vocant *Bled-el-Gerid*, in libellis Geographicis eſt *Bilidulgerid.* Sed *Shavius* Britannus (*Shaw*) in Itinerario T. I. p. 272. ait, eſſe *Bled al* vel *el Jeridde* vel *Jereed, terram ſiccam.*

marum, ut Carthaginis, ut Uticae, ut Hipponis utriusque, magnificentiae porro antiquae in viis publicis, in aquaeductibus, similibusque videret, vel vestigia summorum & clarissimorum Imperatorum, Episcoporum, & campos victoriis maximis insignes calcaret, cum per ruinas Carthaginis erranti, Hannibalis, Scipionis imago offerretur, cum etiam Marii, qui in ejusdem urbis ruinis quondam delituisset. Atque utinam neque cupiditati ejus vel visendorum monumentorum, vel describendorum titulorum, stultus error barbarorum, existimantium thesauros terris abditos inspiciendis titulis quaeri, neque consilio edendorum eorum, quae vidisset ac descripsisset, omninoque itineris illius describendi, negotiosae vitae occupatio atque brevitas obstitisset! haberemus, aut habituri certe essemus, quae antiquitati vel accuratius cognoscendae, vel ornandae egregie prodessent.

Sed cum ex illo itinere a. d. XIV. Martii a. XXXIII. esset reversus Tunetem, inopinatum ac triste impedimentum itineris persequendi, quo vellet, oblatum est, nunciata Augusti morte, quae necessitatem revertendi in patriam imponeret. Itaque non multo post, relicta Africa, per Galliam & Batavos, mense Octobri, rediit Dresdam, inde, rationibus itinerum redditis, Lipsiam, adiitque mox d. XX. Nov. Physiologiae Professionem Ordinariam, quae ei absenti erat decreta, ut quam celerrime praemium ferret laboris eruditi, & periculorum, quae terra marique adisset. Ipse vero tanta Principis liberalitate ita incensus est ad studium bene de Academia, de juventute medicae artis studia aemulante, deque arte sua merendi, ut totum se ad medicinam vel docendam, vel scriptis illustrandam atque ornandam, vel faciendam denique conferret. Cujus studii & alimenta habuit a multitudine eorum, qui ejus vel doctrinam in discendo, vel opem in valetudine tuenda & recuperanda expeterent, & praemia a Principe plurima. Nam intra sedecim annos ab ultimo Ordinis sui loco in primum est provectus, cui ille cum magna & sua dignitate, & Ordinis Academiaeque universae utilitate, per octo annos praefuit. Quo magis omnes, non modo ipsius & familiae amplissimae causa, sed etiam Academiae nomine, doluimus, cum

ille

ille praematura morte e vivis eſt ſublatus: de qua priusquam dicamus, breviter de ejus ſtudiis, diſciplina & ſcriptis commemorandum videtur.

Cum eſſet omnium bonarum literarum & amans & ſtudioſus, imbutus eo amore primum a patre, deinde a praeclaris, quos ſupra commemoravimus, praeceptoribus, maxime tamen & adamarat, & colebat poëticam Latinam, & literas Graecas, quarum ſcientia majorem ceteris humanitatis partibus copulationem cum arte medica haberet. Et ad poëticam quidem ab ipſa natura impellebatur, ut, ſi vitae genus conceſſiſſet, in ea plane excellere potuiſſet. Etenim extemporali facilitate fundebat verſus, etiam cum aliud ageret, cum luderet. Teſtis eſt libellus *de uſu partium*, hexametris verſibus ſcriptus, ad Lucretiani carminis ſimilitudinem, cujus partes plures fecit, ludens aleam cum Junio, affine ſuo, viro conſultiſſimo, cum interea colluſorem, qui nihil aliud, niſi de movendis ex arte calculis cogitaret, tamen vinceret. Literarum Graecarum autem ſtudium maxime conferebat ad medicos Graecos cognoſcendos ac legendos: in quibus quam tritus fuerit, ſi quis ipſi de ſe dicenti * nolit credere, quamquam alieniſſimo ab omni vanitate, Palaeologiae Therapeuticae credet, in qua praecepta Therapiae ex omni antiquitate, Graeca maxime, quamquam & Latina, exhibet, comparatis iis, quae nunc ſunt in uſu, ſentiendi, loquendi, faciendique formis: in quo ſe dicebat non modo hoc ſpectare, ut Graecae linguae extinctum apud quam plurimos amorem refocillaret, ſed etiam praecepta morborum curandorum ſub eruditae linguae involucris latentia exponeret, atque ſic juvenes artis medicae ſtudia aemulantes, ad fontes artis revocaret **. Sed multo majus ejus ſcientiae documentum dediſſet, ſi ei contigiſſet, ut Aëtium, ill. Gunzii morte deſtitutum, abſolveret, cujus exemplum manu ſcriptum, cum ei traditum eſſet ab Erneſto noſtro, legeretque ipſo audiente

* In Tentamine Philol. Med. ſuper Aëtii libris ineditis &c. p. 4.

** Palaeol. Therap. Specim. I. p. 4.

ente loca quaedam, ſtatim non modo dicebat, ex quo ſcriptore eſſet quodque ſumtum: eſt enim in Aëtii libris Synopſis quaedam medicorum veterum: ſed etiam quaedam memoriter ex illis ipſis, alia ingenio corrigebat, accommodate ad linguae rerumque rationem. In medicae doctrinae partibus maximo ſtudio tenebatur rei herbariae, ut ſupra diximus, rerum naturalium omnium, inprimisque earum, quae e terrae viſceribus eruuntur: in quibus generibus ita notata mente omnia & trita habebat, ut eum nihil fugeret, omnia in promptu eſſent. Itaque communis interpres adhibebatur in Muſeis noſtris, Richteriano, Boſiano, Linkiano, ſi quis ad ea viſenda venerat, erantque demonſtrationes rerum ejusmodi, ut non modo peritia earum, ſed etiam amor appareret, qui conſuetudine videndi non imminutus, ut fit, ſed auctus & confirmatus eſſet.

Ad artem faciendam ſe contulerat ſtatim, cum ex itinere Africano redierat. Et expetebatur opera ejus a multis. Erat enim in viſendis aegrotis aſſiduus, praeſertim cum periculi aliquid ſubeſſe videretur, in curando diligens, lenis, & qui aegrotos non modo remediis artis juvaret, ſed etiam orationis humanitate, ad animos erigendos & confirmandos apta, quae interdum plus prodeſt, quam remediorum ſalubritas. Nam & amabat eos, a quibus adhiberi ſolebat, & in aliis quoque rebus conſilio aut re prodeſſe cupiebat. Nec minus aſſiduus ac diligens erat in docendo. Erat autem diſciplina ejusmodi, ut non modo neceſſaria ad artem vel intelligendam vel faciendam accurate traderet, ſed etiam, quae ad ornandam valerent, promeret liberaliter ex interiori doctrina. Quod erat perfacile viro lectionis prope infinitae, memoriae autem ita felicis, ut facile ſuggereret, quicquid res & locus poſceret. Nam legendi inſatiabilis aviditas erat, & quicquid ex Italia, Gallia, aliisque locis adferebatur librorum, ad aliquam vel naturalis ſcientiae, vel medicae doctrinae partem pertinentium, id omne legebat, & ita accurate legebat, ut ſummam rerum traditarum, & quicquid in iis novum eſſet & exquiſitum, in literas referret, & Actis Eruditorum inſerendum curaret. Itaque a multis annis nemo alius magis

magis illis Commentariis profuit. Atque beata haec doctrinae exquifitae & variae copia cernitur etiam in iis, quae per occafiones Academicas, aliasque, fcripfit in omni genere doctrinae fuae.

Sed ut magis libero a domefticis curis animo, & in muneribus publicis adminiftrandis, & in ftudiis doctrinae tractandis, verfari poffet, mature de matrimonio ineundo cogitavit, duxitque anno xxxviiii. a. d. iv. Non. Febr. Jo. Guilielmiam, Ulr. Junii, Mathematum quondam apud nos Profefforis clariffimi, ex Olearia filiam, ornatiffimam fexus fui decoribus, e qua eodem anno, prid. Cal. Decembres, tulit filium, Georgium Erneftum, feliciffimi ingenii paterni heredem, fed cum acerbiffima matris jactura. Nam feptimo a partu die obiit. Sed eam jacturam reparavit a. xlii. ducta a. d. xvii. Cal. Aug. Chriftiana Eugenia Boffeckia, virgine ornatiffima, quae nunc ereptum fibi praematura morte maritum moeret. Ex ea fex liberi vivo, unus filius mortuo natus eft: quae fuboles, ut, fub matris amantiffimae tutela, feliciter adolefcat, & communis humanitatis, & multo magis parentis, tam bene de rebus noftris meriti, caufa, optamus, praefertim cum nulla alia de caufa magis miferanda videri debeat mors viri, vita longiori digniffimi, quam quod tam multos parente amantiffimo privavit, qui ejus confilio & cura cum maxime indigebant.

Eam contraxit ex tali caufa. Habuerat in ceteri corporis robore, & conftante fanitate, ante aliquot annos utrumque oculum male adfectum e fuffufione. Sed ea ita erat curata, ut, cum oculum vitreo inftrumento juvaret, legendo, fcribendo, ceterisque rebus fufficeret, quae oculi aciem defiderant. Itaque cum e lugubri apud Rosbacum pugna vulnerati effent in hanc urbem delati, affiduus aderat vulnerum curationibus, & vulnera ipfa infpiciebat, non modo ut confuleret aegrotantibus, & qui vulneribus manu curandis adhiberentur, fed etiam ut exemplo fuo difcipulorum ftudium ad vifendum, ac vifendo difcendum, excitaret. Ibi, dum faepe propius admovet oculos vulneribus, nimio plus haufit putridi & pernicioſi vaporis. Primum quidem febricula eum corripuit, a. d. vii. Cal. Nov. quae

quae catarrhali ſimilis eſſet, nec ab conſuetis laboribus abſtraheret. Sed paucis diebus poſt, major vis mali prorupit, apparuitque, periculum ſubeſſe. Nam marcor quidam & dormiendi aſſidua libido cum putrida febre acceſſerat. Convolant collegae, viri artis medicae conſultiſſimi, omnemque artem expromunt, ſi poſſint ſervare virum, ſibi neceſſitudine collegii carum, & humanitate jucundum. Sed artem ſuperavit vis morbi. Itaque Nonis Decembr. placide exſpiravit, magno cum dolore, non modo ſuorum, ſed etiam omnium, qui, quantam in eo jacturam ſui, quantam Civitas haec, quantam denique Academia, & univerſa res literarum publica feciſſet, ſatis aeſtimarent.

Quo magis confidimus, omnes ejus memoriam perpetuo, cum pietate in ipſum, & benivolentia in eos, ad quos maximus dolor ex ejus morte pervenit, conſervaturos. Vobis autem, clariſſimi Cives, &, qui ſtudia doctrinae colitis, viri talis memoria tanto debet eſſe commendatior, quanto magis vos vel ad pietatem in Deum, virtutem, & ſtudia honeſtae doctrinae incitare, vel in rebus anguſtis & adverſis ad ſpem & patientiam confirmare ac roborare poteſt. Quis enim veſtrum, in quantacunque inopia, deſperet, ac non potius ad bene ſperandum excitetur, cum cogitet, Hebenſtreitium, cum in re nulla eſſet, nec quicquam in hanc urbem ſuum, praeter ingenium, attuliſſet, tamen reperiſſe, unde viveret honeſte, unde ſubſidia neceſſaria ad ſtudia doctrinae perſequenda acciperet, & ab illa tenuitate ad primum Ordinis ſui locum, non ita multis annis, & in florente aetate, perveniſſe? Sed ille non modo paupertatem attulerat, verum etiam pietatis in Deum, & virtutis amorem, & fiduciam in ejus providentia, & acerrimum ſtudium diſcendi, quod rei domeſticae difficultate, laboriſque moleſtia, non modo non minueretur, ſed etiam incenderetur. Non deſtituet profecto nec vos, cariſſimi, ſpes veſtra, non deerit felix ſucceſſus ſtudiis veſtris, ſi ejus pietatem, virtutem, ſtudium, induſtriam imitabimini. Erat autem pietas ejus non ea, quae ſe verbis oſtentaret, ſed quae pectus obſideret, atque inde ſe agendo proferret. Itaque in illo ultimo morbo, cujus vi plane dejectus de ſtatu animus erat, cum aliquando ſe, quod

ſemel tantum ei contigit, ad breviſſimum tempus recepiſſet, nihil aliud ei in mentem venit, niſi ut ſe animamque ſuam Domino Jeſu Chriſto, & ſuos providentiae divinae commendaret. Ab hac autem pietate: unde enim, niſi ab hac, poſſet? nata erat illa perpetua animi tranquillitas, quae nullis vitae incommodis & malis turbaretur, ille ſemper non modo placidus, ſed etiam hilaris & ſubridens vultus, non, qui callide & per artem diſſimularet malorum ſenſum & tumultus animi, ſed quem pectoris tranquillitas explicaret atque ſerenaret. Nec aliud majus ſubſidium ſtudiorum habuit illa ipſa religioſa animi tranquillitate. Neque enim ullo modo potuiſſet tam multa agere, docere, ſcribere, ac prope infinita legere, animo continere, & ſine ulla difficultate, cum opus eſſet, reddere, niſi animum ab moleſtiis & curis omnibus intactum perpetuo ſervaſſet, & ita in poteſtate habuiſſet, ut convertere, quo vellet, atque opus videretur, totum poſſet.

Hac igitur tali pietate in Deum ſinite animos veſtros a Spiritu S. imbui, ad illam malorum patientiam per pietatem animos durate, ad illam animi tranquillitatem placate. Sit uniuscujusque noſtrum muſeo, immo animis, inſcriptum, quod Mucianus Rufus ille, Canonicus quondam Gothanus, muſeo ſuo inſcripſerat: Beata tranquillitas. Ita non modo ad doctrinam magnam & exquiſitam pervenietis, (pervenire autem omnes velle debetis) ſed etiam adverſus omnes vitae moleſtias & miſerias, adverſus ipſum mortis, quamvis repentinae, timorem, animos munietis. Ita ergo facite, cariſſima capita, ita Hebenſtreitii memoriam colite, & omnia ex ſententia agite. P. P. Dom. xx. p. Trin. a. c. CIↃIↃCCLVIII.

M E-

MEMORIA
CHRISTIANI GOTTLIEB JOECHERI
S. THEOL. DOCTORIS, ET HISTOR. PROF. ORD.

Rem magnam difficilemque ſuſcipiunt, qui hiſtoriae ſe doctores profitentur, praeſertim univerſae ac dignae laudibus iis, quibus a ſapientiſſimis viris eſt ornata, hoc eſt, quae ſit interpres veritatis, virtutis prudentiaeque magiſtra, & omnis doctrinae quaſi metropolis *. Eſt enim ipſa rerum multitudine prope infinita, ut quae nullis temporum locorumque terminis circumſcribitur, ac per innumera monumentorum volumina diſſipatur, & tenebris ab antiquitate, inſcitia, fraude, aſſentatione, gratia, odio, linguarumque varietate offuſis obſcura: in ea autem docenda opus eſt eleganti rerum dilectu, ſubtili judicio, prudentia acerrima, brevitate diſerta, multis denique artificiis ad diſcentium vel memoriam juvandam, vel ſtudium retinendum, vel judicium acuendum. Itaque perpauci omni tempore reperti ſunt, qui hujus profeſſionis tantum onus ſuſtinerent, & vel ἀκρίβεια & amplitudine ſcientiae, vel docendi prudentia & ſolertia, intelligentibus ſatisfacerent. Nam primum,

* *Diodor. Sicul.* L. I. p. 2.

mum, quam multi fuerunt, qui, cum ad historiae studium accessissent, literarum & linguarum scientia, vel nulla, vel nimis tenui instructi, non ex ipsis auctorum idoneorum fontibus, sed e compendiorum, aliorumque vulgari lingua scriptorum librorum rivulis haustam scientiam, h. e. fabulam potius, quam historiam, & ipsi tenerent, & aliis traderent. Sed in iis ipsis, qui multis & magnis literarum praesidiis instructi tractarent historiam, & auctoribus ipsis assidue diligenterque legendis ejus scientiam sibi compararent, multi totam grammaticam & criticam videntur fecisse, nec aliud egisse, quam, ut genuina & certa monumenta a spuriis & incertis discernerent, verba emendarent, vel interpretarentur, obscurosque sensus illustrarent, scriptorum vel consensum compararent, vel dissensum componerent, res denique ipsas, h. e. ritus, mores, eventus, rei publicae cujusque formam, & disciplinam civilem militaremque, intelligerent atque explicarent. Quos operae pretium fecisse, plurimumque historiae profuisse, valde imperitus aut iniquus sit, qui dubitet. Itaque prudentissimi viri, quamquam ea ratione non contenti, tamen eam maximis laudibus extulerunt, in his Bolinbrokius, prima de historia epistola, & Gordonus in disputationibus Cornelianis. Sed hi cum assecuti essent alterum, ut tenerent historiam, quae esset interpres veritatis, & doctrinarum ceterarum quaedam illuminatrix, alterum ejus bonum, rem, judice Livio, praecipue in cognitione rerum salubrem ac frugiferam, praetermisisse videntur, quod in virtute adjuvanda, & prudentia acuenda cernitur, eruditionisque modo, non etiam sapientiae & prudentiae praesidiis studiosos instruxisse. Ab his diversi alii, eo ipso, in quo illi toti essent, neglecto, totos se ad politicam rationem dedere, & auctoribus rerum utcunque, antiquis quidem, per versiones maxime linguarum vulgarium, intellectis, politicis observationibus, ut vocant, & praeceptis proponendis, historiam illuminare, & vitae humanae publice privatimque fructuosam reddere voluerunt. Quod genus, ad vulgarem opinionem haud paullo melius, illi ipsi, quos supra commemoravi, aliique intelligentes viri, tantum abest, ut probent, ut illi superiori longe postponant. Ac profecto,

fecto, cum utrique peccent, ſuperiores longe excuſatius peccant. Etenim, etſi illi partem aliquam hiſtoriae bene docendae praetermittunt, tamen id faciunt, ut opinamur, non ejus inſcitia aut contemtu. Nam quomodo, primum, contemnant rem, ab illis ipſis rerum auctoribus, quos tantopere amant, tanti faciunt, tanto ſtudio & cura cognoverunt, a Thucydide, Xenophonte, Polybio, Livio, Salluſtio, Tacito, aliisque antiquis & recentioribus, mirifice commendatam lectoribus? Deinde nullo modo poſſunt eos fugere iſtae tantopere jactatae politicae obſervationes, & prudentiae praecepta, quae, intellectis rite auctorum verbis, ſua ſponte intelliguntur, praeſertim, cum, ut quisque melior eſt ſcriptor, illi ipſi, quos ante poſuimus, & his ſimiles, ſaepiſſime, diſerte moneant lectores, & digito demonſtrent, quid inſit in rebus traditis, ad vitam, ad prudentiam utile ac fructuoſum: nec quicquam, ut hoc utar, legas in laudatis illis Gordoni diſputationibus, quod bonis illis Taciti, quos ipſe laudat, interpretibus grammaticis, Lipſio & Gronovio, in mentem non veniſſe putemus. Itaque non multum a vero abhorrere videatur, qui eos talia monita non inculcare exiſtimet propterea, quod, quae ipſi, rebus rite intellectis, ſua ſponte viderant, alios quoque facile animadverſuros putarent; in quo etiam humanitatis & modeſtiae laus ipſis debeatur. Utcunque ſit, certe hominibus, animadverſionem quandam & cogitationem adhibere volentibus, rerum ipſarum accurata, certa, & dilucida interpretatione, aditum ad facultatem prudentiae comparandae patefacere videntur, & viam munire ejusmodi, in quam ingreſſos alacriter nulla impedimenta morentur, nullae ambages circumducant, & a meta retardent. At qui in altero genere ſunt, plerumque peccant in eo, quod vulgaria, & ſua ſponte in oculos incurrentia iis, qui hiſtoriam vel leviter tractant, etiam verboſius & ſaepius, quam neceſſe erat, inculcant: neque modo vulgares, atque dudum abjecti & obſoleti, quales multos ſuperius ſeculum tulit, quo ratio ea valde in ſcholis celebrabatur, ſed etiam novitii, qui multo exquiſitiora ſe tradituros profitentur. Sed multo majus vitium eſt alterum, quod eam rationem etiam inutilem

ac ſaepe ridiculam facit. Nam cum id genus homi-num, ut ante diximus, plerumque verborum & lite-rarum ſcientiam, quia non habet, contemnat, & in Graecis maxime Latinisque ſcriptoribus, e verſionibus vulgaribus pendeat, ſaepiſſime fit, ut politicas illas vel obſervationes vel praeceptiones ducat e verbis male intellectis, & omnia alia, quam ipſis videbatur, ſonantibus: cujus generis exempla, cum in aliis novitiis ſcriptis, tum in nobili illo de Cauſſis Legum libro, (*l'Eſprit des Loix*) itemque altero ejusdem auctoris, de cauſis aucti lapſique Imperii Romani, reperiuntur.

Neque vero hi ſunt probandi, qui aut veterem modo hiſtoriam amplectuntur, quam a Graecis Latinisque ſcriptoribus antiquis traditam habemus, contemta rerum, medio, ut vocant, aevo, & poſtrema temporum parte, geſtarum ſcientia, aut contra omnem diſciplinam conferunt ad ſecula Lege Carolina de Imperio, Auream bullam vocant, vel Maximiliano primo poſteriora: quorum temporum ſcientiam qui tenent ac profitentur, neſcio quomodo, etiam ſoli hiſtorici & idonei hiſtoriae docendae exiſtimari coeperunt. Jam etſi fatendum eſt, utramque eſſe, Academica quidem diſciplina, conjungendam, tamen prope magis excuſandi videntur, qui in priori ſecta ſunt, quam qui in poſteriori. Majores quidem noſtri, cum tempore inſtauratarum literarum in Academiis inſtituerent hiſtoriae diſciplinam, etiamſi omnium temporum res tradi voluerunt, tamen antiquitatis maxime memoriam ſpectarunt, quae ſacris, Latinis porro Graecisque libris, conſervatur: eamque ob cauſam diſciplinam illam conjunctam eſſe voluerunt cum literarum Graecarum & Latinarum doctrina. Apud nos quidem olim & Vitebergenſes nulla fuit doctrina publica hiſtoriae propria, ſed qui Graecarum & Latinarum literarum profitebatur diſciplinam, idem hiſtoriarum profeſſor erat: isque mos etiamnum in Batavis Academiis obtinet. Cujus rei conſilium fuit haud dubie illud, ut, cum tirones hiſtoriam univerſam in corpus quoddam modicum redactam, partibus omnibus inter ſe, chronologico quodam nexu, ſecundum longitudinem, ut ita dicam, & latitudinem, coagmentatis, memoria eſſent complexi, ab iisdem magiſtris ad veterem hiſtoriam ac-

cu-

curatius & copiosius ex fontibus hauriendam adducerentur; reliquam, si vellent, suopte studio, e libris novitiis, plenius & copiosius peterent. In quo illi non videntur temere fecisse.

Nam illa vetus historia, ejusque auctores sunt communes studiis omnium gentium, quae sunt ad humanitatem excultae: ab iisque lux accenditur Theologiae, & Jurisprudentiae, aliisque praeclaris artibus. Unde fit, ut longe pluribus opus sit accurata illius historiae, quam recentioris, scientia, ut longe etiam magis & ad conservandam illarum integritatem & lucem necessaria. Etenim quis hoc ignorat, quo tempore historia illa antiqua, e Graecis Latinisque scriptoribus haurienda, primum negligentius tractata, deinde plane abjecta esset culpa eorum, qui verborum & memoriae scientiam in iis esse clamarent, resque potius, & quae judicio acuendo prodessent, esse persequenda, quorum etiamnum progeniem quandam habemus, eo igitur tempore esse exortam illam barbariem, quae omnia divina & humana misere foedavit? Itaque sicut olim in coloniis Graecorum, cum ignis aeternus, qui in prytaneis e metropoli adlatus arderet, casu quodam aut negligentia esset extinctus, non poterat alia ratione rite restitui, quam ut e metropoleos prytaneo repeteretur: sic doctrinas magnas, a barbarie extinctas, constat, tum demum revixisse, cum lumen iis esset ex hac doctrinarum omnium, ut Diodorus vocabat, metropoli accensum. Quo magis timendum videtur, ne ad illas tenebras recidant omnia, si barbarus ille historiae talis contemtus redierit. Neque vero illud parvum momentum facit, quod ea fere prodita est ab ingeniis maximis, a clarissimis belli ducibus, a civitatum maximarum principibus, aut saltem hominibus, usu rerum civilium & militarium praeditis: quod rarissimum est in altero genere historiae. Itaque etiam formam historiae bene & ad usum vitae accommodate docendae ab illis accepimus, & inter recentiores tanto quisque historicus & est, & habetur praestantior, quanto propius ad eorum similitudinem potuit imitando accedere: quod quam valde paucis contigerit, nemo potest, nisi qui ignoret historicos ipsos, ignorare. Illud autem haud scio an gravissimum sit, quod illa vetus

hiſtoria, ejusque auctores, indigent interprete, multis literis erudito & exercitato: quod ſecus eſſe in recentioribus, quis non videt, qui aut vulgaribus linguis ſcripti ſunt, aut, etiamſi bene Latine ſunt ſcripti, qui ſunt perpauci, tamen, quia res ipſae novitate ſua ſunt perſpicuae, facilem intellectum habent, nec eruditionem, aut interpretem ad intelligendum requirunt. Ac neſcio, an in hoc ipſo ſit maxima illecebra recentioris hiſtoriae, quod ab unoquoque, etiam nulla literarum ſcientia praedito, intelligi diſcique poteſt. Quo magis videri poteſt conſentaneum, veterem hiſtoriam in Academiis, ubi interpretum facultas datur, accuratius & diligentius diſci, recentiorem ita, ut majores noſtri voluere, adjuncta auctorum meliorum notitia, quos pauci illi, quibus aliquando opus ſit majori rerum novarum ſcientia, cum ad uſum rerum adminiſtrationemque reipublicae aditus paratur, legere poſſint. Atque ita profecto etiam hanc poſtremae aetatis hiſtoriam tractabunt rectius & fructuoſius. Qui quidem in hac Germania inprimis feliciter hanc recentiorem hiſtoriam docuiſſe exiſtimantur, & ejus veluti diſciplinam conſtituiſſe, Conringium & Schurzfleiſchium, ſatis conſtat, non, ut nunc fit in multis, repente ad illam partem fuiſſe delatos, ſed cum veterrimos primum cognoviſſent, deinde his proximos, & dum ſemper ad ſequentes tranſirent, ab ipſa ſerie temporum ac ſcriptorum ad recentiorem hiſtoriam eſſe deductos: nec ulla alia cauſa eſt, quare illi tam illuſtres in eo genere facti ſint, quam quod hac via eſſent progreſſi. Ab his autem veluti ſigno dato, cum cupide ad hanc partem hiſtoriae multi omnibus locis convolaſſent, lucri ſpe inprimis invitante, quae ab nobili juventute oſtendebatur, res ipſa quidem coepit celebrari, ſed non eadem via & ratione, verum ſine illa praeparatione ab hiſtoria vetere e fontibus hauſta, & ſine literarum humanitate & elegantia, exortique ſunt, qui potius de rebus iſtis garrire & nugari, quam cum judicio, dilectu, & ratione quadam diſſerere viderentur. In quo haec noſtra urbs praecipua quadam felicitate uſa eſt, cum ii, quos inprimis & concurſibus juventutis & fama celebratos ſcimus, a bonis literis egregie inſtructos fuiſſe, veterem hiſtoriam cum nova conjunxiſſe,

ſe, & hujus aſperitatem ad illius elegantiam & humanitatem finxiſſe, ac mitigaſſe conſtat.

In eo numero vix dubitari poteſt, quin nuper fuerit Chriſtianus Gottlieb Joecherus, cujus diſciplina neque aliqua parte manca, neque ignoratione linguarum & literarum barbara & ignobilis fuit. Modo catholicam hiſtoriam tradebat, inde ab rerum humanarum initiis ad Caroli M. tempora, modo Imperii Germanici res, inde a Carolo M. ad noſtram aetatem: modo Notitiam Imperiorum ac Civitatum, mox Eccleſiae Chriſtianae hiſtoriam docebat: ut nihil de literaria & philoſophica dicam. Callebat literas Orientis egregie, Latinas & Graecas, ut vehementer amabat & laudabat, ita non vulgariter tenebat. Itaque etiam cum voluptate ſe legere, ajebat, cum omnes veteres, tum hiſtoricos inprimis ſcriptores. In docendo porro omnia neceſſitati, nihil vanitati dabat, quae raris, & reconditis, minutisque obſervationibus jactandis cerneretur, recte judicans, eas per libros cum eruditis hominibus, & viris, qui judicare poſſent, communicandas eſſe, non tironibus venditandas, quibus abunde ſatisfieret, ſi iis verae & accuratae rerum magnarum neceſſariarumque notiones, & vero etiam ſeries rerum talis, qualem ſupra deſcripſimus, traderentur, ſuper quarum fundamentis ipſi deinde, ſi ita videretur, & opus eſſet, aedificare poſſent. Quae diſciplina tanto felicius ei procedebat, quod etiam aliae commendationes accedebant. Erat oratio profluens, & ſine haeſitatione labens: inerat lepos plurimus, & ingenii quaedam amoenitas, quae ſe, ut in conſuetudine familiari, ita in docendo proferret, & aures animosque diſcentium teneret. Quo juſtius antea doluimus, cum repente debilitari & frangi videbamus illam vividam vim corporis animique ab gravis morbi impetu, nunc vero etiam mortem viri praeclari, & de rebus noſtris egregie meriti, lugemus. Sed virorum egregiorum non tam lugere oportet mortem quam bona ingenii animique, res bene & cum utilitate publica actas, virtutesque conſiderare, iisque cogitandis & commemorandis ipſos veluti ad vitam revocare. Age igitur breviter, a quibus ortus, quomodo inſtitutus, quod ingenium, qui mores fuerint, quid in rem literarum

publicam fecerit, quos honores, quomodo gesserit, quomodo denique mortuus sit, breviter narrabimus.

Patriam habuit eandem hanc, quam doctrina sua ornavit, Lipsiam, natus an. cIↃIↃCXCIV. d. XX. Julii, patre Joanne Christophoro, mercatore honesto, & viro spectatae virtutis, filio Joannis Joecheri, qui & ipse in hac urbe mercaturam fecit, matre autem Margaretha, Mich. Etmulleri, Medici clarissimi, filia. Ab his destinatus cum esset literarum studiis, curam eorum regendorum benigne suscepit Leonhardus Baudisius, Senator praetorius, qui aviam maternam, defuncto Etmullero, in matrimonium duxerat, tum necessitudine, tum multo magis amore ingenii, quod in puero elucebat, commotus. Primum domesticis praeceptoribus traditus est: a quibus bene imbutus literarum Latinarum & Graecarum elementis, missus est Geram, inque disciplinam & domum Georgii Ludov. Goldneri, qui tum ejus urbis Gymnasio egregia cum fama praeerat. A quo & scientia ditatus, &, quod multo majus videbatur nostro, acerrima discendarum literarum cupiditate incensus, duobus annis exactis, dimissus est in Zittaviense Gymnasium, ad maternum quondam praeceptorem, tum vero illius Scholae Rectorem, Gotfridum Hofmannum, qui inprimis felix ingeniis formandis putabatur. Is non modo ipse juvenem iis literis, quas callebat, erudiit, & ad differendi dicendique facultatem exercuit, sed etiam ad literarum Orientalium, Hebraicae, Chaldaicae, Syriacae & Samaritanae studium incitavit, quarum ibi doctor egregius erat Adamus Erdman Mirus, Gymnasii Con-Rector. Sed sermone vernaculo bene dicendi studium etiam auxit, & exemplo juvit hospes adolescentis, Grunewaldus, Ecclesiae Zittaviensis Archidiaconus, eloquentia praeditus egregia, qualis tum erat, & in illis locis laudabatur. Injectus est ei tum etiam primum amor historiae literariae, per occasionem saepe visendae instructissimae bibliothecae urbanae, cui ille ipse Hofmannus praeerat. Nec minus in bonis, quae ex ea urbe deportasset, numerabat amicitiam, quam cum filiis Hofmanni duobus tum initam, ad extremum diligentissime conservavit, & coluit,

coluit, uno, qui poſt Francofurti JCtorum Collegio praefuit, Ordinarii nomine, & Profeſſoris primarii, altero Civitatis Zittavienſis cum maxime Conſulari, & ornamento inſigni.

Cum bene maturus altioribus doctrinis videretur, in patriam reverſus eſt, deditque nomen civitati noſtrae. Amiſerat interea Baudiſium, qui, ut ante diximus, ſtudiorum ejus rationem gubernarat: ſed in ejus locum ſucceſſit alius, etiam praeſtantior, Gotfridus Olearius, qui & patri adoleſcentis, propter veterem amicitiam, & vero etiam ingenio hoc dedit, ut non modo, quid, & a quo diſcendum eſſet, demonſtraret, ſed etiam poteſtatem ſui quotidie adeundi faceret, & cum eo, vel experiundi ingenii profectusque, vel erudiendi cauſa, colloqueretur: cujus tanti beneficii memoriam & perpetuo conſervavit, & ſemper cum magna voluptate uſurpavit. Hoc ergo auctore, primum linguarum & philoſophiae ſtudia ſecutus eſt, audivitque aſſidue Hardium, ut veterem philoſophiam diſceret, & novae cauſa Polyc. Mullerum, Rudigerum, ad extremum Aug. Frid. Mullerum, quocum poſt collega conjunctiſſime vixit. Graecarum literarum magiſtro uſus eſt Schoetgenio, Hebraicarum autem primum Starkio, deinde Abichtio, per quem etiam magiſtros Judaicos intelligere didicit. Nec vulgares linguas neglexit. Itaque cum Francicae diſcendae initium jam Zittaviae feciſſet, adjunxit etiam Britannicam & Hetruſcam. Animus ab initio fuerat, medicae doctrinae ſtudia ſectari, audiveratque ea cauſa avunculum Mich. Erneſtum Etmullerum, cujus etiam Exercitationem, de viribus Muſices in corpore humano, pro cathedra defenderat: ſed mutato deinde conſilio, ſe contulit ad Theologiam: in qua ſectatus eſt unum illum Gotfridum Olearium, Theologum unicum. Audiendi aſſiduitati adjunxit diſputandi exercitationem, primum apud Philippum Olearium, deinde apud Jo. Schmidium, ſuper Neumanni Aphoriſmis Theologicis.

Honores philoſophiae mature cepit, creatus primum Baccalaureus, an. CIƆIƆCCXII. duobus autem annis poſt, Magiſter philoſophiae & bonarum artium. Mox & docendi privatim jus accepit, diſceptata pro cathedra Exercitatione de Biante Prienaeo in numo argenteo.

An.

An. CIↃIↃCCXVI. bis diſputavit de variis veterum philoſophorum modis ſtudendi, eaque re conſecutus eſt, ut anno poſt inter Aſſeſſores Collegii philoſophorum locum obtineret. Mox etiam Theologicorum honorum initia cepit, Baccalaureusque Theologiae creatus eſt. Cum primum docendi jus datum erat, ſcholas habere coepit, ſuper hiſtoria catholica, philoſophica & literaria, mox etiam arte dicendi, cujus praecepta quotannis, ſaepe bis, frequenti auditorio explicavit: cum interea ipſe ſaepiſſime ſe diſertum probaret in funeribus honeſtiſſimorum hominum: extantque laudationes ejus, non modo ſingulae, ſed etiam in corpus modicum collectae. In Philoſophia univerſa docenda ſecutus eſt ab initio rationem Rudigerianam: ſed cognitis poſt & excuſſis Leibnitii placitis, a Wolfio illuſtratis, coepit eum ita poenitere priſtinae rationis, ut totum ſe ad Wolfianam transferret, fuitque primus, qui eam in hac Academia, lectionibus ſuper Thummigiano compendio habendis, explicaret. Quae cum cupide a multis audirentur, tanto majori ſtudio & cura illam philoſophandi rationem tractavit, univerſamque philoſophiam ſingulis annis interpretatus eſt, octonis per ſingulas hebdomadas horis, adjunctis etiam binis, quibus placita ejus diſputando diſceptarentur.

Haec omnia cum ageret aſſidue & ſtrenue, adjungeretque lectionem, & ſcriberet multa, ut poſt dicemus, nec dies modo his agendis conſumeret, ſed etiam noctes, fretus firmitate & robore corporis: infeſtari coepit ab arthritide, quae primum in coxendicem incubuit, eique tres hiemes permoleſtas reddidit, poſt, relicta illa ſede, per totum corpus vagata eſt. Ea liberatus thermarum Carolinarum uſu, mollius habere corpus, & cautius uti valetudine inſtituit. Sed laboris magnitudo, & incommodi illius moleſtia multis & egregiis penſata eſt praemiis. Nam primum an. XXI. cooptatus eſt in Collegium Principale majus, mox autem ſtipendio auctus regio. Acceſſit an. XXX. Profeſſio Philoſophiae ordinaria, & duobus annis poſt, defuncto Jo. Burc. Menkenio, Profeſſio Hiſtoriarum: quam quomodo ornarit, ante diximus. Honores theologicos ex merito accepit an. XXXV. editis duabus Exercitationibus eruditiſſimis adverſus Wolſto-

ni

ni furores, quibus alia ejusdem argumenti an. XXX. praecesserat. Mandata ei etiam est an. XLII. cura bibliothecae Academicae, an. XLIX. Ephoria regiorum alumnorum, an. LV. Praefectura villarum Academicarum, denique, mortuo an. LVI. Kappio, Decemviratus Collegio Paullino convictuque publico curando: in quibus fide, cura, labore omnibus satisfecit. Magistratum Academiae ter gessit, Ordinis autem Philosophici quinquies, magna cum dignitate atque auctoritate, & ex re utriusque.

Multa scripsit, non modo per Academicas occasiones, sed etiam juvandae rei literarum publicae caussa, cujus summum studium erat. Primum juvit J. B. Menkenium in Actis Eruditorum Latinis conficiendis, deinde etiam J. G. Rabenerum in Germanicis: quorum cura mox tota ad eum delata est an. XX. eosque Commentarios primum sub eodem titulo, deinde ab an. XL. sub titulo Narrationum de re literarum, earumque fortuna & incrementis, ut magna fide, diligentia, & elegantia, vel ipse scripsit, vel ab aliis idoneis viris ad finem usque anni superioris scribi curavit, ita libenter & cum fructu studiosi legerunt. Instituerat idem ille, quem ante diximus, Menkenius opus inprimis utile iis, qui non ipsi studiosius se ad literarum historiam cognoscendam dedissent, aut in lauta supellectile librorum essent, in quo eruditorum hominum, qui ab omni memoria fuissent, vitae breviter ex idoneis auctoribus descriptae reperirentur. Ipse in eo opere aliquandiu laborarat: sed cum nimis occupatus teneretur aliis majoribus rebus, socium operis assumserat Jo. Danielem Jacobum, A. M. qui sacrorum postea antistes Pegaviae fuit. Post primae editionis, quae an. XV. curata est, exemplis divenditis, curam operis permisit Joechero, a quo multis modis auctum & emendatum prodiit an. XXV. & iterum an. XXXIII. At haec quoque tantum initia quaedam fuerunt Operis, quod incredibili labore postea congestum edidit quatuor voluminibus majoribus an. L. & LI. duraturum ad posteritatem monumentum. Quidam etiam Academici libelli recogniti & aucti in justi voluminis magnitudinem excrevere, ut Disputationis Anti-Wolstonianae, ut Oratio dicta auspicandae Professionis

Phi-

Philosophicae causa, in qua demonstrat, haereses caveri philosophiae accurata scientia. At Anti-Wolstono quidem fecit titulum Examinis Paralogismorum Thom. Wolstoni de Christi miraculis: alter liber inscribitur: Philosophia haeresium obex. Huic cum oppositus esset an. XXXIV. libellus, cujus index esset: Philosophia vetus & nova verae sapientiae obex, auctore incerto, (Jo. Eleutherii a Verimontibus nomen sibi induerat) anno post alius, qui sub Christophori a Verivallibus nomine latere voluit, edidit defensionem Philosophiae adversus hos, qui eam per causam pietatis oppugnant: atque ita controversiae finis factus. Saepe etiam praefatus est libris aliorum, judicii ejus commendationem expetentibus, qui, quanta ejus esset auctoritas, scirent.

Hujus tam negotiosae & laboriosae vitae molem etsi per multos annos facile sustinuit vigor animi & corporis naturalis: tamen tandem repente fractus est ita, ut primum deficeret, deinde etiam succumberet vir vita longiori dignissimus. Initium factum est ante quinque amplius annos, repente copia sanguinis per nares tanta effusa, ut vitae periculum ostenderetur. Advocatus ad opem ferendam Ackermannus, vir medicae artis consultissimus, cujus consiliis in valetudine regenda uti solebat, cum periculi magnitudinem cerneret, non ipse modo remedia statim opposuit idonea, sed etiam in societatem curae vocavit Ludovicum, Virum Cel. eundemque Joechero amicissimum. Et tum quidem constitit sanguis, sed in perpetuum refrenari impetus ejus ad nares conversus non potuit. Itaque etiam post, statis temporibus, vernali & autumnali, magna copia prorupit. Et ab initio quidem hanc tantam profusionem sanguinis naturale corporis robur sustinuit, restitutis etiam brevi tempore viribus animi, alacritate corporis, & colore oris: tertio autem anno perniciem majorem attulit, cum repente dextri lateris resolutio consequeretur. Etenim ex ea non modo summa artuum debilitas eum invasit, sed etiam linguae usus impeditus est, ut subinde haereret, nec, quae vellet, promte proloqui posset. Nec modo corpus fractum est, sed etiam animi vires ita adfectae, ut pristina ingenii vis celeritas-

ritasque, & alacritas in rebus agendis, valde desideraretur. Dabantur tamen interdum quaedam veluti intervalla mali, nitentibus subinde se exserere vigoris & naturalis roboris reliquiis, ut aliquid posset agere, & amicorum consuetudine frui. Levationem mali & aegritudinis etiam afferebant amor sermonesque sororis optimae, & fratris amantissimi, viri consultissimi, nec minus ceterorum necessariorum, qui ejus periculo & malis graviter adficiebantur. Sed mensis Maji initio, subito correptus est a singultu crebro, atroci, & pertinaci, qui, quorsum res brevi ventura esset, satis declarabat. Itaque ad eam imbecillitatem recidit, ut finem vitae adesse appareret. In qua tamen animus vim solita majorem ostendit, excitatam etiam & veluti recreatam ab alloquio Mathesii, Viri S. R. coelestis felicitatis spem ostentantis, & ad Domini, cui fideliter servisset, gaudia vocantis: ad quae ei mox, die x. Maji, aditus per placidam mortem patefactus est, cum annos LXIII. & menses fere decem vixisset, utilis patriae, Academiae, literisque, carus propinquis & amicis, jucundus omnibus.

Sed qui bene de nobis & republica meritus est, vitamque adeo ipsam officiis publicis privatisque impendit, eum mortuum quoque, jus fasque, omnes colere, amare, & grata memoria prosequi, praesertim eos, qui aliquem fructum ex ejus pietate, doctrina, labore, humanitate ceperunt, vosque, Cives carissimi, quibus etiam prodesse memoria viri potest, in quo exemplar doctrinae eximiae, & industriae in omni actione, dignissimum imitatione vobis propositum videtis. Ita cujus viri fructum vobis mortis vis eripuit, vestra vobis pietas restituet. P. P. Dom. XVI. p. Trin. A. C. CIƆIƆCCLVIII.

ME-

MEMORIA

FRIDERICI AUGUSTI SANDELII

MEDICINAE CONSULTI ATQUE DOCTORIS.

In partibus ingenii humani ambiguis, quae pari facilitate ad ſalutem & felicitatem hominum conferuntur, & ad perniciem trahuntur, haud dubie ponendum eſt inſitum vetera movendi ſtudium, & aliquid in artium diſciplinis, in inſtitutis vitae humanae, in moribus, in omnibus denique, de rebus divinis & humanis, opinionibus, novandi lubido: cujus tanta eſt in plerisque dulcedo, ut nova, etiam cum levi & incerta ſpe novi & majoris commodi, haud dubitent veteribus, quamvis uſu diuturno probatis, propter ipſam novitatis gratiam, praeponere. Nam primum negari profecto non poteſt, in ea re ineſſe magnam partem humanitatis, qua vel maxime praeſtemus beſtiis: propterea, quod harum & appetitionibus & affectionibus, quibus appetitiones excitantur, eos fines circumdedit natura, quos nec poſſent unquam, nec conarentur excedere. Itaque, ut quisque humaniſſimus eſt, h. e. longiſſime remotus ingenii altitudine ab humilitate beſtiarum, ita maxime ſe cupit

pit ex illis veluti anguſtiis neceſſitatis naturalis & conſuetudinis aſſiduae eripere, tenditque ad aliquid novi vel excogitandum ingenio, vel comparandum labore, quo paſcere animum, quo uti fruique poſſit. Αἱ μεγάλαι φύσεις καινοτομοῦσι, veriſſime ait Philo, in *Vita Moſis* (*L. I. init.*) *magna ingenia novitatis ſunt ſtudioſa*, nec modo, ut ille ait, in doctrinarum ſtudiis, ſed etiam in ceteris rebus omnibus: nec aliam certiorem menſuram habemus ingenii magni, quam novorum inventorum. Ac ſi velimus verum fateri, nec nimis infeſti ſimus novitatis, ſaepe ſine cauſa & ſtulte invidioſo, verbo, huic ingenii humani lubidini prope debetur, quicquid boni habet genus humanum vel in ſtudiis doctrinae & artibus, vel in inſtitutis vitae, auſim dicere etiam quodammodo in religione. Et in artibus quidem quibusque & doctrinis, nemo ſit, qui dubitet, τὰς ἐπιδόσεις γεγενημένας οὐ διὰ τοὺς ἐμμένοντας τοῖς καθεστῶσιν, ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐπανορθοῦντας, καὶ τολμῶντας ἀεί τι κινεῖν τῶν μὴ καλῶς ἐχόντων· *incrementa facta eſſe non per eos, qui uſitatis acquieſcerent, ſed per hos, qui ea emendarent, & conarentur ſemper aliquid novare in rebus non bene conſtitutis*, ut ait Iſocrates (*in Euagora p.* 450.) Ipſa barbaries eſt, & barbariei origo, in iis fines certos ponere, ultra quos, velut ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα, non liceat nec progredi, nec cogitare: ignavia eſt, a ſtupore plerumque & tarditate nata, & ab voluptatis dulcedine nutrita, in artibus ac diſciplinarum ſtudiis imitari naturam corporis, quae, quia corporea, & cum natura beſtiarum ſimilitudine conjuncta eſt, paucis, mediocribus, atque iisdem contenta, novitatem non modo non deſiderat valde, ſed etiam aſpernatur. Quodſi omnium ingenia tali αὐταρκείᾳ delectarentur, profecto vel nullae omnino artes eſſent, vel poſt tot ſecula adhuc in primis earum initiis haereremus, nec, ſi quando barbaries artes vel deleviſſet, vel corrupiſſet, ulla inſtauratio poſſet contingere. Nunc cum in bonis ingeniis inſideat naturalis illa vis, quae in res novas melioresque feratur, non eſt timendum, ne aut non ſubinde nova incrementa capiant artes, aut non exiſtant, qui corruptelis doctrinae, ab adverſo quodam fato inductis, conentur mederi, non aliquando medeantur. Nam & religio ipſa, cum eſſet foede inquinata humanis commen-

V

mentis & barbariae ſordibus, vehementerque obſcurata literarum ſacrarum ignoratione, Deus homines per inſitam illam magnis & praeclaris ingeniis vim impulit, ut repurgandorum & emendandorum ſacrorum ſtudium ſuſciperent, curamque capeſſerent, nec deterreri ſinerent ſe clamoribus eorum, qui novandi libidinem ac temeritatem exprobrarent, & novas illas ſacrorum librorum interpretationes, & dogmata nova, ita appellabant, negarent ferenda. Nihil dicam de artibus iis, quae non ingenium animumve humanum amplectuntur, ſed ad vitae humanae vel neceſſitatem, vel jucunditatem diriguntur: in quibus vel ſua ſponte vident omnes, quam felix humanae vitae fuerit ille novitatis amor: quo ſine ea etiamnum in illa priſca, & inter barbaras utriusque orbis gentes adhuc reliqua ruditate, ac paene dicam inhumanitate, jaceret: ad quam ſi repente redigeremur, in magnae poenae loco poneremus. Itaque non dubitavit poëta in regionibus beatorum collocare etiam eos, qui vitam inventas excoluere per artes, non modo magnas illas & eruditas intelligens, ſed etiam ceteras & populares: quarum fructus etiam latius patet.

Sed habet illud novitatis ſtudium duas cautiones, primam Iſocrateam illam, ut novare aliquid conemur in rebus non bene conſtitutis, non ita, ut bene conſtituta novandi libidine convellamus: qui locus eſt valde lubricus. Eſt enim magni judicii, quid recte ſecusve ſe habeat in artibus ac doctrinae ſtudiis, perſpicere, nec minoris animi, ad novandum judicio potius, quam inſcitia & temeritate impelli. Itaque hic quoque valet illud Graeci, qui, ἀμαθίαν μὲν θράσος, φρόνησιν δ' ὄκνον φέρειν, ajebat: & ut levitatem ingenii parum culti praecipitem ad inanes, ſaepe etiam pernicioſas, opiniones fert novitatis amor, praeſertim de rebus ſacris ac divinis, ſic judicandi ſolertia & uſus ab novandi feſtinatione retardat. Altera cautio eſt, ut novitas inventorum ſecum ferat novas utilitates, quae non ſint in opinione inani, nec vana oratione jactentur, ſed rei veritate probentur: quae eſt rara novorum inventorum laus, praeſertim in iis artibus, quae non ſola mentis agitatione continentur, & velut in ſe vertuntur, ſed in agendo cernuntur ac proban-

tur.

tur. Nam, ut veriſſime ait, non magis hiſtoriae, quam prudentiae auctor praeclarus, Livius (XLIV. 41.) *pleraque inventa nova mortalium in verbis vim habent: experiendo, cum agi, non; quemadmodum agatur, ediſſeri oportet, ſine ullo effectu evaneſcunt.* Quod ab illo de inventis militaribus & novis rei bellicae inſtitutis dictum, & ſaepe uſu compertum, patet latius. In re ruſtica, agriſque colendis, quam multos per annos agitavere ſe & exercuere ingenia, quam multa nova inventa audivimus jactari; per quae fertilitas agrorum vel augeri, vel elici e terra poſſet, ut majores frugum copias efferrent agri? quae pleraque vanitatis convicit uſus, non legum magis novarum, quam aliorum inventorum veriſſimus judex. Nam ſicut illa, quae Stoicorum paradoxa dicuntur, habent ſpeciem probabilem, cum diſputandi ſubtilitate tractantur, *cum ventum ad verum eſt*, ut ait ille, inaniſſima veritatis reperiuntur: ſic illa inventa blandiuntur, cum in ſe & rationibus ſuis ſpectantur, cum a verbis res venit ad manus, deſtituunt ſpem & exſpectationem.

Ac neſcimus, an ſimillima ſaepe ſit ratio eorum inventorum, quibus artem medendi locupletarunt ingenia hominum doctiſſimorum. Neque hoc ad jocum conferri volumus cum feſtivo Dialogorum, ad Lucianeorum ſimilitudinem ſcriptorum, auctore, Fontanellio, qui, poſt excultam diligentius medicam artem, non minus multos mori dicit: ſed de ſubtiliter excogitatis rationibus, quibus eam artem vel certiorem, non in agendo, ſed in intelligendo atque explicando, vel philoſophiae ſubtilitati propiorem efficere doctiſſimi atque ingenioſiſſimi viri conati ſunt: quorum ingenium, ſubtilitatem atque doctrinam niſi agnoſceremus ac laudaremus, profecto nihil admodum videremus. Sed illa ars magis efficax in agendo, & gratioſa in juvando eſſe vult, quam acuta & ſubtilis in diſſerendo: ſubtiles autem, atque ad philoſophicam & mathematicam ἀκριβείαν exactae rationes, blandiuntur illae quidem ingeniis ad ſubtilitatem excultis, ceterum, ſi quis ad actum traducere tentat, repugnant ipſae conanti, & ab naturae morborumque varietate & inconſtantia eluduntur. Itaque Sextus ille, ſubtilis adverſus doctrinas diſputator, maluit non ſubtilis eſſe, cum facile poſſet,

in arte medica, & in Empiricis numerari, non his, quos nunc appellamus, expertes doctrinae liberalis, atque usum inexpertum sequentes & jactantes, sed quos antiqua aetas laudabat: qui continerent artificium suum cognoscendis per usum anatomicum corporibus humanis, & per observationes assiduas morborum caussis, eventis, vicissitudinibus, atque decursibus universis, viribus denique medicamentorum in quocunque genere corporum atque morborum.

Ex quo genere nuper apud nos fuit Fridericus Augustus Sandelius, qui a multis annis in hac urbe medicinam, & aliis, & sibi felicem fecit. In qua facienda plurimum nitebatur diligentia observandi morbos, & scientia medicamentorum, quorum vim usu longo & accurato etiam ante cognoverat, quam ad artis medicae studium se contulisset. Et ille non erat alienus a doctrina subtiliori, quam a clarissimis scholae nostrae quondam Professoribus acceperat, nec contemnebat subtiliores artis auctores: admirabatur etiam, iisque favebat: sed cum faciendae medicinae totum se destinasset a principio, magis hoc curabat, quomodo morbos recte cognitos medicamentis idoneis depelleret, quam quomodo subtilitatem doctrinae consectaretur: praesertim cum propter diligentiam & facilitatem curandi, (quippe etiam amabat eos, qui curam ejus expetere solebant) ab ita multis olim expeteretur, ut tempus cognoscendarum indagandarumque talium rerum non daretur. Ita cum bene & utiliter faceret, aequum se etiam in judicandis & laudandis aliorum conatibus praebebat: quae est rara laus in omni genere doctorum: plerisque nihil nisi sua admirantibus, & aliorum laudem in contemtum sui stulta & superba interpretatione trahentibus. Nam etiam inventa ea, quae subtilitatis modo laudem consequuntur, utilitatem vitae humanae non attingunt, tamen hactenus probanda sunt, quoad habent acriorem quandam ingenii contentionem, quae ipsa ingenium acuit, & agitationem quandam liberalem, nec alienam ab eruditi hominis institutis. Erat autem omnino Sandelius vir ingenii ita placidi atque benigni, ut omnibus aequum se, comem, facilem, obsequiosum denique praeberet, nulla obtrectatione, invidia, aut malignitate

tate tangeretur: quas virtutes, praeter pietatem adversus Deum, etiam simplicitas quaedam morum, & frugalitas vitae antiqua alebat ac sustentabat: quae, quia semper satis habet, semper dives est, aut raros, aut nullos aditus dat vitiis, quibus plus nimio laborat, quae omnium minime debebat, eruditorum natio. Et erat ille dives, non ad regulam philosophorum, de frugalitate & αὐταρκεία disputantium, sed ad popularem trutinam, &, ut bene nummati loqui solent: utebatur autem divitiis non ad locupletium modum, sed ad philosophorum normam: easque moriens ita collocavit, ut animum, amicorum etiam mortuorum memorem, & pietatis, integritatis, fideique amantem luculenter demonstraret.

Venit in hanc urbem ab extremis Germaniae finibus, natus Otine, Episcopi Lubecensis sede, anno superioris seculi duodenonagesimo a. d. xv. Junii, patre Josepho Alexandro, Episcopi cubiculario, avo Josepho, viro honesto, qui Halis in Suevia vinariam fecit, matre autem Anna Sophia Oelrichia, & avia paterna Anna Maria Clemannia. Matrem amisit annos natus sex, patre autem orbatus est in seculi hujus initiis. Sed curam educandi pueri, annos tum tredecim nati, suscepit Joannes Philippus Foertschius, Archiater & Consiliarius aulicus Episcopi, & ultima patris voluntate, & indole pueri motus, quam per amicitiae paternae occasionem cognoverat. Institutus est religionis & literarum initiis ab domesticis doctoribus: post datus in Gymnasium oppidanum, quod tum Rectoris Enochi Swantenii fama celebrabatur, cujus fidem & dexteritatem mirifice solebat laudare. Is erat filius alterius Enochi Swantenii, qui post Professionem Poëseos Rostochiensem, Rectoratum Scholae Lubecensis, ad extremum Professionem Theologiae in eadem illa Academia tenuerat, scriptis etiam inter eruditos notus. Sed in illa Foertschiana tutela, amorem traxerat rei medicae. Itaque primum ad artem medicamentariam contulit animum: quam ita feliciter didicerat, ut, tirociniis positis, apud nos in Linkianam officinam adscitus, opera sua per aliquot annos probata, Provisoris locum tenuerit: fuitque ad extremum usque carus Linkianae domui, non modo propter fidem,

ſed etiam, quod illam omnibus officiis, grati animi & amoris cauſa, colebat. Inter haec animus ejus, ad majora adſpirans, incenſus eſt ipſius doctrinae medicae ſtudio, cui obſequendi magna facultas dabatur: in quo incendebatur etiam atque adjuvabatur ab Linkiis. Itaque primum privatum magiſtrum ſibi ſumſit, Taudium quendam, Medicinae Candidatum, deinde publicos ſectatus eſt, Rivinum, Schacherum & Etmullerum. Nec his contentus, Roſtochium abiit, & illius ſcholae Medicos aſſidue audivit. Decurſo legitimo doctrinae ſtadio, coepit peregrinari per Batavos & Britannos. Ex quo itinere, dum per Trajectum ad Rhenum iter faceret, diſceptata Exercitatione de Angina, Joſepho Serruerio praeſide, ipſis Idibus Julii a XII. honores doctrinae medicae Academicos rite cepit. Reverſus in hanc urbem, in qua ſedem fortunarum collocare in animo habebat, coepit medicinam facere, magno ſucceſſu. Erat enim notus multis & probatus, & commendabatur plurimum ab Linkiis, & felices ejus curationes erant. Itaque anno poſt, menſe Septembri, accepit in matrimonium Sabinam Eliſabetham, Chriſtiani Wolfii, Medici probatiſſimi, filiam, & forma, & animi virtutibus ornatam, quacum ad annum duodequadrageſimum, hoc eſt, XXV. annos amplius, ſine prole, ſed concordiſſime, vixit: nec poſt aliud conjugium iniit. Sed illa felicia initia medicinae faciundae non deſtituerunt anni ſequentes, ſemperque a quam plurimis ejus opera eſt expetita. Mortuo autem uxore, cum viduitatem teneret, accederetque paullatim ſenectus, ſubtrahere ſe coepit praxi operoſiori, nec inhians lucro, & cupiens paullo plus otii habere ad exercitationes pietatis, & ad fruendos amicos, quorum conſuetudine mirifice acquieſcebat.

Valetudine uſus eſt percommoda & perpetua. Erat enim corpus robuſtum, & naturale robur tranquillitate animi, & temperantia ſuſtentabatur: niſi quod tribus extremis annis, morbo arquato & defluxionibus laboravit crebrius. Menſe autem Septembri ſuperioris anni, correptus eſt febri catarrhali, quae benignior ab initio videbatur, & ſine periculo. Nam tuſſis ſupervenerat, per quam rejiceretur improba materia. Sed majus malum ſuſpicatus, vocavit in conſilium Pohlium,

V. C.

V. C. quem, ut primum in hanc urbem ſtudiorum cauſa venit, benigne exceptum, & omni ratione fotum, etiam heredem teſtamento reliquit, & de communi conſilio medicamentis uſus eſt. Enimvero, die tertio & quarto Octobris, major vis morbi erupit, per quam rejectio muci reprimeretur, & pectus opprimeretur ita, ut ejusdem diei hora ſecunda pomeridiana, inter preces & cantus circumſtantium, animam placide exſpiraret. Quo tempore mitior morbus erat, crebris etiam recreatus eſt ſermonibus Jo. Jac. Boſii, Viri S. R. quibus animus converteretur ad futuram vitam, & cupiditatem diſcedendi ex hujus vitae turbis & miſeriis. Vixit annos ſeptuaginta cum tribus menſibus & diebus XIV. quae eſt longa aetas numero annorum aeſtimantibus. Sed nihil longum eſt, in quo eſt extremum, ad quod cum perveneris, praeteritum non minus breve ſentias, quam tempus quamvis anguſtum. Una aeternitas longa eſt: ad quam, bene facietis, Cives cariſſimi, ſi omnem vitam pietate animi, ſanctitate morum conferatis. P. P. Dominica Palmarum A. CIϽIϽCCLIX.

MEMORIA CAROLI GOTFRIDI WINKLERI

J. U. DOCTORIS IN CURIA SUPREMA LIPSIENSI ET CONSISTORIO REGIO PATRONI CAUSARUM ORDINARII ET SENATORIS AEDILITII CIVITATIS LIPSIENSIS.

In institutis civitatum nobilissimarum hoc positum reperimus fuisse, ut in honoribus tribuendis praecipua ratio duceretur eorum, qui a nobilitate, hoc est, ut Aristoteles bene definit, antiqua generis virtute & opulentia (Polit. IV. 8) commendarentur: non ut ceterorum virtus & industria ab eorum spe & aditu prorsus submoveretur: esset enim indignum, & reipublicae parum salutare; sed quod & aequitatis ratio illis magis suffragaretur, & major ac certior, ut in rebus humanis, reipublicae bene gerendae ac fortiter defendendae spes in illorum nobilitate, quam in ceterorum novitate, ostenderetur. In quo ne vanae opinionis levitatem, aut stultam nominum imaginumque admirationem plus, quam rem & veritatem, valuisse putemus, novorum hominum apud Graecos Romanosque, & Philosophorum ipsorum, aucto-

auctoritas impedire videtur, qui eam consuetudinem non modo non tolli de republica voluerunt, sed etiam, ut partem disciplinae publicae, bene constitutae, conservandam existimarunt. Ac profecto si causa haec agenda sit nobilitati, tot tamque bonis argumentis eam possit defendere, ut, nisi ei nimis obstet invidia, haud dubie vincere debere videatur.

Ac primum, quamquam leve videatur, quod dicturus sum, praetermitti tamen non debet; natura ipsa nos imbuit ad omnis, etiam in rebus sensu vitaque carentibus, nedum humanis, antiquitatis venerationem. Τιμιώτατον τὸ πρεσβύτατον, *honoratissimum est antiquissimum*, verissime ait Philosophus (Met. I, 3.) In arcibus principum magis venerabundi intuemur vetustatem integram, quam magnificentissimam novitatem, & in majori honore esse solet arboris procerae & annosae etiam mediocris fecunditas, quam junioris & bonis succis lascivientis felix ubertas. Quanto magis consentaneum est, virtutem veterem, ejusque etiam non maximas reliquias, in honoris delectu praeferri recenti, cujus qualis vis futura sit in posterum, ignoretur? Nam ut in arboribus repentina fertilitas raro diuturna est, sic in genere humili & obscuro, si quis excellentius quid effert, rarissime ad posteros nova bonitas propagatur. Atque etiam si volemus de novis hominibus recordari, quos antiquitas tradit ad summa pervenisse, & nobilitatem familiae suae intulisse, reperiemus, plerosque non nimis bonis artibus ad eum gradum esse enisos, nec tam innocentiae quam potentiae exemplum iis, qui ex se nascerentur, reliquisse. Omnino raro, etiam in nobilitate, ad honores magnos adscenditur, nisi per aliquam ingentium virtutum pariter atque vitiorum mixturam, nedum ab his, qui ad eos tanto difficilius se adscendere posse intelligunt, quanto longius absint ab nobilitatis splendore. In Atheniensi quidem republica, quicunque nulla nobilitatis suae suffragatione principes civitatis facti sunt, vitiorum magis quam virtutum magnitudine eo, quo contenderant, pervenere: Romae autem de ignobili genere vix quemquam, praeter Catonem Censorium & Ciceronem, solis bonis artibus & adeptos esse summos honores & tuitos reperimus.

Quod ſi in honoribus accipiendis rerum bene geſtarum praemium, in mandandis autem gratus adverſus bene meritos animus cernitur: profecto & nobilitas in petendo juſtam quandam mercedem poſtulat, & in tribuendo, quod majorum meritis debetur, perſolvitur. Neque enim, qui bene de republica, conſulendo, vigilando, laborando, merentur, aut in breve modo vitae ſuae tempus proſunt, non etiam poſteritatem amplectuntur, aut ſibi pro curis, laboribus, odiis, periculis, reipublicae cauſa ſuſceptis, ſatisfactum putant honoris ſui brevitate, & non de ſuis meritis aliquid ad poſteros ſuos volunt redundare, quorum felicitatem animis ac ſpe praecipiunt, & ad ſe vel maxime pertinere putant. Ut, qui rem privatam bene gerunt, non ſua modo cauſa laborant, ſed etiam, atque adeo multo magis, liberorum atque nepotum, quos vel maxime cupiunt ſuis laboribus ac ſudoribus frui: ita, qui rempublicam bene gerunt, etſi maxime ipſam rempublicam & officium ſequuntur, tamen & liberis ſuis in poſterum ſe proſpicere & putant, & volunt, & vero etiam debent: praeſertim cum etiam in iis ſit aliqua reipublicae pars, quae parentibus ad tuendum atque ornandum etiam divinitus eſt commendata. Cicero quidem, homo novus, & interdum non ſatis aequus nobilitatis voluntati vindicandorum ſibi honorum, (Agrar. II. 1.) tamen dignitatem generis in ornamentis numerat, quibus fretum ad Conſulatus petitionem accedere par ſit (Muren. 7.) nec reprehendit Serv. Sulpicium, quod etiam nobilitate dignitatem candidati aeſtimet, ſed quod nobilitatem Murenae contemnat, & poſtquam Conſulatum & nobilitatem generi ſuo intulerat, ipſe filio ſuo petebat, & ſperabat, quae alii nobiles talium parentum cauſa poſtulabant: *Commendo*, inquit (Catil. IV. extr.) *vobis parvum meum filium: cui ſatis erit praeſidii non modo ad ſalutem, ſed etiam ad dignitatem, ſi ejus, qui haec omnia ſuo ſolus periculo conſervaverit, illum eſſe filium memineritis.* Neque ea aut injuſta aut irrita fuit ſpes patris. Nam filius, quamquam nihil de paternis bonis habuit, praeter ingenium, tamen per omnes honorum gradus ad Conſulatum pervenit: atque ita patri etiam mortuo ſuum tributum eſt. Ὑπὲρ ἧς τῆς πατρίδος σφόδρα ἐσπούδαζον, δικαίως ταύτην καὶ τεθνεῶτες κληρονομοῦσι, ait

Ly-

Lycurgus Orator (c. Leocrat. c. 20.) *pro qua patria tantopere laborarunt, eam jure suo etiam mortui obtinent.* Sed non aliter mortui patriam, nisi per liberorum nepotumque honores & felicitatem, possunt obtinere.

Et ne res aequitatis modo honestate defendi, non etiam utilitatis publicae fructu commendari putetur, in cujus conservatione non minor aequitas intelligitur; ita multis & magnis utilitatibus institutum hoc tenetur, ut non ab aequitate praeceptum atque sancitum, sed ab ipsa utilitate repertum ac traditum videatur. Nam cum ab ipsa natura sui cuique liberi & posteri ad curam commendentur, ut ante diximus, profecto, ut in re familiari quaerenda & augenda, sic in re publica tuenda & bene gerenda stimulus acerrimus est, quem spes fructus, ad liberos atque nepotes redundaturi, admovet animis. Itaque si iis, qui in republica multis cum laboribus, vigiliis, molestiis, saepe etiam periculis & inimicitiis, administranda versantur, nihil talis spei ostenderetur, omnis meritorum fructus aut gratia cum ipsis moreretur: etsi magis publica, quam privata utilitate moveri debent viri boni: tamen, ut sunt homines, vix sustinerent, otium suum ac commodum relinquere, ut publico servirent, nec tot se laboribus frangerent, nec totam vitam molestiis oppleri sinerent. Nunc, cum cuivis eorum insideat spes illa, se, bene de republica merendo, certum & perpetuo mansurum patrimonium liberis & posteris suis quaerere, tanto alacrius & laetius pro republica laborant, & laborum molestiam etiam posteritatis suae cogitatione leniunt.

Quamquam in illis ipsis, in quibus talis est, e majorum honoribus, opibus ac meritis, nobilitas, magna est reipublicae bene sperandi materies. Quo modo enim non melius speret de iis, quorum amoris erga se, ac studii, & fidei, multa & magna pignora habet? quae aut parva & pauca, aut nulla sunt in ceteris. Latini viros bonos eosdem vocarunt, & qui essent locupletes ac bene de re familiari constituti, & qui fidem publice privatimque servare didicissent: non temere & casu, ut saepe fit in verbis communicandis, sed ratione & consilio. Etenim ut ad fraudem illecebra maxima est in ipsa egestate; cum saepe videamus, non modo

modo eos, qui nunquam viri boni fuerint, ſed etiam, qui in eo numero habiti ſint, cum, vel culpa ſua, vel adverſa aliqua fortuna, ad inopiam reciderint, ad omne genus fraudis praecipites ferri: ſic fidei vinculum haud parvum eſt in bona copia, quae & non neceſſariam ac ſupervacuam fraudem facit, & fidem non modo neceſſitate adſtringit, ſed etiam utilitate commendat. Atque etiam natura hoc fert, ut homines ita magis ament patriam, ut magis multis & magnis bonis in ea fruantur, quod ejus felicitate ſuam contineri, eaque affligenda & vexanda ſe quoque affligi, & bona ſua vexari ac lacerari vident. Unde fit, ut ei magis faveant ac bene cupiant, ejus bonis laetentur, malis ſollicitentur, & in ejus ſalute atque utilitate tuenda libentius & acrius laborent. Cicero quidem, in Sextiana, in iis, qui malis publicis paſcantur, gaudeant periculis & incommodis, ipſis hoſtibus patriae faveant, eorumque victorias paene ducant ſuas, hoc eſt, in hoſtibus patriae domeſticis, ſub civium perſona latentibus, numerat non modo nocentes, & natura improbos, ſed etiam rebus domeſticis impeditos, in viris autem bonis, & patriae, communisque ſalutis & utilitatis amantibus, ut integros & ſanos, ita de re familiari bene conſtitutos & locupletes. Ita profecto eſt. Non in ſolo, aut in lapidibus & ſaxis aedificiorum, haeret patriae amor, ſed in iis rebus, quas nobis utendas & fruendas patria praebet, & in bonis, quae quisque in patria habet, quorumque vel uſu & ſuavitate tenetur, vel caritate. Itaque, ut ea quisque plura habet, ita magis, niſi ſit valde improbus, amat patriam, cujus tutela tenentur: nec male vulgare proverbium patriam ponit, ubi bene cuique eſt. Quo modo igitur non patriam ament maxime, qui vel ſuorum vel avitorum bonorum habeant plurimum? Non profecto temere Romani, aliique populi nobiles, reipublicae partes omnes, magiſtratus, leges & judicia, aerarium, militiam, iis modo credidere, quorum intereſſet maxime rempublicam bene geri, ſalvam & felicem eſſe, nec ſine cauſa reprehenſus eſt Ariſtoteles, quod Carthaginienſium inſtitutum, magiſtratum locupletibus modo credendi, improbaſſet. Quod ſi bonorum privatorum poſſeſſio tantam habet vim ad patriae amorem,

rem, non profecto minorem tribuere debemus praecipuo juri ac spei consequendorum honorum, praecipuaeque dignitati, in qua generosi animi non modo non minus, sed etiam majus bonum, quam in rei domesticae copiis, ponunt. Nec illa parva commendatio est ad caritatem, si quo in loco habeas cognationes & affinitates multas, & magnas, easque honestas, honoratas & potentes, & amicitias avitas & paternas plurimas, quae sunt nobilitatis & vetustatis bona, & monumenta majorum, quibus cum occurrat cogitatio, & quasi species eorum, a quibus ortus sis, quibus patriam, rem, dignitatis plurimum debeas. Quomodo porro non cara sit civitas ea, in qua tuenda ornandaque, scias, parentes majoresque a multis aetatibus laborasse, pericula multa, etiam vitae & capitis adiisse? Adde, quod amor loci ejus, ubi vivas, non repente venit, aut ad stabilitatem confirmatur. Longo tempore demum ita adsuefiunt non modo oculi, sed etiam animi locis ac regionibus, ut eorum adspectu atque usu aegre careant. Nec hujus modo temporis ratio ducenda est, quod ipsi numerare possumus, valetque ad oculorum adsuefactionem, sed etiam tempus majorum duci debet, quod ad animos patriae terrae veluti firmius devinciendos valere plurimum res ipsa docet. Nam ut alii sensus a majoribus, velut per manus traditi, ad posteros perveniunt, ita multo maxime hic sensus de patria, & amor adversus loca ea, in quibus vitalem spiritum haurire coepimus.

Quae sunt omnia ejusmodi, ut facile intelligatur, quam bene hoc, & utiliter sit institutum, ut meliori conditione sit in honoribus petendis nobilitas. Sed nos non hanc modo nobilitatem intelligimus, quam nostra consuetudo usurpat, sed omnem illam, quam Latinitas antiqua appellat, quae est in majorum virtutibus, divitiis, & honoribus, earumque rerum omnium vetustate. Neque vero Romanis, ut quisque eques est, ita statim nobilis habetur: nam Cicero, ut hoc utamur, ex satis antiqua familia equestri erat, & tamen in nobilitate non censebatur: sed honores in republica gesti dant nobilitatem: nec modo Romae nobilitas erat, sed etiam in aliis urbibus Italiae & provinciarum Romanarum. Itaque saepe apud Ciceronem com-

commemorantur viri, domi ſuae, hoc eſt, in ea civitate, in qua viverent, nobiles, quorum nobilitas ab honoribus, a majoribus in ea civitate geſtis, ducebatur. Adverſus ergo talem nobilitatem civitas noſtra ſemper grata fuit, ornandis, atque ad rempublicam gerendam vocandis iis, quorum familiae vetere opulentia, virtute & honore florerent; cum interea nec novam virtutem contemneret, aut ab honoribus removeret. Sed ea nobilitas vix alia in gente nunc major eſt, vel ornatior honoribus & copiis, quam in Winkleria, quae a duobus prope ſeculis non modo copioſam & nobilem mercaturam in hac urbe fecit, ſed etiam omnibus honoribus urbicis, Conſulatu, Aedilitate, Praetura, ſaepe, magna cum laude ſua, & utilitate publica functa eſt. Neque modo hanc urbicam nobilitatem habet, ſed etiam majorem illam, quae Caeſaris judicio ac beneficio datur, acceptam a Ferdinando III. qui ea a. CIↃIↃCL. quatuor fratres cum patre donavit. Nihil dico de cognationibus & affinitatibus, per quas cum honoratiſſimis & clariſſimis civitatis noſtrae gentibus jungitur.

Ex hac gente fuit is, cujus memoriam commendare inſtituimus, Carolus Gotfridus Winklerus, vir conſultiſſimus, Patronus cauſarum in ſummis Civitatis noſtrae judiciis nuper primarius, & Senator aedilitius. Natus enim eſt in hac urbe a. d. VI. Dec. a. C. CIↃIↃCXCI. patre Chriſtophoro Georgio, Senatore, Centurione urbico, & mercatore primario, e Suſanna Sophia, Chriſtiani Pakbuſchii, in Scabinatu Electorali Aſſeſſoris Senioris, filia. Avum paternum habuit Henricum, mercatorem, proavum autem Georgium, qui, ut ante diximus, cum quatuor filiis, Benedicto, Andrea, Henrico, & Paulo, nobilitatis Germanicae codicillos & inſignia accepit. Pueritiae magiſtros cum alios habuit doctos viros, tum Juſtum Gothardum Rabenerum, qui poſt in templo Thomano Diaconi loco ſacra fecit, virum elegantis & exquiſitae doctrinae: ex cujus diſciplina venit in diſciplinam ſcholae Nicolaitanae, cui tum Ludov. Chriſtianus Crellius praeerat, formandis ingeniis inprimis felix, in qua etiam Chriſtianum Gottlieb Schwarzium praeceptorem habuit, qui poſt doctrina ſua Altorfium illuſtravit. Inde

bene

bene instructus literis ad doctores Academicos audiendos transiit, audivitque assidue, quicunque tum philosophiam, historiam, & jus utrumque maxima cum laude docerent. Itaque in utroque genere disciplinae honores meruit, per quos aditus ad docendum datur. Nam a. CIↃIↃCCXII. Magister philosophiae creatus est, disceptavitque pro cathedra Exercitationem *de potestate legum civilium in jus naturae*, & quatuor annis post a Jure Consultis Vitebergensibus Doctoratum juris accepit, proposita & defensa Diatriba *de Favore pauperum*. Sed antequam faceret, propter quae honos ille expetitur, statuit peragrare partes Europae cultiores, & visere, quae quaeque haberet visenda, & adire viros eruditione claros, ut ex eorum sermonibus proficeret: petitisque primum Belgis & Batavis, per Britanniam adiit Franciam, eaque peragrata, per Germaniam rediit Lipsiam. Tum vero statim adpulit animum ad juris scientiam causis agendis proferendam: quod cum faceret assidue, dextre ac fideliter, facile impetravit, ut ei etiam in Curia superiori & Consistorio regio locus extra ordinem inter Causarum actores daretur, e quo etiam aliquot annis post ad locum inter ordinarios obtinendum provectus est. Sed illa juris scientia, & in causis agendis industria, ei etiam suffragata est in petendo inter Senatores urbanos loco, cooptatusque est in amplissimum Ordinem a. CIↃIↃCCXXIII. cui ita probavit fidem & dexteritatem, ut ei primum a. XXXVII. Magistratus jure dicundo, deinde duodecim annis post aedilitius mandaretur: quo utroque ita functus est, ut nec diligentia in cognoscendo, nec aequitas in decernendo, nec severitas in coërcendo desideraretur.

Neque vero publice modo felix fuit, honoribus capiendis, & republica gerenda, sed etiam privatim, matrimonio honesto & feliciter fecundo. Nam a. CIↃIↃCCXVIII. duxit Joannam Theodoram, virginem ornatissimam, Jo. Philippi Kustneri, Senatoris aedilitii, filiam, quacum multos annos concordissime vixit. Eam amisit ille quidem a. XLIII. ipsis Kalendis Septembribus, sed ex ea habuit subolem, cujus pietate jacturam illam, quamvis magnam ac tristem, solaretur. Nam ei pepererat duas filias, Joannam Sophiam,

&

& Christianam Carolinam: quarum major Friderico Lebrecht Stolzio, viro consultissimo, caussarum in Curia suprema & Consistorio Patrono, minor autem Gotfrido Leonhardo Joechero, viro amplissimo atque consultissimo, in Scabinorum Collegio Adsessori, feliciter collocata est: & filium Corolum Gotfridum, J. U. D. & in Curia suprema Consistorioque regio caussarum oratorem excellentem, & eximiae doctrinae virum. Nam Joannam Charitatem, & Ernestum Ludovicum praematura mors in prima infantia abstulit. Ultimum gaudiorum domesticorum habuit felix matrimonium filii cum ornatissima virgine, Guilielmia Dorothea, viri amplissimi, Christiani Gottlob Marbachii, Praefecti jure dicundo in praefectura Lauchstetina. Sed id gaudium ei parum liquidum fuit, jam tum afflicto valetudine, quae ei vitae finem attulit. Atque id unum ei non satis laetum in rebus fortunisque filii fuit.

Etenim, cum semper prospera valetudine usus esset, quae naturali corporis robore sustentabatur; repente, ante hos quatuor annos, rem suspectam facere coepere animi defectiones, a quibus subinde tentabatur. Etsi autem ita levatus est eo incommodo, ut nihil ei postea tale acciderit: tamen aliquid majoris mali subesse indicavit, primum, sensus lassitudinis in pedibus, cujus caussa nulla appareret: quam mox angustiae pectoris consecutae sunt, quae serum circa praecordia colligi arguerent. Accessit mox pallor oris ejusmodi, qualis esse in vitioso corporis habitu solet. Itaque quamquam obibat munia solita: tamen pristina alacritas plane desiderabatur. Superioris autem anni mense Septembri aucta est vis mali ita, ut domi se continere cogeretur: nec post domo egressus est. Angustiae praecordiorum in dies majores erant: tumor pedum humidus, qui ad genua usque adscenderet: unde Ascites ortus, qui anxietates perpetuas, noctes insomnes, & ultimam imbecillitatem adferret, cui nullam medelam adferre possent viri artis medicae peritissimi Akermannus, & Eccardus, Medicus in Aula regia. Atque ita aegram vitam traxit ad XIX. Maji proxime superioris, quo, haud dubia cum spe melioris vitae, decessit: cujus tranquillitatem & beatitudinem

nem tanto expetebat cupidius, quanto majori miſeriae humanae mole premebatur. Neque enim corpus modo ſubtraxerat rebus humanis, per triſtem morbi neceſſitatem, ſed multo magis animum, quem & adventantis procul mortis admonitu, & Stemleri, Viri S. R. ductu & hortatu, totum ad vitae, & actae in terris, & poſt mortem futurae, cogitationem transtulerat, in cujus una ſpe efficax adverſus acerbitatem incommodorum ſuorum ſolatium reperiebat. Quae ei ſpes etiam corporis & ſanguinis Chriſti pignore ita firmata eſt, ut non modo praeſentis mali ſenſum obtunderet, ſed etiam ad mortis imminentis timorem depellendum valeret.

Quae res magno etiam ſolatio eſſe debet iis omnibus, ad quos jactura viri maxime pertinet. Neque enim non optime actum eſt cum eo, qui bene praeparatus, & ſine timore, hoc tempore, ab hac vita, hoc eſt, ab acerbo ſenſu, & gravi metu malorum publicorum privatorumque diſceſſerit: quando etiam ille, qui ſpei talis, qualis eſt in Chriſtiano bene moriente, expers eſſet, tali tempore non invitum ſe mortuum titulo ſepulcri profeſſus eſt:

Κάτθανον οὐκ ἀέκων, ὅτι παύσομαι ἂν ἐπιμάρτυς
Πολλῶν, ὧνπερ ἰδεῖν ἄλγιον ἦν θανάτου.

Mortuus ſum non invitus, quia jam non ero teſtis,
Multorum, quae videre morte ipſa acerbius eſt.

Vos, Cives cariſſimi, viri, de Civitate noſtra bene meriti, memoriam benigne conſervate, & res humanas omnes, quae nullam certam aut perpetuam oblectationem & ſuavitatem praeſtant, contemnere diſcite. P. P. Domin. XX. p. Trin. A. C. CIƆIƆCCLVIII.

X ELO-

ELOGIUM
HENRICI DIDERICI NEDDERHOFII
RIGA-LIVONI
MEDICINAE STUDIOSI.

In magna & multiplici calamitate, quam nuper Academia noſtra, inprimisque Medicorum Ordo, per epidemici morbi ſaevitiam accepit, vix conſtitui poteſt, utrum magis dolendi ſint ii, quorum e doctrina & arte felici fructum capiebamus, an quorum ingenium & doctrinae ſtudium ſpem egregiam in poſterum faciebat. Nam, ut praeſens utilitas ſuavitatis ſenſu vincat eam, quae ſpe incerta oſtenditur: magis certe favemus iis, de quibus praeclare ſperamus, in eorumque interitu non modo damni dolore, ſed etiam aetatis miſericordia movemur. Hortorum quidem domini magis curant arbuſculas futuro ſeculo profuturas, praeſertim ſua manu ſatas, quam adultas & robuſtas, quarum felici fecunditate dudum fruuntur, & magis dolent, cum frigus, aut alia pernicies, illarum teneritudinem enecavit, quam cum tempeſtatum vis arboris feliciſſimae annoſum robur proſtravit.

Sed in his, quorum acerba & miſerabili morte magnam futuro ſeculo utilitatem interceptam dolemus, non modo communibus illis cauſis movit animos Henr. Dider. Nedderhofius, ſed etiam propriis, iisdemque ad

ad dolendum graviſſimis. Fuit enim in eo alte inſitus amor doctrinae univerſae, qui nulla vi vinci debilitarique poſſet, & ſtudium ejus ſcientiae, ad quam ſe contulerat, rectiſſimum; denique huic Academiae ſe ingeniumque ſuum deſtinaverat. Nam cum & parentis voluntas naturae ejus amorique literarum adverſaretur, & tot ac tantae utilitates ipſi oſtenderentur a mercatura, quae cujusvis animum pellicere, & a literis avertere poſſent; tamen eae res non modo nihil ad reſtinguendam doctrinae liberaliſſimam cupiditatem, ſed etiam plurimum ad inflammandam valuerunt. Itaque jam tum, cum paternae voluntati parens, mercaturam tractabat, tamen, obſequens ſtudio ſuo, horas ſubſecivas, nocturnasque plurimas, conſumſit literis Graecis Latinisque diſcendis: patre autem inopinata & miſerabili morte extincto, illius caſus acerbitatem nullo alio magis ſolatio lenivit, quam quod jam, arte lucroſa relicta, doctrinae ingenuae totum ſe tradere, & cupiditati ſuae indulgere poſſe, ſperabat. Sed ut intelligeres, illum literarum amorem non verbis modo, ut a multis, jactari, neque laboris moleſti fuga, aut temeritate aliqua ſuſceptum eſſe, cui plerique pueri amoris inſiti honeſtum nomen praetendunt, primum tanto ardore aggreſſus eſt ſtudia doctrinae, ut, qui diuturnam ſitim reſtinguere feſtinaret, deinde tanta aſſiduitate & conſtantia perſecutus eſt, ut ab iis nullis neque voluptatum illecebris avocari, neque laborum moleſtiis retardari poſſet. Cujus rei hoc vel maximum argumentum erat, quod in ea doctrina, quam ſibi colendam delegerat, expetenda, non vias ſequebatur eas, quas brevitatis & lenitatis opinio commendat ignavae voluptati, frequentesque facit ac celebres, ſed regiam, quae longo quidem limite, per multosque variae doctrinae moleſtos anfractus, ac tarde, ſed unâ ad veram & perfectam, & utilem, & glorioſam ſcientiam ducit. Itaque in eo etiam pulcerrimum exemplum rectiſſimi ſtudii eluxit, quod vel honori eſſe Medicorum Ordini, vel incitamento artis medicae ſtudia aemulantibus poſſet. Id ne cum mortuo intercidat, vimque ſuam amittat, age, omnem rationem ſtudiorum, quam per ſeptem annos tenuit, hac tabula breviter exponamus.

Ac primum cum in eo eſſet ingenium excellens & ad omnem elegantiam ab ipſa natura factum, literas Graecas & Latinas, & quicquid habet cum his aliquam conjunctionem, avidiſſime didicit, & ipſe ſua ſponte ſentiens elegantiam, quae eſt in ſcriptoribus Latinis Graecisque, & nactus praeceptorem, qui ingenium juvenile, intelligenter interpretando ſcriptores veteres, ad eum ſenſum acuere poſſet, & amorem earum literarum confirmare. Acceſſerat etiam utilitatis in ſcientia medica perſuaſio, & gloriae ſpes, qua ingenia excellentia maxime permoventur. Etenim ita induxerat animum, bonis auctoribus impulſus, ut crederet, ab his literis plurimum ſibi adjumenti fore ad accuratam & excellentem rei medicae ſcientiam comparandam, & hiſtoria artis medicae cognoſcenda didicerat, veterem eſſe hanc Ordinis illius gloriam, ut ei literae, inprimis Graecae, plurimum debere exiſtimarentur; cujus poſſeſſionem ſibi quoque aliquando pro virili parte tuendam putabat. Neque vero ſatis habebat, in primo aut altero vitae Academicae anno, aliquid illis literis tribuere, unam diebus ſingulis horulam audiendo humanitatis aliquo doctore conſumere, quod vulgo faciunt, qui volunt etiam in Academia literis humanioribus operam dare videri: ſed per totum illum ſeptem annorum decurſum, praeclari, de quo ante dixi, magiſtri inſtitutione perpetuo uſus eſt ita, ut una ſaltem quotidie hora apud eum diſceret, nec tamen caeteros earum literarum in hac Academia doctores negligeret. Horum ſtudiorum elegantiae & humanitati adjunxit Philoſophiae ſeveritatem, ſed ita, ut ab ea barbariem vulgarem ſejungeret, cuperetque, ſi Latine diſſerendum aut ſcribendum eſſet, humano more loqui. Itaque cum vernaculum Philoſophum audisſet, cognovit etiam alterum, qui inventa Philoſophorum bene Latine explicaret, omnesque Ciceronis de Philoſophia libros duce & interprete eodem, de quo ante diximus, praeceptore cognovit: unde etiam hunc fructum ſe ajebat retuliſſe, ut non modo, quae bona haberent noſtri Philoſophi, ea fere e veteribus ducta didicerit, ſed eadem etiam melius & uberius explicata legerit. Sed maxime avebat cognoſcere rerum corporearum naturam, eaque cognoſcenda propius

pius accedere ad disciplinam eam, in qua veluti domicilium ingenii atque doctrinae constituere decreverat. In ea porro discenda neque acquievit ea parte, quae est veluti naturae historia, enarratque rerum corporearum φαινόμενα, quae vel sua se sponte offerunt oculis spectantium, vel per artificiorum quaedam quasi tormenta eliciuntur: neque satis habuit ei adjungere alteram, quae visorum rationes causasque indagat & explicat, conjecturalis magna parte & incerta: sed ei adjunxit mathematicam subtilitatem, sine qua fabulae similior est Physice, quam scientiae, vagaturque incertis levium conjecturarum ambagibus, nec patitur se usibus humanis accommodari.

Cum autem universam Physicen tractaret diligenter, tum vero maxime corporis humani partes, & cum singularum naturam & fabricam, tum omnium inter se coagmentationem, structuram, motusque discebat: neque modo ea doctrina percipienda, quae est corporis humani quasi historia, φυσιολογίαν Graeci vocant, sed multo magis altera illa subtiliori, quae corporibus humanis apte curioseque secandis inspiciendisque continetur. In qua non satis habebat adesse magistris, cum cadavera secarent, ultra auditum & visum progredi non ausus, sed ipse cultrum, Anatomiae magistrum optimum, tractabat. Neque aliam ob causam artem corporum per lineas simulandorum discere instituerat, quam ut delineandis sua manu corporis inprimis humani partibus, & accuratius cognosceret ipsas, & earum picturas satis acute spectaret: quod fieri nullo modo potest, nisi oculos arte picturae linearis eruditos afferas. Pari studio curaque versabatur in cognoscendis herbis, materia medica universa, earumque viribus, adsumta etiam Chymia, per quam vel eliceret abditas materiae medicae vires, vel in usus medicos cogeret.

His instructus praesidiis, cum morborum, a quibus infestatur corpus humanum, naturam cognosset, accessit ad discendam medicinam ipsam, quae proprie dicitur, non modo leniorem illam, quae medicamentis debellare conatur morbos, sed etiam alteram efficaciorem, quae manu utitur; ne obstetricia quidem arte neglecta. Sed cum bene intelligeret imbecillita-

tem ingenii humani, & quam facile in tanta rerum multitudine aliquid, quamquam neceſſarium & utile, vel elaberetur, vel non ſatis accurate perciperetur, non modo non defugiebat, ſed etiam quaerebat examina doctorum, quibus vel corrigeretur, ſi quid non ſatis recte cepiſſet, vel admoneretur, ſi quid excidiſſet: inprimisque crebro utebatur exercitationibus diſputandi, quibus vel devincirentur, quae didiciſſet, vel dubitationes eximerentur, vel denique lingua acueretur ad bene dicendum, quod maxime ab initio ſpectaverat, cupiens in hac Academia ſedem fortunarum collocare, & medicina non modo facienda, ſed etiam docenda, operam reipublicae navare.

Ac ne quis exiſtimet, in hac ſtudiorum deſcriptione magis, quod faciendum fuerit, quam quod fecerit Nedderhofius, a nobis eſſe demonſtratum, age, vitam omnem, ut natus, educatus, inprimisque inſtitutus ſit, quod ingenium, qui mores, denique etiam, qui vitae finis fuerit, breviter exponemus.

Natus eſt Rigae in Livonis, a. d. VI. Octobris a. CIↃIↃCCXXX. patre Chriſtophoro, mercatore primario, & in Collegio majori mercatorum ſeniore, viro non modo mercaturae faciendae felici peritia, ſed etiam, ac prope magis, viri boni & religioſi laude in paucis probato, matre Joanna Rennia, e generoſa & nobili Renniorum in Curlandia, ſtirpe. Matrem amiſit mature: ſed animus maternus ipſi reſtitutus eſt per Margaretham, Friderici Wewelii, Praefecti juri dicundo in Conventu Bauſcenſi, filiam, per omnia ſimiliorem matri, quam novercae: cum ipſe eam viciſſim pro vera matre ita coleret & amaret, ut non modo carus ipſi, propter neceſſitudinem, ſed etiam jucundus, propter obſequium, eſſet. Cum nihil prius aut magis curarent parentes, quam ut recto de Deo rebusque divinis omnibus ſenſu imbueretur, tum vero ad veram virtutem praeceptis, aſſuefactione, atque ſuo ipſorum, efficaciſſimo apud liberorum animos, exemplo adductus eſt. Cujus ut in reliquis rebus, ita in eo maximum puer documentum dedit, cum contra ſuum ſtudium, de quo ſupra diximus, mercaturae ſe deſtinari a patre paſſus eſt; cujus faciendae ſcientiam ita ab ipſo accepit, ut in ea diſcenda obſequi ſtudio ſuo vide-

videretur. Cum parentis in ea re difciplina aliquot annis ufus effet, miffus in hanc urbem, commendatusque amico paterno, Arnoldo, fuit apud ipfum, ejusque paullo poft focium, Peinemannum, ita, ut ipfe operam fuam egregie probaret, illi juvenem erectioris indolis omni humanitate complecterentur: culti eam ob caufam ab ipfo ad vitae usque finem omni officio: inprimisque Arnoldus, cujus olim hofpitio, poft etiam amicitia ufus eft. Hic quamquam faciebat maxime, cujus caufa erat a patre miffus, tamen, ut ante diximus, ita indulgebat amori doctrinae liberalis, ut tempus a neceffariis negotiis vacuum in linguis, hiftoriaque confumeret, legendo & faepe colloquendo cum amico erudito, quem fibi adfciverat, ut haberet, cujus confulendi poteftas effet, quoties inter legendum aliquid reperiffet, ex quo ipfe expedire fe non poffet. Vix annum ita exegerat, cum patrem miferabili morte amifit, cujus acerbitatem etiam fratris, eodem fato oppreffi, jactura cumulavit. Nam cum a. L. in hanc urbem veniffet, cum altero filio, qui ex oculis graviter laborabat, ut illius mali curationem expeteret, accidit, ut, repetens Rigam, in trajectu Sinus Curlandici, everfa vento navi, una cum filio mergeretur. Is luctus cum paullulum fe fregiffet, revixit illa priftina voluntas vitae in ftudiis doctrinae potius, quam mercatura, exigendae; cui jam nihil obftare videbatur: confiliumque cepit, totum fe transferre ad literas. Neque tamen id facere fuftinuit, vel inconfulta, vel invita noverca, cupiens ei, quae fibi naturalis matris animum praeftitiffet, etiam filii naturalis pietatem reddere, in eoque fe putabat etiam patri mortuo aliquam pietatis partem perfolvere. Fruftra animo ejus per literas faepe tentato, ipfe Rigam proficifcitur, periculum facturus, fi coram animum ejus flectere in fua vota poffet. Ibi vero cum ei confilium fuum idoneis rationibus, quae juveni ingeniofo & cupido multae in mentem veniebant, probare tentaret, repente una ejus voce, interrogantis, an nollet effe aliquando, quod ipfa fperaffet femper, optaffetque, h. e. fenectutis fuae praefidium? ita fractus eft, ut etiam confilium novum fe penitus abjecturum, nec ullam ejus mentionem porro facturum, promitteret,

ret, niſi matri aliunde proſpexiſſet Deus. Ita tum disceſſit e patria, reverſusque Lipſiam, perſecutus eſt priſtinam vitae rationem. Interea accidit, ut mater, propter illam tantam in priori matrimonio demonſtratam virtutem, a Bernardo Heidwinkelio, Senatore illius Civitatis graviſſimo, expeteretur in matrimonium. Qua conditione accepta, cum ſibi ſatis eſſe in reliquam vitam proviſum putaret, nihil jam reliquum videbatur aequiſſimae matronae, quapropter tantae, tamque honeſtae cari & pii filii cupiditati porro adverſaretur, nec ei liberam poteſtatem faceret, de vitae genere decernendi, in quam ipſi partem videretur. Hoc nuntio, & matris cauſa (noverat enim ſingularem viri virtutem) & ſua ipſius optatiſſimo accepto, non diſtulit a mercatoriis tabernis ad literarum officinas tranſire, deditque nomen Civitati noſtrae a. d. IX. Nov. A. LI. Acceſſit autem jam ante inſtitutus literis Latinis & Graecis, primum in ſchola patria, deinde in hac urbe ab Henrico Gottlob Hentſchio A. M. viro literarum humaniorum exquiſita ſcientia praedito. Sed ita captus erat & illarum ipſarum literarum & magiſtri amore, ut non ejus in iisdem literis diſciplina magis, quam amicitia ſibi porro utendum putaret. Itaque ab initiis vitae Academicae, ad mortem usque, quotidie ad eum diſcendi cauſa ventitavit, eoque duce atque interprete, Julii Caeſaris Commentarios, Ciceronis epiſtolas, omnesque de Philoſophia libros, Ovidii & Virgilii plurima & optima, Celſi libros aliquot, Gesneri Chreſtomathiam Graecam, aliosque ſcriptores Graecos, Erneſtina denique doctrinae ſolidioris initia cognovit. Nec minus aſſiduus fuit in ſcholis Erneſti, quibus Ciceronem, aliosque ſcriptores veteres enarraret, aut bene dicendi praecepta explicaret: ad extremum etiam Hiſtoriam Catholicam enarrantem audivit; & Chriſtium τὸν ῥακοελίτην, cum rem literariam enarraret. Philoſophiae univerſae elementa accepit a Cruſio, cujus etiam Theologiae acroamaticae lectiones, laudabili atque imitatione digniſſimo exemplo, audivit. In phyſicis auditor fuit aſſiduus Winkleri, in Mathematicis Heinſii, uſus inſuper privatim inſtitutione Langii, a quo etiam picturae linearis artificium didicit. Medicae autem artis, cui maxime ſtudium ſuum deſtinaverat, diſcendae cauſa au-

audivit, in Phyſiologicis quidem Plazium & Jankium, in Pathologicis Ludovicum & Rudigerum, eosdemque in Therapeuticis. Herbarum & univerſae materiae medicae ſcientiam accepit a Boſio & Rudigero, Anatomes & Chirurgiae ab Jankio, Ludovico, & Hebenſtreitio, quem etiam Medicinae forenſis praeceptorem habuit. Neque praeceptis cognoſcendis contentus fuit, ſed etiam exercitationibus uſus eſt, quibus vel praeceptorum ſcientia firmaretur, diſputans aſſidue apud Boſium & Rudigerum, & explorandum ſe per examina praebens Ludovico, vel uſum conſequeretur eorum, quae bene didiciſſet, manum admovens cadaveribus ſecandis faſciisque Chirurgicis deligandis apud Jankium, a quo & obſtetriciam artem didicit. Cognovit etiam hiſtoriam artis medicae & librorum de medicina, ſectatus ea cauſa Plazium & Ludovicum. Audiendi autem aſſiduitati adjunxit lectionem librorum in quoque genere praeſtantiſſimorum, quorum egregium, pro illa aetate, apparatum reliquit: nec minorem Anatomicum, quo & ipſe uteretur in diſcendo, & paullo poſt in docendo uti poſſet. Nam in animo habebat, honores Philoſophiae & Medicinae Academicos hoc ipſo anno petere, legitimisque ſpeciminibus edendis, aditum ſibi ad docendi jus munire, ut ad uſum publicum conferret, quae tanto ſtudio ac tanta diligentia, adde etiam ſumtu, didiciſſet. Sed aliter viſum eſt Deo, qui tam praeclarum ingenium ſpectandum oſtendere Academiae noſtrae, non fruendum concedere voluit.

Erat juveni robuſtum in ceteris & validum a natura corpus, pectus tamen minus valebat, ab depreſſiori thorace, per quem etiam reſpirabat difficilius, ut ſaepe anhelanti ſimilior eſſet, quam reſpiranti. Acceſſerat etiam aliquid imbecillitatis ab intemperantia ſtudiorum, quae ex inſita illa & inſatiabili diſcendi cupiditate naſcebatur, fallebatque tanto facilius dulcedine ſua, quanto magis eam robur corporis ſuſtentare videbatur. Et ſuſtentaſſet diu, niſi vis morbi vehementior eum invaſiſſet, cui ſuperandae corpus ita factum atque affectum vix par eſſet. Sed dum ille diſcendi aviditate aſſiduus eſt in valetudinariis, inſpicitque vulnerum curationes, & febre putrida labo-

rantes, haurit vaporis perniciosi tantum, ut ipse febri tali corriperetur. Ejus impetum sensit primum d. XII. Decembris, sed ab initio ita levem, ut nihil periculi subesse videretur: eratque spes mali depellendi, sudoribus blande succedentibus, & diarrhoea miti superveniente, quae medicamentis aptis adjuvabatur. Sed repente die XXVII. gravior vis latentis mali prorupit, petechiis per cutem obortis, & symptomatis accedentibus, quae magnam malignitatem morbi arguerent. Ardor vehemens erat, somnus rarus aut nullus, anxietas praecordiorum maxima. Quae mala quamquam sustentabantur a robore juvenili, remediis idoneis adjuto, quae Ludovicus noster, tanto curiosius adhibebat, quanto erat discipuli optimi amantior: tamen ita aucta sunt, accedente etiam delirio perpetuo, ut iis ad extremum succumbendum esset. Itaque ipsis Kalendis Januariis, cum post diuturnas & vehementes agitationes requiescere videretur, mox placide animam exspiravit.

Ea mors tanto gravius affecit omnes, qui aut per disciplinam, aut consuetudinem, cognitum juvenem habuerant, quo magis non modo illa ingenii, studii, & doctrinae bona tanta dilexerant, sed etiam alia, vel majora, vel gratiora amaverant. Erat in eo species corporis egregia, cujus commendatio etiam eximia humanitate augeretur: religionis & pietatis studium insigne, quod non tam signis communibus, ut assiduitate sacrorum publicorum obeundorum, se proferret, quamquam haec quoque comparebant, quam rerum divinarum cogitatione domestica, quae audiendis lectionibus theologicis, legendisque libris ad excitandum pietatis sensum idoneis, aleretur. Inprimis disertissimas illas Saurini conciones adamarat, quas ita lectione crebra & cupida hauserat animo, ut pulcriores locos, quamvis longos, memoriter recitare posset. Animi prisca integritas erat: dictis factisque omnibus veritas constabat: nihil simulati, nihil tecti. Caverat, ne quid esset in animo, quod dissimulationis involucra desideraret: malebatque probitatem amicitiamque praestare, quam simulare. Praeceptorum tantus amor erat, ut eum etiam fortuito eorum occursu & adspectu exhilarari appareret. Nunquam vidit in

in publico illum primum praeceptorem ſuum, quin, etiamſi eadem die domi viderat, tamen occurreret, cum eo conſiſteret, quorſum tenderet, quomodo valeret, an quid vellet? Superioribus modeſtia, aequalibus ſuavitate carus, omnibus humanitate jucundus erat.

Hujus ergo tam praeclari adoleſcentis memoriam ita conſervate, Cives cariſſimi, ut ei vos religionis amore, literarum ac doctrinae ſtudio, probitate, modeſtia, humanitate, quam ſimillimos praeſtetis. P. P. Domin. Jubilate, A. CIↃIↃCCLVIII.

ELOGIUM
GEORGII GOTFRIDI ZEMISCHII
PHILOSOPHIAE ET BONARUM ARTIUM MAGISTRI.

Ergo illa etiam ſpes deſtituta eſt, quam nobis Zemiſchii ingenium, & ſe jam proferens ad communes literarum uſus doctrina attulerat! & fruſtra Academiae, Theologorumque inprimis ordini, deſtinavimus animo doctorem, qui gloriam ejus, per tot praeclaros viros partam & propagatam late, tueretur! cum veſtigiis avi proavique legendis ac perſequendis ad Theologiae idoneam ſcientiam contenderet. O! ſpes hominum fragiles atque fallaces! Hunc talem juvenem, in quo tantus eſſet ingenii vigor, tanta in omnibus, quae ageret, alacritas, tanta induſtria, ingenii etiam animique hilaritas, quae validi corporis robore niti, & longae vitae ſpem facere videretur, hunc ergo tam mature rapi! & qua die literae bonae valetudinis nunciae venerant, eadem mortis repentinae nuncium afferri! Nempe hic malis noſtris cumulus accedere debebat, ut mors etiam in Academiae veluti ſubolem, ſuccreſcentem ſpei futurae, & prope jam maturitati imminentem, non ſemel ſaeviret, peteretque caput inprimis illius, qui caput ſpei noſtrae eſſet: in quo eripiendo maximus dolor omni-

omnibus inureretur. Meminiſtis enim, Cives optimi, cum ad nos nuncius ille eſſet perlatus, qui ſermo per totam urbem fuerit, quae miſeratio omnium, qui dolor etiam eorum, quibus ne de facie quidem notus fuiſſet. In ea urbe quidem, ubi mortuus eſt, cum percrebruiſſet de morte ejus, nemo fuit, quin vehementer commoveretur, etiam, qui tum primum nomen ejus audiſſet: & in funere ejus, cum in templo verba de eo fierent, tantus eſt exortus non modo fletus, ſed etiam ejulatus omnium, ut dicentis verba exaudiri non poſſent, eſſetque aliquoties intervallum dicendi faciendum. Quid igitur erat, quod tantopere omnes commoveret? quod tam luctuoſum funus illud faceret? Non enim quisquam in eo privatim jacturam gravem fecerat earum rerum, quarum amiſſio vehementius concitare animos ſolet: nec inaudita quaedam & nova dicendi vis illas lacrimas & lamentationes exprimebat: ſed vel ſponte occurrentes animis, vel demonſtratae denique virtutes ingenii animique, memoria eorum, quae vel ipſe egiſſet, vel nos de eo ſperaſſemus, tantum motum afferebant. Occurrebat, hunc eſſe illum Zemiſchium, cujus univerſa juventus nulla non modo vera vitii alicujus turpitudine, ſed ne rumoris quidem & famae, ſuſpicionis denique malignitate violata fuiſſet: de quo omnia omnibus bene dicta atque audita: quod quam rarum ſit in illa aetate, & in hac urbe, tam plena illecebris vitiorum, tam maligna, & ſuſpicionibus indulgente, nemo ignorat: quantae gravitatis & conſtantiae fuerit in eo ingenio, & in fortuna, quae materiam vitiorum alendorum, & inſtrumenta cupiditatum large ſuppeditabat, omnes intelligunt. Felicem vero etiam hoc nomine Zemiſchium, cujus e morte tantus ad tam multos dolor pervenerit, praeſertim rebus pulcerrimis, ingenio, doctrina, virtute, ſpe magna utilitatis communis deſtituta, evocatus! In quo ei laus perſoluta eſt, ut juſtiſſima, ita pulcerrima, quae nobis etiam laudandi otium facit. Serum enim & ſupervacaneum eſt, laudare, poſt tot ac tales ſignificationes, omni profecto laudantis oratione & certiores & uberiores. Quamquam quomodo reticere de laudibus viri poſſumus, cujus vita univerſa eſt ejusmodi, ut, ea perſe-

quen-

quenda, ipsas laudes ejus persequi necesse sit, quarum in vestigia, non leviter impressa, sed penitus expressa, ubique incurrat oratio.

Extulit tam bonam indolem, fecunda praeclaris ingeniis Lipsia a. d. xvi. Aug. A. cIↃIↃcxxxv. Patrem habuit Jo. Gotfridum Zemischium, J. U. D. Jo. Benedicti, mercatoris nostratis filium, matrem autem Joannam Sabinam Oleariam, Gotfridi Olearii, Theologi eximii & clarissimi, filiam ex Christiana Sabina, quae patrem habuerat Ephraemum Langium, J. U. D. & causarum patronum egregium. Patre orbatus est altero anno post: sed parentis jacturam restituit affectus & cura Jo. Gotfridi Baueri, viri illustris, recepta tutela pueri, propter necessitudinem veterem cum gente Olearia: quam ille sustinuit tanto libentius indies ac jucundius, quanto melius id beneficium collocari videbat, ut primum se exserere coeperat ejus ingenium: cujus mature dedit eas significationes, ut omnia esse in puero appareret, quibus, de verissima Socratis aestimatione, magna ingenia metienda sunt. Nam & celeriter arripiebat, quae traderentur, &, quae arripuisset, firmiter retinebat, denique appetentissimus erat discendorum omnium, quorum a peritis audisset laudari scientiam, & privatim publiceque utilem praedicari: in iisque cognoscendis neque labore deterrebatur, neque voluptate avocabatur. Quamquam non necesse habebat laborare, cujus ingenium vi sua laborem discendi tolleret, nec voluptatem desiderabat, cum insitum discendi studium liquidissima voluptate ac dulcedine omnia imbueret. Et incitabatur non modo natura, cujus potentissima cohortatio est, sed etiam matris, matronae prudentissimae, & praeceptorum optimorum amantissimis fidelissimisque praeceptis, ostentantium identidem avi exemplum, ad cujus gloriam ipsi contendendum esset. Primus in disciplinam puerum accepit Casp. Frider. Kempfius, A. M. vir bonis literis egregie instructus, qui nunc in Ecclesia Numburgensi Archidiaconi munere cum laude fungitur. Huic successere, primum Joannes Klingerus, sacerdos post in Variscis, deinde Fridericus Augustus Kuhlius, A. M. sacerdos jam Balsdorfii, villa agri Lipsiensis, cujus dexteritatem & fidem in

se

ſe erudiendo ita laudabat, ut ipſum vehementer & conſtanter amaret.

Inter haec etiam miſſus eſt in ſcholam urbanam ad S. Nicolai aedem: in qua duos annos amplius Ortlobii, inprimisque Haltauſii praeclara diſciplina uſus eſt. Sed ea non contentus, tranſiit in Scholam Thomanam, cupiens uti doctrina Erneſti, quem ita cepit, non modo ſtudio & felicitate diſcendi, ſed etiam humanitate & pudore, ut ei ab illo inde tempore eſſet longe cariſſimus: cum ipſe viciſſim ita ejus diſciplina delectaretur, ut etiam poſthaec, cum in Academiam ſe contuliſſet, omnes ejus publicas privatasque ſcholas, ſive auctores Graecos & Latinos interpretantis, ſive Novi Teſtamenti ſcriptores enarrantis, aſſidue frequentaret, & apud eum dicendi ac diſſerendi exercitationibus, in omni denique ſtudiorum ratione, conſiliis ejus uteretur. Nec minus aſſiduus fuit in ſcholis aliorum, qui aliquam partem doctrinae liberalis, & ea ipſa de cauſa dignam cognitione, inprimisque utilem ad ſcientiam eam, in qua veluti domicilium ingenii collocare conſtituerat, bene docerent: recte exiſtimans, in nullo genere doctrinae, omnium minime autem in Theologia, aliquid eximium atque perfectum exiſtere poſſe, ſi non artium & doctrinarum bonarum omnium fundamentis inaedificaretur. In qua ipſa opinione quidam inerat fructus, quem e literarum humaniorum ſcientia capiebat. Iis enim tractandis didicerat, perfectionem illam, quam in veteribus Graecis & Latinis ſcriptoribus & agnoverunt, & admirati ſunt per tot ſecula, quicunque non deſiperent, quae eſt tanta, ut ad eam tanquam ad exemplar imitationis cura referatur, & tanquam ad normam noſtra omnia exigantur, ac judicentur, eam igitur perfectionem maxima ex parte deberi veteri illi inſtituto, omnium liberalium artium, ſine ullius praetermiſſione, diſcendarum. Fuit enim haec apud Graecos opinio cum ipſis illa doctrinis literarum ad Romanos propagata, omnes artes communi quodam vinculo, & quadam quaſi neceſſitudine colligari, & ſua inter ſe bona communicare. Ex hac autem veriſſima profecto opinione comparata fuit & conſtituta diſciplina juventutis, quae nullius nec ignaviae, nec inſcitiae, libertatem relinqueret,

ex

ex illo artium choro deligendi, quas diſceret, ſed parem neceſſitatem imponeret omnium percipiendarum. Etenim intelligebant, in illa omnium conſociatione & communione, non poſſe ullam, inprimisque rationem dicendi, perfectam eſſe, niſi ab omnium ceterarum ſcientia duceretur. Nec vero alia magis cauſa fuit, propter quam in principiis inſtauratarum literarum tot illis antiquis ſimillimi viri, exiſterent, quam quod illa opinio ac diſciplina reſtituta eſſet, & totum illum artium orbem emetiendum ſumerent, qui ſe ad ſtudia doctrinae contuliſſent.

Hoc ergo cum eſſet perſuaſum Zemiſchio, ita accedendum ſibi putavit ad Theologiam, ut totum illud omnium bonarum artium curriculum ante decurreret: audivitque aſſidue in omnibus Philoſophiae partibus Cruſium, in Phyſicis etiam Winklerum, in Mathematicis Heinſium, in partibus humanitatis variis Gellertum, Chriſtium, atque Joecherum. Adjunxit ſtudium linguae Hebraicae, non vulgari ratione, ſed exquiſite perfecteque diſcendi. Neque enim ſatis habuit, Grammaticae Hebraicae praecepta didiciſſe, & audiſſe, qui libros Hebraicos interpretarentur, Hebenſtreitium τῷ μακαρίτῃ, & Thalemannum, ſed etiam Judaeorum magiſtros intelligere voluit, & dialectos ceteras linguae orientalis, Chaldaicam, Syriacam & Arabicam cognoſcere, ſine quibus linguae Hebraicae perfecta ſcientia eſſe non poteſt, quicquid indignentur ii, qui, in earum ignoratione, tamen aequum putant, ſibi quoque juſtam atque perfectam illius linguae ſcientiam tribui. Et Chaldaicam quidem ac Syriacam didicit magiſtro eodem, quem diximus, Hebenſtreitio, Arabicam ab Michaele Gottingenſi & Reiskio. Cum haec diligenter faceret, aſſidueque tractaret libros ſacros, acceſſit ad ipſam Theologiam, quae ſubtiliter in ſcholis traditur, in cujus partibus prope omnibus praeceptore uſus eſt Cruſio, in parte ea, quae eſt de moribus, Stemlero. Audivit etiam Hiſtoriam Eccleſiae docentes Beyerum, & Koernerum, conſobrinum, cujus etiam conſuetudine & familiaritate impenſe delectabatur. Et putabat ei ſe devinctum beneficio permagno, quod eum, inde a morte matris, usque a ſacerdotii

dotii initia, habuerat ſtudiorum ſuorum rectorem & comitem.

Sed decurſis Academicorum ſtudiorum ſpatiis, cum, Magiſtri Philoſophiae honoribus capeſſendis, aditum ad docendi jus & facultatem tentaret, rationes ſuas valde conturbatas ſenſit bello, quod communem patriam repente oppreſſit. Nam cum eſſet molliori animo, quam ut ſuſtineret coram videre atque audire miſerias communes, ſtatuit diſcedere a patria, dum quies priſtina rediſſet. Habebat autem rationes ſuas ita deſcriptas, ut hiemem exigeret Gottingae, poſt in Batavos iret, non modo ut viſeret, quae ibi viſenda putarentur, ſed ut aliquandiu Lugduni moraretur, & Hemſterhuſium in Graecis, Schultenſium autem in Hebraicis & Arabicis audiret. Et de Gottinga quidem conſilium habuit exitum ſuum: audivitque ibi magno cum fructu in Theologicis Feuerlinum, Geſnerum interpretantem Pindari Odas, & Encyclopaediam, Michaelem denique, excellentem literarum orientalium doctorem: quorum etiam propenſam in ſe voluntatem, & ſingularem erga ſe humanitatem, mirifice praedicabat: ſed de itinere in Batavos conſilium irritum fecere turbae bellicae, quae tum in iſtis regionibus exortae ſunt, per quas iter faciendum erat. Itaque ſatis habuit peragrare inferioris Germaniae partes a bello liberas, & viſere inprimis Hamburgum atque Kilonium: ubi a S. R. Hanio, propinquo ſuo, humaniſſime exceptus, & omni genere benivolentiae atque liberalitatis cumulatus eſt. Ibi cum & conciones aliquoties ad populum habuiſſet, & in diſputationibus publicis doctrinae ſuae elegantiam protuliſſet, eam de ſe opinionem injecit omnibus, ut locus, qui tum inter ſacerdotes vacabat, omnium votis ei deſtinaretur. Sed ipſe patriae ſuae deſtinarat ingenium ſuum, nec ab eo ſe propoſito deduci patiebatur. Itaque cum belli finis longius etiam tum abeſſe videretur, neceſſarium cepit conſilium revertendi domum: rediitque ad nos menſe Octobri a. 1757. cum totum annum abfuiſſet, ſed egregie auctus ſcientia, & multorum praeſtantiſſimorum virorum notitia benivolentiaque beatus, quam ſibi ingenio, doctrina, humanitate, quocunque adveniſſet, celeriter conciliarat.

Dehinc ſerio appulit animum ad id, quod ante iter ſuſceptum deſtinarat, hoc eſt, ad docendum: ejusque rei cauſa pro cathedra diſceptavit libellum, *de Analogia linguarum, ut interpretationis*, ſacrarum inprimis literarum, *ſubſidio*. Id argumentum, nemini ante libello proprio tractatum, erat cum hac de cauſa perdifficile, tum quod ſine plurium linguarum accurata & copioſa ſcientia, & multo uſu, nec intelligi ſatis, nec bene explicari poteſt, habetque multas & magnas cautiones. Non enim illa, quae vulgo dicitur, analogia intelligitur, quam Grammatici in arte ſua tractant, & quae cujusque linguae quaedam quaſi lex eſt, ſed quae ineſt in comparatione linguarum variarum, & qua ſingula verba, ad eorum vim indagandam in lingua ea, in qua idoneis teſtimoniis & propriis cognoſci non poteſt, & qua modos loquendi, quibus conjunctiones idearum exprimuntur: nec modo earum, quae ab eadem origine ducuntur, ſuntque ejusdem matris veluti filiae, quae ipſa ſimilitudine ſua ſororiam conjunctionem ac neceſſitudinem indicant, ſed etiam ceterarum, inprimis earum, quae habent aliquem cultum liberalem. Ea igitur analogia ſaepe interpretibus profuit ad ſenſum verborum accurate & cognoſcendum & definiendum, ſed ita, ut ejus uſus ſenſu magis quodam, ex uſu multo linguarum, & interpretandi adſuetudine teneretur. Zemiſchius autem, ab admonitu praeceptoris ſui Erneſti tentavit & ipſam hujus analogiae notionem circumſcriptius ac ſubtilius definire, & praecepta cautionesque indagare, quibus uſus ejus regeretur. Atque hanc rem ita tractavit, ut bene jacta fundamenta hujus loci viderentur, & ipſo exemplorum delectu & copia judicium facilius reddidit. In ipſa autem diſceptatione publica talem ſe praeſtitit, ut omnes ingenii ſollertiam, doctrinae copiam, & celeritatem mentis & linguae laudarent. Quamquam jam, annis duobus amplius ante, ea bona proferre coeperat, cum Diatriben Erneſti noſtri *de difficultate N. T. bene interpretandi*, in eadem cathedra defenderet. Non ita multo poſt ſcholas coepit habere Syriacas & Graecas, quas qui frequentabant, ejus in utroque genere diſciplinam valde laudabant.

Interea accidit, ut per operarum ferias, quas mercatus

catus autumnalis attulerat, perſuaderi ſibi pateretur ab amico quodam ſuo, ut ſe, valetudinis firmandae, & animi, tum e laboribus aeſtivis, tum e ceteris temporum moleſtiis, recreandi cauſa, eriperet ad breve tempus urbi patriae, abiretque ſecum Salzam in Turingis, unde Gotham & Erfurtum excurrere, viſere bibliothecas, & viros doctos convenire poſſet. Id conſilium in principio ita bene evenire valetudini videbatur, ut magnas gratias ageret amico, qui ſibi tam bene firmandi corporis animique facultatem obtuliſſet. Sed repente in contrarium & ad perniciem verſa ſunt omnia. Nam a. d. XXIII. Oct. cum mane caput levi dolore tentari ſenſiſſet, ſatis hilariter apud amicum pranſus, circa veſperam vehementius cieri ſibi ventriculum a nauſea ſenſit: coepitque, cum magno cruciatu, & difficultate, rejicere, quicquid contineret ventriculus. Id malum ei tum non primum incidebat, ſed aliquoties eum ante ita infeſtarat, ut de vita timeretur. Primum eum invaſerat peregrinantem Hamburgi, poſt iter Kilonienſe: unde redux in hanc urbem, etſi utebatur medicamentis, atque exercitationibus, quae Jankii noſtri ſollertia ei praeſcripſerat: tamen recurrebat ſubinde, & fere cum quadam acerbitatis acceſſione, niſi quod ſuperiori aeſtate aliquid e ſolita vehementia remiſiſſe videbatur. Sed poſt gravem jactationem ex aſſiduo vomendi niſu, ſomnus ſolebat ſupervenire, qui corpus feſſum recrearet. Itaque etiam tum, quamquam trepidantibus, qui aderant, amicis, ipſe nihil admodum metuebat, ſed eos bono animo eſſe jubebat, ubi ſomnus acceſſiſſet, tranſiturum malum affirmans. In quo verus vates fuit. Nam malum illud in perpetuum tranſiit: ſed aliter, quam putarat. Etenim, cum placide per reliquum noctis dormiſſet, nec quicquam amplius timeretur, rem primum ſuſpectam fecit ſomnus ultra conſuetudinem durans, deinde etiam gravior paullatim & ſonantior ſpiritus. Appellatur nomine: non audit: prenſus manu leviter agitatur: concutitur etiam vehementer: ne hoc quidem ſentit. Tum vero, ut in manifeſto periculo, advocantur medicorum, Grabergii & Hufelandii, VV. laudatiſſimorum, auxilia. Expromunt illi, quae tali in re adhibere attinet, omnia: vena etiam

pertunditur: fruſtra. Non revocari ac velut expergefieri ſenſus poſſunt: brevi poſt rhonchi usque aſperiores: ſomnus denique alter, e quo ante rerum humanarum finem non evigilatur. Exuviae illatae ſunt aedi, quae eſt in Urbis Coemeterio, comitante, & funeris ſolemnia celebrante innumerabili hominum multitudine. Laudatus eſt in eadem aede a Georgio Balthaſare Hedeno, in Eccleſia Salzenſi Archidiacono, apud quem diem vitae ultimum egerat. Habebat enim amicitiam cum filio ejus, optimo & humaniſſimo juvene, in communibus apud nos ſtudiis contractam, qui aliquot menſibus ante, fugiens bellicos in his regionibus terrores, domum ſe receperat, nuper autem, magno cum patris luctu, Zemiſchium ſuum ſecutus eſt, illo ipſo tempore, cum ei apud nos honores Magiſtri ab ampliſſimo Philoſophorum Ordine pararentur.

Hunc ergo finem vitae, pulcerrime actae, habuit vir doctiſſimus, triſtem illum quidem, primum ſuis, amitae inprimis, Naundorfiae, matronae optimae, quam merito libenterque, ut alteram matrem, coluerat & obſervarat, & patruo Zemiſchio, Mercatori apud nos primario, apud quem filii locum mutua pietate obtinuerat, conſobrino deinde, Koernero, de quo ſupra diximus, denique etiam nobis, qui non, ut illi, privatam, ſed publicam jacturam, vere aeſtimantibus haud paullo majorem, luximus: ſed profecto felicem ſibi. Quomodo enim non felicem putemus, cui, poſt vitam, ita honeſte a pueris religioſeque actam, licuit a vita diſcedere, cum publice privatimque omnia redundarent miſeriis, quae dolore complerent animos bonorum, ac bene de re publica ſentientium, nec modo praeſentis, ſed etiam futuri temporis cura excruciarent? An vero dubitamus, ipſi tale mortis genus optabile fuiſſe, quod eſſet ſine omni ſenſu acerbitatis, quam mortis praeſentis cogitatio & prope adſpectus habet natura in animis, cum omnium, tum maxime juvenum, praeſertim rebus bonis adfluentium, & optimas ſpes in poſterum, easque propinquas, intuentium. Nobis vero videtur benignitas divina inprimis conſulere voluiſſe ac parcere piae animae, ne, in illo felici ad coeleſtia tranſitu, ti-

more mortis cruciaretur. Erat enim natura timidior in adverſis & periculis, ſed ita, ut in eo corporis magis, quam animi imbecillitas appareret. Nam in ceteris rebus, quas animae humiles timent, nullum timoris veſtigium cernebatur: labores, vigilias, moleſtias omnes, quae ſtudiorum & virtutis cauſa ſubeundae eſſent, vehementer contemnebat. Et illa imbecillitas aliis multis & magnis bonis penſabatur, quae vel a natura acceperat, vel ſtudio & labore pepererat, augebatque modeſtiam in omnibus rebus, quae eſt virtus juventutis maxime & laudabilis & amabilis.

Hujus tam praeclari ingenii fructum cum Academiae & literis interceperit mors praematura, vos quodammodo reddere poteſtis, Commilitones cariſſimi, inprimis vos, qui ſacrarum literarum ſtudia aemulamini. Ejus autem rei haec una ratio eſt, ſi, qua via ille, obſecutus bonis auctoribus, ad eruditionem contendit, eam & vos vel ingrediamini, vel conſtanter perſequamini. Longa eſt, non negamus, & multis locis aſpera, habetque multas & longas ambages, ſed tamen eſt omnibus illis, quae vel ab imperitis, vel ab aſſentatoribus aetatis juvenilis, oſtentantur ignaviae, ſemitis compendiariis, non modo certior, ſed etiam brevior. Deducit enim una ad veram, & ſolidam, & excellentem doctrinam, quem expetitis, expetere certe debetis: ceterae omnes abducunt tanto longius, quanto videntur eſſe breviores. Hoc ergo facietis, & ſimul pietate, probitate, modeſtia vos dignos ſapientiae divinae humanaeque ſtudiis praeſtabitis. P. P. Dominica Palmarum. A. CIƆIƆCCLIX.

ELOGIUM
JO. ZACHARIAE PLATNERI.

Jo. Zacharias Platnerus, Chemnicenſis, natus eſt anno ſuperioris ſeculi quarto & nonageſimo, patre Zacharia, ejusdem civitatis Conſulari. Qui cum mercaturam faceret fructuoſam, eidem exercendae deſtinabat filium. Sed ei conſilio obſtabat pueri valetudo, quae labores mercatorios ſuſtinere vix videbatur poſſe. Erat autem pater is, qui cum literas amaret atque intelligeret, tum rerum naturalium ſcientiam haberet non levem. Itaque domus ejus a doctis hominibus frequentabatur, inque his maxime a Chriſtiano Friderico Garmanno, medico ejus civitatis doctiſſimo. Hic puerum, per valetudinis curam cognitum, celeriter adamavit. Erat enim in eo ingenii vis permagna, nec minor aviditas diſcendi, venuſtas autem quaedam morum, atque orationis lepos, jam tum ejusmodi, facile ut omnium benivolentiam teneret. Is igitur Garmannus, cum admodum delectaretur indole pueri, ſermonibus crebro familiariterque miſcendis allecto perſuadet, ut artem medicam potiſſimum deligeret, in qua ingenium ſuum ſtudiumque collocaret. Eam rem cum parenti facile probaſſet: ſive, quod ipſe plurimi faceret artem, quae a naturae ſcientia duceretur, ſive, quod viri auctoritati multum tribueret; demonſtrat filio, artem illam eſſe ea

na-

natura, ut, nisi quis, multis & magnis literarum Graecarum Latinarumque adjumentis instructus, accedat, nihil in ea magni efficere, aut perfecti, possit. Quare tantum earum literarum studium est injectum puero, adjuvante inprimis ingenio ipso, quod suapte natura illarum elegantia, veluti συμπαθείᾳ quadam, moveretur, ut, aetate deinde & usu roboratum, ad extremum vitae duraverit. Docebat eas tum, in ludo literarum publico, Daniel quidam Mullerus, inprimis magna cum doctrinae & assiduitatis opinione. Etenim semper hoc Ordini civitatis ejus amplissimo fuit curae, ut ingeniis, quorum ibi bonus, ab aliquot seculis, proventus fuit, magistri idonei suppeditarent. Huic igitur Mullero, perceptis aliunde utriusque linguae tirociniis, in disciplinam traditur: qua, per octo ipsos annos, ita usus est, ut magna cum laude, nec minori spe, ad Lipsienses dimitteretur. Hic, cognitis Philosophorum Mathematicorumque disciplinis, contulit se totum ad medicae doctrinae magistros, inprimisque eos, qui tum principes numerabantur, Bohnium atque Rivinum, a quibus non docendo tantum, sed etiam consulendo, juvabatur. Etenim ita capiebantur adolescentis ingenio, studio, atque multo magis humanitate, & elegantia, omnes, ut non modo, quod, propter fidem, necessario omnibus praestarent, id huic, propter benivolentiam, libenter tribuerent, sed etiam cumulare illud munus suum aliis officiis cuperent. Magna tum erat Stahliani nominis, ac disciplinae, per Germaniam, fama, ad ejusque scholas, Halam, ex omnibus partibus confluebant, quicunque excellenter versari in arte medica vellent: quod, quemadmodum olim, tempore quodam, nemo, nisi, qui Alexandriae medicinam didicisset, sic tum a multis nemo, Stahlianae disciplinae expers, in aliquo numero haberetur. Hac fama incensus Platnerus, Halam se confert: non quo ex fama penderet, quam, didicerat ab idoneis auctoribus, esse plerumque in doctoribus Academicis mendacem, quippe ab adolescentibus fere, aliisque non minus imperitis hominibus, solitam commoveri: sed, ut ipse in rem praesentem veniret, suisque sensibus magis, quam alienis sermonibus, crederet, possetque, quid rei esset, cog-

noſcendo judicare. Eo cum veniſſet, Stahlium ipſum non ille quidem reperit: etenim Berolinum nuper commigrarat, ad Domus Regiae valetudinem curandam evocatus: at non unum Stahlianae diſciplinae peritiſſimum doctorem: quos cum audiret, Stahlium paene ipſum videretur audire. Atque in hoc vel maxime cognoſcere licet elegantiam ejus in judicando, quod, cum ſtudioſe ac diligenter eam rationem cognoſſet, tamen ab ea ſe in plerisque alieniſſimum eſſe, nunquam diſſimulavit. Hoc tempore etiam in Chriſtiani Thomaſii notitiam, & prope familiaritatem, pervenit. Etenim non modo aſſiduus aderat ſcholis ejus, quibus vel Cautelas juris, quas ille vocabat, vel Hierarchiae Romanae hiſtoriam Pufendorfianam, interpretaretur, ſed etiam, crebro virum adeundo, ita humanitatem, doctrinam, ingeniique amoenitatem ei probarat, ut, cum in bibliotheca Thomaſiana ſtati conventus haberentur a viris delectis, in quibus de rarioribus illius bibliothecae libris commentatiunculae recitarentur, communi ſodalium judicio edendae, in hunc numerum & ipſe a Thomaſio reciperetur. Quo tempore etiam confirmatus eſt ſcientiae librariae amor, a Menkenio hauſtus, cujus hoſpitio, convictu, bibliotheca, inſtitutione denique, quoad Lipſiae vixerat, etiam in hoc genere uſus fuerat. Adeo nihil ille reliquit intactum, quod vel adjuvare poſſet, vel ornare eam, in qua inprimis elaborabat, ſcientiam, aut expolire ingenium, omninoque ad elegantiam & ſuavitatem conſuetudinis, cum omni hominum politiorum genere, valeret.

Ita ergo excultus ac locupletatus omni, cum neceſſaria, tum eleganti doctrina, primum, Lipſiae, artium liberalium, deinde, Halae, artis medicae Doctor ita creatur, ut omnes judicarent, eum poſſe jam, cum fructu ſtudioſorum, ſcholas medicas habere. Sed, qui conſecutus eſſet, aliis ut ſatisfaceret artis ſcientia, nondum ſatisfaciebat ſibi. Etenim ea erat ingenii & magnitudo, & altitudo, ut mediocritate contentus eſſe non poſſet, neque ſibi conquieſcendum putaret, donec aliquid conſecutus eſſet ejusmodi, quo ſecernere ſe a vulgo, & clarus eſſe inter claros poſſet. Itaque contulit ſe primum Argentoratum, aditis in itinere,

nere, quicunque tum Norimbergae, Altorfii, Auguſtae in Vindelicis, Ulmae, Tubingae & Stutgardiae, clari medica ſcientia eſſent, aut amplam, vel medicam, vel librariam, ſupellectilem haberent. Nobilis tum erat Argentorati, Chirurgiae docendae & faciendae dexteritate, Marius quidam, Francogallus. Ad hunc ergo ſe applicat inprimis, eique frequens adeſt, Chirurgiam praecipiendo demonſtrandoque tradenti: cum interea & in rem praeſentem crebro veniret, adeundis valetudinariis publicis, omnique genere encherefium chirurgicarum ſpectando: neque negligeret, quicunque ibi, aut artis medicae exquiſitiori ſcientia, aut elegantiori doctrina, excellerent: quos ille omnes etiam uſu & conſuetudine frequenti ita ſibi devinxit, ut iis eſſet longe gratiſſimus. Hinc profectus, per Helvetiam, Sabaudiae partem, Lugdunum deinde, & Divionem, venit Lutetiam in Pariſiis. Ibi ſe prope totum dat medicinae efficaciori, quae manu fert opem laborantibus. Nam & univerſas encherefes chirurgicas diſcit ab Antonio Thibaldo, & nobiliores quasdam a ſingulis, qui in aliquo genere inprimis elaboraſſent: velut obſtetricias a Ludovico Phil. Gregorio, cui ſaepe comes haeret, puerperis in partu difficili auxilianti: inprimisque ocularias a Joanne Thoma Wolhuſio, Britanno, quem non modo ſaepe videt morbos oculorum dextre tractare, ſed etiam paullatim imitatur feliciter. Neque faſciarum habenarumque pangendarum artificium negligit, quod peritus ejus magiſter, Ceſavius, demonſtrat: ratus, quod facientibus medicinam praecipit Celſus, artem diſcenti videndum eſſe, ut nec minima negligat: quamquam illud non tam eſt in minimis, quam vulgo numeratur. His agendis cum idoneam ejus artis, quam inprimis appetierat, facultatem conſecutus eſſet, ad reditum in patriam intendit animum: urgentibus etiam parentum literis, quorum deſideria alterius filii mors incenderat. Ceterum ita comparat iter, ut per Batavos iret, viſeretque Boerhavios & Albinos inprimis, medicorum facile tum principes, Anatomicumque Muſeum, quod Amſtelodami inſtruxerat Ruyſchius. Hinc reverſus ad ſuos, mox proficiſcitur Lipſiam, ut, ibi domicilio conſtituto, medicinam docendo faciendoque exerceret. Annus

nus is erat feculi hujus vicefimus. Ibi tum celeriter eluxit ingenium ejus, doctrina, in morbisque curandis dexteritas, praefertim, cum morbos oculorum perite feliciterque tractaret, quorum ante remedia, in quibus quidem manus opera defideraretur, a circumforaneis fere hominibus peti folebant. Itaque etiam aliunde veniebant, qui, in hoc genere, confiliis ejus atque auxilio uterentur: in his etiam ex aula Drefenenfi, qui ophthalmia, cum gravi corneae exulceratione, laboraret. Hic per fcarifationem, a Wolhufio acceptam, feliciter curatus, fuffragatione fua effecit, ut ei Anatomiae & Chirurgiae publice docendae munus extra ordinem mandaretur. Atque hoc initium illi muneris Academici fuit: a quo, per omnes paullatim gradus, ad fummum, inter medicos, locum pervenit: auctus infuper aliis fubinde beneficiis regiis, ut ftipendio, quo extra ordinem frueretur, ad extremum etiam Confiliarii aulici ornamentis. Quibus beneficiis ita grato animo refpondit, ut nullis quamvis lautis conditionibus ad fedem fortunarum alio transferendam induci poffet. Atque etiam ita omnium ordinum judiciis & gratia florebat, adeoque doctrina ejus a ftudiofis, confilia ab aegrotantibus, confuetudo & amicitia ab omni genere hominum elegantiorum, expetebatur, in urbe denique vivebat, ita ingenii ejus & elegantiae & nobilitati opportuna, ut fedi femel conftitutae omnibus vinculis usque ad mortem adftrictus teneretur. De qua prius quam dicamus, de difciplina ejus, inftitutis, omninoque vivendi genere exponendum videtur.

In difcipulis fuis effe volebat inprimis Graecarum & Latinarum literarum non levem fcientiam. Nam & ipfe Latine in fcholis differebat, & Graecos Latinosque medicinae veteris auctores, Hippocratem maxime, Aretaeum, & Celfum legi volebat. Itaque affidue utriusque linguae ftudium commendabat, hactenus tamen, ut ne ad id toti adhaerefcerent, nec, illius dulcedine capti, medicas difciplinas ipfas negligentius tractarent. Ipfe libenter horas fubfecivas, veteribus omnis generis fcriptoribus legendis, confumebat, eorumque amicitia & confuetudine delectabatur inprimis, quos fciret in his literis maxime effe verfatos.

ſatos. Harum literarum elegantiae jungebat doctrinae mathematicae ſeveritatem, varietatemque naturae, ita temperans utramque, ut nec ad mathematicorum ſubtilitatem trahi conjecturalem medicinae ſcientiam ſineret, nec naturae cognoſcendae ſtudium ad inanem luſum oblectationemque magis, quam utilitatem artis medicae, referri pateretur. Cauſarum inveſtigationem probabat eam, quae & poſita eſſet in facultate noſtra, non ita abſconditis a natura penitusque retruſis rebus, ut nulla ingenii acies ad eas penetrare poſſet, & morborum cognitionem atque depulſionem juvaret. In ceteris honeſtius eſſe cenſebat, ignorantiam confiteri, quam vanis ſapientiae ſimulacris eludi. Atque ut ab Empiricorum ſtupore ac temeritate deterrebat ſuos, ſic nihil tam inane, tamque noxium eſſe demonſtrabat, quam inductas in diſciplinam opiniones, unde omnium rerum ratio redderetur, ὑποθέσεις hodie Dialectici vocant: quae, per ſpeciem ſapientiae, fallerent homines parum acutos, & a vera naturae, omninoque artis medicae ſcientia comparanda avocarent. Juſtam & legitimam artis medicae ſcientiam cenſebat, primum, accurata corporis humani notitia, quae, cadaveribus aſſidue ac diligenter ſecandis, & muneribus actionibusque ejus omnibus obſervandis, teneretur: tum, ſcientia morborum omnium, cauſarumque, a quibus, quomodo & quibus in locis, vel naſcerentur, vel variarentur, vel denique, cum hominum vel ſalute, vel pernicie, extinguerentur; quam iisdem e fontibus repeti volebat: materiae porro medicae, omninoque medicamentorum, cognitione, ab experimentis Chymicis, & obſervatione, ducta, quae vim cujusque, in morbo & corpore quoque, doceret: denique, prudenti medicamentorum delectu, atque ad corporis cujusque naturam, temporumque opportunitates, attemperato uſu. Inprimisque commendabat ſtudium Chirurgiae, antiquiſſimi generis medendi, & adverſus ejus obtrectatores defendebat: neque eam ſolum ad Chirurgorum curationes conſilio regendas, atque temeritatem coërcendam aſſumi volebat, ſed etiam ad internos morbos depellendos: cujus rationis ille primus apud nos auctor fuiſſe perhibetur. Etenim, nec hos

aut

aut satis intelligi plerumque, aut scienter atque efficaciter curari posse, existimabat, nisi ea vitiorum genera, quae manu tractarentur, essent perspecta: quippe, quae externis corporis partibus acciderent, sensibus illa obvia, eadem in partium internarum viscerumque morbis evenire: quae non posse rite cognosci, nisi externis illis vitiis perspectis, a quibus illa sede magis, quam natura, discreparent. Itaque assidue scholas chirurgicas habebat: quae ut hoc fructuosiores essent, omnem librorum, instrumentorumque chirurgicorum apparatum congerebat, nullis parcens sumtibus, ut, quicquid ubique, in eo genere, aut scriptum, aut inventum esset, suppeditaret. Docebat assidue, summa cum dexteritate ac fide. Latini sermonis magna facilitas erat, par perspicuitas & elegantia: quae augebatur etiam pronunciandi suavitate: rerum exquisitus delectus, ordo concinnus: demonstrationes gravitate subtili, perspicuitate prope populari: totum genus differendi nativa quadam venustate conditum. Nihil arcani: retecta omnia atque aperta: quippe etiam ξύσιν oculorum, cujus artificium, cum instrumento, grandi pecunia a Wolhusio redemerat, liberaliter cum omnibus communicabat. Itaque hoc unum ille desiderii sui reliquit idoneum solatium, quod non unum reliquit similem sui. Neque tam scientiam ejus ademtam dolemus, quam ipsum.

Medicinam fecit magna cum nominis fama. Etenim curabat modeste, caute, ac diligenter, neque minori cum jucunditate ac felicitate. Nemini se offerebat: & tamen a pluribus, quam vellet, expetebatur. Nulla arcanorum jactatio erat: nullus aliorum contemtus: in dictis & factis summus pudor: a quo etiam primam medico commendationem volebat peti. In consilio capiendo neque festinatione, neque audacia utebatur: melius existimans tardius, si modo certius, quam celerius, sed periculosius, decernere. In periculosis suspenso gradu vadebat, fateri etiam dubitationem & periculum solitus: unde timorem imperiti, aut invidi, interpretabantur, quod candoris & prudentiae erat. Sed ubi semel, rebus omnibus ponderatis & cognitis, ceperat consilium, fidenti & constan-

ſtanti animo urgebat propoſitum, neque ab eo ſe abduci eventis fortuitis ſinebat: quippe ſcientiae & recte facti conſcientia nitebatur, quae omnem trepidationem & inconſtantiam fugat. Neque acerba remedia fugiebat, ubi lenibus & jucundis proficere non daretur: ſaevam lenitatem exiſtimans, quae cum periculo aegrotantium eſſet conjuncta. Itaque interdum etiam per febres, ſpasmos, inflammationes, ſuppurationesque, arte concitatas, ad ſalutem graſſabatur. Ceterum ubi mitior ratio ſatis efficax videbatur, lenia praeferebat, rheum, aquas minerales, corticem Peruvianum, & ſimilia. Atque, ut ratione magis duci, quam conſuetudine, videres, multa contra conſuetudinem, & inveteratas opiniones medentium, factitabat, unde ei ab initio prope bellum indictum eſt a mulierculis, quae ſuae quoque cognitionis eſſe aegrotantium, inprimis puerperarum, curationes putabant. Proximis a partu diebus alvum, vel eluendo, vel ciendo, purgabat, magno cum puerperarum levamento. Nam ea ratione non raro & purpuram imminentem repreſſit, & intermiſſum lochiorum fluxum reſtituit. Neque dubitabat clyſtere uti in omnibus acutis morbis, in quibus exiſtunt ea, quae exanthemata dicuntur: quae res proſpere ceſſit in multis. Medicamenta e genere terreno in ventriculo roborando repudiabat, iisque frangi potius ventriculi vires, quam firmari, docebat. Multas curationes nobiles fecit revocatis ſaepe ad ſalutem, qui pro depoſitis haberentur. Ut mittam oculorum curationes, quarum ſupra mentio injecta eſt, quas ille, inprimis per ξύσιν, feliciter, centies amplius, fecit: multos, qui phthiſi deſperata crederentur laborare, rhei diuturniori uſu perſanavit: hydrocelen, paucis ante mortem annis, bis feliciter curavit, ſemel etiam in homine imbecillo, & gravi tabe paene exhauſto: adoleſcenti genu, convulſum infelici ſaltu, & debilitatum, aquae deſtillatione firmavit: ſurditatem per concitatum vehemens in oſſe, quod maſtoides vocant, ulcus depulit: ani fiſtulas, male aliquoties cultro tentatas, ſectione ſuſtulit: feminis, quae aliquoties abortum feciſſent, rhabarbari, terreis & nitro miſti, uſu roboravit uterum, ut contineret, ad maturitatem usque, prolem: ul-

ulcera pedum inveterata & tumores, frustra tentatis aliorum auxiliis, saepe vinctura in perpetuum coërcuit atque siccavit: feminam foedo oris sapore, cujus causa nulla appareret, liberavit, incisa supra mammas carne, qua, jussa animadvertere, doloris aliquid senserat, & tabo plurimo, eoque teterrimo, inde detracto. Quibus rebus, multisque aliis similibus, tantam sui fiduciam injecit hominibus, ut, in gravissimis ac desperatis morbis, ad eum, tanquam ad certam salutem, confugerent. Neque vero medicamentis semper, iisque aut multis, aut solis, adversus morbos pugnabat, quod medicamentorum propolis magis, quam medicis dicebat convenire: sed vel maxime victu regendo, omninoque iis, quae minima vulgo putantur, diligenter videndis, secutus praeceptum Celsi: de quo etiam ejus extat oratio. Pari ratione etiam rectam hominum valetudinem tuebatur, publice privatimque monens, quae prodessent valetudinis firmitati, quaeque obessent: quo pertinent, quae de morbis ex immunditie, de thoracibus, de aquae fontanae salubritate, de pallore per adversam valetudinem quaesito, de somno infantum ex agitatione cunarum, de somno in cubiculis calefactis, de actione negotiosa propter valetudinem circumcidenda, scripsit. Curandi dexteritatem, prudentiamque, commendabat ingenii suavitas, morumque elegantia singularis. Nihil in eo asperi, nisi forte necessitas & aegrotantium salus exigeret, aut inepta & noxia muliercularum sedulitas aliter coërceri non posset: nihil non moderatum, atque ad urbanitatem exquisitam compositum. Omnia ei veniebant in mentem, quae, tempore quoque, ac loco, apte, urbane, ac suaviter dicerentur. Quam facultatem, ab ingenio datam, idoneis lectiunculis alebat. Itaque, si tempus erat, totas horas apud aegrotos desidebat, eosque non consilio magis juvabat, quam sermone recreabat. Adeo ille etiam mutam atque tristem artem, disertam efficiebat hilaremque!

Nihil aeque curaverat, quam ut scientiam, ad medicinam recte vel docendam, vel faciendam, necessariam, in potestate haberet, neque circa commentarios medicos trepidare cogeretur, quoties aut scho-

lae

lae habendae essent, aut ad opem ferendam vocaretur: quod qui necesse habent in ullo genere disciplinae, vere vivunt in diem. Itaque etiam ad examina eorum, qui docendi potestatem peterent, non magis ipse praeparatus veniebat, quam, qui examinarentur, aequata, quoad posset, conditione utriusque: iniquum ratus, tironem respondere imparatum juberi, quae veteranus interrogare imparatus non posset: neque cogebatur de schedula interrogare, a qua si aut oculos dimoveret, aut alterius vel inscitia, vel calliditate, abstraheretur, captum se ac proditum ostenderet. His radicibus etiam fiducia illa nitebatur, qua eum usum esse diximus in curationibus morborum: cum facere se sciret, quae oporteret, etiam si non sequerentur, quae vellet.

Pleraque scripsit per occasiones Academicas, cum aut ipse munus publice docendi adiret, aut Doctores artis medicae inaugurarentur, aut sectiones cadaverum publicas indiceret, aut denique produceret, qui disputandi facultatem vellent ostendere. Argumenta, si quidem ab his discesseris, quae ante commemoravimus, sunt fere ex Anatome interiori, inprimisque Chirurgia, cujus eum maxime studiosum diximus. Orationes inaugurandis Doctoribus habuit non paucas. In quibus ille non difficilia artis capita tractabat, quae nemo, nisi artis peritus, intelligeret, sed quae ab omnibus ex aequo intelligi, omnibusque vel emolumento esse, vel delectationi, possent: inhumanum ratus, omnium ordinum hominibus ad audiendum convocatis, ea dici, quae non omnes vel audire vellent, vel intelligere possent. Quod institutum ille etiam in multis programmatis tenuit, quibus ad solemnia inaugurationum invitaret: cum invitare homines consentaneum putaret per ea, quae possent legere. Illud etiam animadverti ab eo saepe spectatum, ut programmatum & orationum argumenta consentirent argumentis Disputationum, quae pro Doctoris honoribus defenderentur: veluti, cum Disputationi, de Rubore, prolusit, de pallore per adversam valetudinem quaesito, ea autem finita, de pudore medici dixit: quod omnes vident, neque doctrinae, neque ingenii vulgaris esse. Ea facultas si non dabatur,

ſalva illa, quam dixi, dicendi popularitate, ad perſonas inaugurandorum ita attemperabat orationem, aut ad tempora, ut facile elegantia in argumento deligendo appareret. Principatum in ſcriptis ejus facile tenent Inſtitutiones Chirurgiae rationalis, cum medicae, tum ejus, quae manu fit, natae illae e ſcholis, quas per multos annos habuit, chirurgicis, diuturnaque obſervatione & uſu: opus deſcriptione, perſpicuitate, ſubtilitate, copia variae doctrinae, atque etiam elegantia, commendabile. Ab inflammationibus orſus, explicatis earum eventis, vulnerum, tumorum, ulcerum, fiſtularum genera, oſſium morbos, atque alia inſuper vitia, perſequitur, quae manus curam in curando deſiderant. Reliquis morbis ſtatim curandi praecepta ſubjicit, conſulens in eo tironibus pariter atque magiſtris, ne, iſtis a ſe divulſis, repetendorum antea dictorum moleſta neceſſitas conſequatur. Nihil eſt in ullo genere, quod ad hanc rationem pertineat, uſpiam inventum ab ullo, quod in hoc libello deſideres: eaque omnia exquiſito delectu, miraque brevitate, ſine ulla obſcuritate, explicantur: ſi quis quidem veteris, interdum etiam interioris, Latinitatis non ſit rudis, cujus ille amantiſſimus erat. Commemorantur etiam paſſim, qui de ſingulis capitibus diligentius ſcripſerunt: quod facile erat ei, qui in lautiſſima ſupellectili librorum eſſet. In ſcribendo nihil tam laborabat, quam ut perſpicuus eſſet; praeſertim cum fere in docendo verſaretur. Itaque etiam minus vinciebat orationem, & pronomina interdum magis frequentabat, quam elegantia aurium ferret. In orationibus limatior eſt: quae tamen & ipſae leniter & aequabiliter decurrunt. Puritatem quidem, praeterquam in paucis, diligenter conſervavit. Inprimisque delectum verborum amplectebatur: neque alia de cauſa laborioſe, ut ajebat ipſe, ſcribebat, quam quod in illo delectu ſibi non adeo facile ſatisfaciebat.

Bibliothecam reliquit, qualis nunquam antea in hac urbe fuit, ſi non ſcriptorum veterum Graecorum & Latinorum delectu & copia, aut alio quo elegantiori genere, quamquam in his quoque excellebat, at medicorum librorum apparatu, quem habuit, cum in omni ge-

genere egregium, tum in Anatomico & Chirurgico, historiaque medica, tam locupletem & plenum, ut nihil propemodum ei deesset, quod ullo tempore, aut loco, scriptum de tali argumento extaret. Atque ipse auditus est paucis ante, quam mortuus est, diebus, cum diceret, nihil se quidem magnopere scire de Chirurgicis & Anatomicis, quod addi posse videretur. Peregrini quidem medici, qui ad eam visendam venerant, fateri solebant, nihil se simile uspiam vidisse: ut dolendum videatur, tantum, tot annorum studio, tantisque sumtibus, congestum thesaurum tam celeriter dissipari.

Sed cum satis de disciplina ejus, institutisque, dixerimus, qualis in reliqua ratione vivendi fuerit, paucis addemus. Religionem sine ambitione colebat, recte & magnifice, hoc est, convenienter naturae ac librorum divinorum auctoritati, de Deo, rebusque divinis, sentiendo, se suaque omnia voluntati Dei permittendo; a cujus benignitate tranquille expectabat, quae alii artibus omnibus anxie peterent. Superstitionem non modo communi sapientum omnium odio prosequebatur, sed etiam proprio quodam: cum eam omni tempore obfuisse demonstraret verae medicinae. Bonum virum fuisse, ne inimici quidem abnuerint. Nihil ficti inerat, nihil simulati: nihil assentationis servilis, etsi saepe cum Principibus & aulicis versato: nulla avaritia: nullae malae aut sordidae, vel in honoribus, vel in pecuniis quaerendis, artes: ingenii altitudine omnia humilia longe excedente: magnum contra eorum, qui talibus uterentur, odium. Atque ille boni & prudentis viri laudem non modo animi quadam magnitudine, & officii cura adpetebat, sed etiam ad perfectionem laudis medicae assumendam putabat. Amicitias tanto majori cum fide colebat, quanto majus praesidium ad vitae humanae suavitatem in iis ponebat. Nihil tam difficile ac molestum putabat, quod non amicorum causa libenter, ac sine omni utilitatis respectu, faceret. Iis porro se totum aperiebat, cautus alioqui, & non ignarus latebrarum & fraudum, quae esse in animis humanis solerent. Unde haud difficile est, intelligere, quanta fuerit in deligendis amicis diligentia. Amicos

Z autem

autem probabat ab ingenii ſuavitate, doctrina, boni publici ſtudio, omninoque honeſtatis amore, atque etiam ἐπηρείας patientia. Ipſius autem amicitia tanto magis expetebatur & colebatur a multis, quo magis ea, & propter doctrinam, prudentiamque viri, fructuoſa, & propter ſuavitatem ingenii jucunda reperiebatur.

Quo minus eſt mirandum, ejus mortem acerbam omnibus & luctuoſam accidiſſe: cum prope nemo esſet, quin aliquam in eo jacturam videretur feciſſe. Ea ipſi evenit a. d. XIX. Decembris anni a. C. N. CIƆIƆCCXLVII. poſt gravem & repentinam pectoris oppreſſionem, quae eum in coetu amicorum erat adorta. Nam hinc ſella adoperta domum perlatus, cum vix cubiculum eſſet ingreſſus, apoplexia extinctus eſt. Reliquit filias duas, totidemque filios: quos, optabile eſt, parentis gloriam, pro ingenii facultate, tueri, & novis laudibus cumulare.

ELO-

ELOGIUM

JUSTI GOTFRIDI GUNZII.

Justus Gotfridus Gunzius natus eſt in oppidulo ad radices Saxi Regii, a quo & nomen habet, XII. M. P. ab urbe Dreſena, anno hujus ſeculi quartodecimo, ipſis Kalendis Martiis, patre Gotfrido, ſacrorum ibi tum antiſtite. Initiis literarum a praeceptore domeſtico perceptis, miſſus eſt Gorlitium in Luſatos, ad capiendum omnium humaniorum literarum cultum: unde bene conformatus diſceſſit Lipſiam ad altiorum literarum, inprimisque Medicae artis, ſtudium: ad quod ille, ſive ingenii bonitate incenſus, ſive ab auctoribus bonis admonitus, ita acceſſit, ut non mediocrem artis vel intelligendae, vel faciendae ſcientiam ſibi comparandam putaret, ſed ut in utroque genere aliquando excellere cuperet. Itaque primum ſe ad Phyſicos contulit, ſed eos, qui ipſius naturae velut audiendae ſpectandaeque facultatem, per experimentorum aditum, darent. Phyſices autem amoenitati adjunxit ſeveritatem mathematicae doctrinae, ſine qua juſtam aut utilem doctrinae medicae ſcientiam contingere non poſſe, Walthero, Medico tum primario, crediderat, uſus excellenti Richteri Hauſeniique diſciplina. Sic praeparatus acceſſit ad doctrinae medicae partes omnes cognoſcendas, quas ei Waltherus, Platnerus, Hebenſtreitius, Quelmalzius,

Pezoldus, Crellius tradidere: quorum omnium dexteritatem fidemque laudabat, & voluntatem erga se amabat, sed maxime Waltheri in inveniendo felicem solertiam & acumen, Platneri in docendo elegantiam & subtilitatem, in curando diligentiam, lenitatem, constantiam, Hebenstreitii autem incredibilem doctrinae varietatem & copiam admirabatur, consequi conabatur, ad extremum se consecutum esse factis ostendit. Posthaec, editis legitimis profectus speciminibus, primum Philosophiae, deinde medicae artis doctor creatus, coepit, quae feliciter didicerat, aliis tradendo, aditum sibi ad locum inter doctores medicinae publicos munire. Qui ei paullo post datus est, suffragante inprimis Walthero. Jussus enim est Anatomen & Chirurgiam inter Professores regios extra ordinem docere. Ante vero, quam Scholas publicas aperiret, iter per Jenam, Gotham, Cassellas, Marpurgum, Giessam, Moguntiacum, Wormatiam, Argentoratum, & Lotharingos, fecit Lutetiam Parisiorum: quacunque transiret, non modo medicis claris, sed etiam literatoribus, historicis, philosophis, bibliothecis publicis privatisque, & quaecunque visenda quaeque urbs haberet, aditis, cognitisque. Lutetiae autem, qua maxime intenderat iter, eadem ille quidem curiose fecit, sed magis tamen, hoc est, diligentia & assiduitate summa, usus est exercitationibus anatomicis & chirurgicis, adjutus consiliis exemplisque clarissimorum, qui tum erant, virorum: velut in corporibus secandis, Haunalti & Bertini; in curationibus, quae manu fiunt universis, Guerini & Ledrani: in obstetriciis separatim, Gregorii: in ocularіis denique, Sanct-Yvonis. Quibus omnibus, & eas, quae in discendo exercendoque laudantur, virtutes, & quae in vita usuque familiari amantur, ita probavit, ut etiam absentem laudarent, amarent, omnibusque officiis colerent. His agendis cum decem ipsos menses in Urbe exegisset, percellitur repentino mortis paternae nuncio, cogiturque, abjecto commorationis diuturnioris consilio, reditum in patriam parare. Sed hunc quoque gubernat discendi aviditas, quae satiari non potest. Nam per Flandros Brabantosque in Batavos abit, visitque Insulas, Gandavum, Bruxellas, Antverpiam,

piam, Roterodamum, Harlemum, Hagas, Lugdunum, Trajectum, Amstelodamum, &c. Multorum ibi summorum in arte medica virorum, non modo in notitiam, sed amicitiam venit; adeo celeriter & doctrinam & humanitatem ejus adamarant: in his Switenii, alterius Boerhavii, quocum ei ab illo tempore ad mortem usque intercessit, literis ultro citroque mittendis, & omni genere officiorum sustentata. Reversus Lipsiam, quod factum est anno undequadragesimo ad finem vergente, statim scholas publicas privatasque coepit habere, inprimis in eo genere, ad quod maxime studium suum contulerat, edens etiam subinde in publicum aliquid exquisitae observationis, aut inventorum suorum, ut de calculi curandi viis, quas chirurgi Franco-Galli invenissent, de commodo parturientium situ, de arteria maxillari interna, de herniis: quae omnia sic probata sunt peritioribus, ut medici exteri eum primariis in suo genere viris haud dubie adnumerarent. Sed etiam principes in hac urbe medici sic judicabant, nominatim Platnerus, idoneus certe judex, nec prodigus ille laudis: qui saepe inter amicos eum medicorum in hac urbe eruditissimum pronunciavit. Quamquam rebus ita se judicare ostendit, cum Chirurgiae institutiones, quas absolvere per valetudinem ipse non posset, per eum potissimum absolvi vellet. Quo minus mirandum est, si mox omnes undique honores in eum congesti sunt, qui cadere in ejus ordinis virum possent. Nam adscitus est anno XLIV. suffragante Bertino, in Academiae Scientiarum Parisiensis consortium, primum hactenus, ut per literas inventa a se & observata ad Academicos referret, mox, ut ipse in Academicorum numero esset: anno autem XLVI. in Academiam Rothomagensem, & ad extremum in Suecicam. Neque domestica ei praemia defuere. Nam a. XLVII. Physiologiam, proxime sequente, Anatomen & Chirurgiam, publice inter ordinarios profiteri jussus est: duobus autem post evocatus est Dresenam, ad Regis valetudinem curandam, & Collegium Medico-Chirurgicum consiliis & auctoritate regendum, hac conditione, ut locum inter Professores Lipsienses reti-

neret, & ipſe legeret, qui ſua vice Anatomen & Chirurgiam Lipſiae doceret.

Omnium maxime adamaverat Anatomen: quam qui negligerent, aut contemnerent, velut ſordidam, foedam, & parum ſalubrem, nihil aliud niſi ignaviam profiteri judicabat. Nec profecto mundius & elegantius eſt, fiſtulas ani inſpicere, & hernias tractare, nec ſalubrius, valetudinaria obire. Atque etiam hanc ob cauſam videatur puriſſima, quod eam ſolam Empiricorum vulgus profanum non attingit. Sed omnium illa medicae doctrinae partium eſt difficillima, ipſo Hippocrate (*de Corde, init.*) negante, cujusvis eſſe, corpora ſecando bene tractare. At Gunzii erat. Etenim nec ſumtibus in comparando inſtrumento Anatomico, nec labori in exercendo, nec ſibi unquam pepercerat: mentem, oculos, manum, cultellos denique ipſos, ita ſibi obedientes diligentia & aſſuetudine reddiderat, ut nunquam aberrarent. In hac porro fabricae humanae indagatione ſolis oculis credebat: his ipſis tum demum, cum aliquoties idem teſtati eſſent: non ignarus, quam facile oculi viderent, quod videre vellemus, quam facile ſpecie inani deciperentur: nihil opinionibus tribuebat, omnia cultello: munditia denique tanta adhibebatur, ut nec delicatiorum oculi demonſtrationes ejus refugerent, quas etiam facilitas quaedam explicandarum rerum, rationumque reddendarum commendabat, tanta illa, ut omnibus appareret, dudum in poteſtate habuiſſe virum, quae aliis traderet.

Multa in omni parte medicae doctrinae vel invenit, & vidit primus, vel ea luce perfudit, ut inveniſſe videretur. Interiorem arteriam maxillarem, in quam ille carotida exteriorem deſinere putabat, longe planius & diligentius ipſo Winſlovio deſcripſit: at vaſa lymphatica & venas, quae in ligamento, quo hepar ſuſpenditur, medio atque ſiniſtro ad ſeptum transverſum, & peritoneum adſcendunt, primus deſcripſit, pictura lineari expreſſit, & quem uſum in corpore humano haberent, oſtendit. Glandulae θυρεοειδοῦς fabricam figuramque, cartilaginem κρικοειδῆ, & muſculos στερνοειδεῖς, στερνοθυρεοειδεῖς, στυλοειδεῖς, κρικοθυρεοειδεῖς, aliosque, novis obſervationibus, in Academicorum Pariſienſium Com-

Commentarios relatis, illuſtravit, itemque ſepta, quibus corporis humani cava dirimuntur, quae ille primus docuit, non per medium duci, ſed cavum quodque, ut ſpinam Circum Romanum, inaequaliter partiri. Nec minus lucis adfudit cerebri partibus, matri piae & ἀραχνοειδεῖ, lobis, ſubſtantiae corticali & medullari, matrisque durae in falcis ſpeciem propagationi & ſinubus, glandulae pineali, ventriculis, infundibulo, fornici, aliisque. Nihil tam laborabat, quam ut omnium corporis partium ſitum recte definiret atque deſcriberet, cujus diligentiae ſpecimina utilia exſtant in libello *de Utero & muliebribus*. Nec minus curabat hoc, ut, ſicut alia Medicorum & Chirurgorum inventa, ita, quae diligentiſſimus quisque apud exteros partium corporis indagator reperiſſet, & ipſe cognoſceret, & cum ſtudioſis in praelectionibus communicaret, velut de fabrica, figura, mutationibus uſuque oſſium in infantibus recens natis, pueris, & adoleſcentibus, aliaque permulta, nullis parcens ſumtibus, dum ſtudio ſuo obſequeretur, & ſtudioſorum utilitati conſuleret. Neque ſatis habebat, naturam partium corporis omnium accuratius cognoviſſe, obſervationis ſolam vel ſuavitatem vel laudem expetens, ſed ad uſum curationum, tum earum, quae medicamentis fiunt, tum, quae manum deſiderant, conferre tentabat. Nam & morbos, & vitia, quae infeſtant corpus humanum, in his ἀμαυρώσιν, σταφύλωμα, & cataractam, itemque hernias & ozaenam maxillae, ita perveſtigavit, ut novos medendi modos exquireret & meliores. In quo ei ſubinde accidit, quod multis ante ipſum viris magnis, ut invidia ei fieret ab iis, qui etiam in curationibus morborum aliquid innovari, niſi ab ſe, non ferrent; ut, cum Peruvianum corticem, & vomitoria adhiberet in morbis iis, in quorum curationes eis nondum aditum conſuetudo & conſenſus medentium feciſſet. Sed eam ille invidiam ſuperabat conſtantia, & eventu curationum magnarum felici, qui ei tam ſaepe contigit, ut certatim eum & admirarentur alii, & imitarentur, ii autem, qui periculoſius aegrotarent, ejus auxilium inprimis expeterent.

Multa ſcripſit, plena obſervationum maxime, tum alius bonae frugis, pleraque per occaſiones ſcholaſticas, ut in doctoribus creandis, Anatomicis exercitationibus indicendis, aut juvenibus ad diſputandum producendis, quaedam etiam in Commentarios exterarum Academiarum relata, de libris medicis in Actis Lipſienſibus plurima, libellos denique alios. Hippocratis libellos de *humoribus purgandis & de Diaeta acutorum*, itemque *Epidem. Sect. I. a Guil. Dureto* cum Verſione Latina & commentariis doctis editos, non modo repetendos formis Lipſienſibus curavit, ſed etiam novis animadverſionibus verborum atque rerum auxit, praefixa etiam elegante & erudita praefatione. Atque in animo habebat edere *alterum Volumen Aëtii*, & *Celſum* emendare atque illuſtrare, comparatis undique librorum & ſcriptorum & editorum ſubſidiis: ſed id conſilium mors praematura deſtituit.

Etenim cum ab adoleſcentia incredibili flagraſſet diſcendi ſtudio, cuperetque excellere inter paucos, incidit in quandam legendi cogitandique quaſi intemperantiam, qua commiſit, ut hypochondria vitium contraherent. Ejus mali vis primum erupit anno ſexto & quadrageſimo, non ſine periculo vitae; quod ille quidem tum evaſit, ceterum ſubinde illius mali reliquias & ſenſit & timuit. Auctis deinde & negotiis, & moleſtiis munerum, magis in dies fractum eſt corpus natura ſua non admodum robuſtum; cujus latentia vitia amicis color oris pallidus & luridus ſatis indicabat. Nec ipſe ignorabat imminens periculum. Nam anno toto ante, quam occubuit, animadverterat, arteriae motum tertio quoque tempore hiare, & imbecillitatem corporis in dies augeri ſentiebat. Ipſum diſcrimen eum oppreſſit anno LIV. menſe Junio, in procinctu itineris in Poloniam, quo in comitatu regio iturus erat. Nam repente eum invaſit primum imbecillitas, qualis eſſe a defatigatione gravi ſolet, mox catarrhus vehemens, ſed tanto cum aeſtu, ut celeriter in febrim acutam exardeſceret, ex qua inflammatio orta, cujus perſpicua ſigna ſexta die, mortem adeſſe, nunciabant: quae altero die, h. e. a. d. XXII. Jun. conſecuta eſt, magno cum moerore ſuorum, ac dolore omnium, qui viri ingenium, doctrinam,

nam, artem, virtutemque cognovissent, & quanta in eo jactura facta esset, judicare possent. Uxorem habuit Joannam Caritatem Hocheimeriam, Lipsiensis mercatoris filiam, matronam ornatissimam, ex qua filias duas totidemque filios suscepit: quos paternae laudis hereditatem tueri cupimus.

ELOGIUM
JOANNIS JACOBI MASCOVII

JCTI, REGIS POL. ELECT. SAX. A CONSILIIS AULICIS, IN CURIA LIPS. ADSESSORIS, CAPITULI CIZENSIS DECANI, SENATUS LIPS. PROCONSULIS, AEDIS PETRINAE CURATORIS, ET COLLEGII PRINC. MIN. SODALIS SEN.

Si quis censum ingeniorum humanorum agere, eorumque describere classes instituat, dubius haerere possit, primae gloriam utrum attribuat iis, quorum solertia & fecunditas rebus novis excogitandis inveniendisque se protulit, an, quae elegantiam & venustatem ab natura acceptam, & cultu assiduo auctam, ad vitam humanitate fingendam, ad artes atque doctrinas delectu rerum conformandas, ordine temperandas, & pulcritudine apta exornandas contulerunt. In qua dubitatione explicanda, si nominis potius admiratione trahi se, quam utilitate rei ac pulcritudine duci sinat; secundum inventionem utique sibi decernendum putabit. Est enim profecto major in-

ingenii ſplendor in inveniendi celeritate & ſolertia, quam in judicandi exornandique diligentia & venuſtate; propterea quod primum fortius ferit animos rerum inventarum etiam inutilis novitas & inſolentia, quam ordinis, moderationis, pulcritudinisque tranquilla & ſuavis utilitas; deinde vero etiam majus natura judicatur, res praeclaras bene parere, quam bene partis recte uti. Neque nos ſumus ii, qui Inventorum, qui quidem proprie ac vere dicantur, ingeniis aut invideamus principatum aut detractum velimus; ceterum alterum illud genus ingeniorum, ſi cum iis contendere velit, multa poſſit dicere, per quae principatus ille in diſcrimen adduci, & aequalitas quaedam non iniqua induci videatur, propter quam ejusdem claſſis gradum pari jure obtineant.

Ac primum, magnum verſari dicat errorem, ambiguitatis certe plurimum, in ipſo inventionis verbo, quod conſuetudo, aberrans a proprietate loquendi, liberaliter communicaverit cum multis, quibus illius nominis honos nullo jure tribuatur. Profecto, cum invenire proprium ſit eorum, quorum ingenium aliquid ex ſe parit, & inſita vi ſua atque celeritate res incognitas, arduas & vehementer utiles aſſequitur, & ad uſum communem profert; ab hoc genere lapſa conſuetudo inventionis laudem tribuit etiam his, quibus diligentia potius in animadvertendo, aut elegantia in judicando, aut dexteritas in digerendo & ordinando debetur. Oratorum quidem quae dicitur inventio, ipſo Cicerone judice, nihil aliud eſt, quam animadverſio, & obſervatio eorum, quae res quaeque in ſe habet idonea ad perſuadendum; in qua laus omnis eſt diligentiae. Atque tota illa ars Rhetorum inveniendi, nihil fere niſi regiones demonſtrat, in quibus venere diligentia, & perveſtiges cura, quae poſſint apte dici. (*de Or.* II. 3.) Inter artem quidem & diligentiam paullulum loci relinquitur inventioni, quae proprie dicitur, eſtque ingenii excellentis & felicis, cum vis ejus & fecunditas magnas, novas, & perpulcras ſententias de rebus divinis & humanis gignit, quod Longinus τὸ ἁδρεπήβολον (alii εὐεπήβολον) περὶ τὰς νοήσεις appellat (*de Sublim.* §. 8.) Quae autem Dialecticis inventio dicitur, ea, ſicut tota Dialectica

lectica Rhetoricae eſt, ut Ariſtoteles ait, ἀντίστροφος (*Rhet.* I. 1.) i. e. reſpondens ex altera parte & ſimilis, ita & ipſa inventioni rhetoricae ſimilis eſt, atque, ut bene demonſtrat Verulamius (*de Augm. Scient.* V. 2.) diligentiae potius ac judicii, quam ingenii, res novas ex ſe efferentis, &, ut ille defendit, inventionis, quae proprie dicitur, nomine haud digna. (*ibid.* 3.) Quid? inventa Grammaticorum, Hiſtoricorum, Medicorum, Aſtronomorum item pleraque & Phyſicorum, an aliud ſunt, quam res deprehenſae potius diligentia, & aſſiduitate obſervandi, quam ab ingenio profectae? Quibus autem artium tribuitur inventio, ut Dialecticae Ariſtoteli, quid, ſi vere judicare volumus, tribuitur, niſi eorum, quae ab aliis per partes vel excogitata ingenio eſſent, vel animadvertendo cognita, apta ac diligens digeſtio, & velut bonae materiae elegans ſtructura & coagmentatio. Quodſi his generibus inventionis laudem deberi ſtatuemus, ea certe laus communicabitur cum altero genere ingeniorum, quod non tam inventionis gloriam appetit, quam judicii, elegantiae venuſtatisque laudem. Nam & haec, illis ipſis bonis ſuis exercendis, & in diſciplinarum tractatione uſurpandis, ſaepe diligentia ſua indagant, quae non animadverſa ſunt aliis, & quae aliorum ingeniis reperta ſunt, iis etiam novum decus addunt.

Sed ſemoveamus haec genera ab inventionis communione, & ſublata omni ambiguitate, videamus de iis, qui res tales, quales ante diximus, novas, magnas, & vehementer utiles, ingenio reperiſſe videantur. In his autem primum, ſatis conſtat, fuiſſe permultos, qui minus ingenio, quam caſus cujusdam, ut vulgo loquuntur, felicitate, ſi vere interpretari velimus, a providentia divina, veluti manibus, ad inveniendum ducerentur, cum res ipſae ſua ſponte perſpicuas quasdam ſui anſas praeberent omnia alia quaerentibus, per quas facillime prehendi, & in lucem uſumque protrahi poſſent: quod genus inveniendi, ab initiis inde rerum humanarum maxime frequens, ſi, quoad ingenii vi conſtat, non dicemus anteponere, ſed aequiparare ſe velit elegantiae illi ingenii, de qua loquimur, valde impudens ſit. Nec huic generi multum diſſimile eſt, quod a poëta tribuitur vitae humanae neceſſitati & ege-

egeſtati, quae *varias meditando artes extudit.* Nam haec inventio etiam reperitur in brutis, nec in homine magnam ingenii vim deſiderat. Et ex his tamen generibus ſunt pleraque inventa, propter quae mortales in immortalium numerum honore & gratia relati, ſtatuis, templis, ſacrificiis culti ſunt; non ingenii admiratione: cur enim non & Pythagorae, & Archimedi, & ſimilibus ingeniis, honos ille tributus? ſed beneficii, quod per eorum manus ad homines Deus detuliſſet, amore & grata memoria.

Verum in his, atque in ceteris inventis plerisque doctrinarum, vix operae pretium fecerint auctores, niſi vel ipſis pariter contigerit elegantia ingenii, vel aliorum elegantia ac diligentia eorum inventis ſuccurrat. Nam inventa mortalium pleraque ſunt ab initio tenuia & rudia, eamque ob cauſam minus late patet eorum utilitas, nec habent dignitatis aliquid ac leporis, quo valeant etiam ad liberalem oblectationem. Sed ea cum, velut bona aliqua materia, de auctorum manibus accepta, tractantur ingeniorum elegantium cura & diligentia, non modo luculentiora, utiliora, ornatiora ac jucundiora fiunt, ſed etiam accipiunt quaedam incrementa, eaque ſaepe hujusmodi, quae plus proſint prima tenuitate.

Atque etiam ſunt vitia quaedam ſolemnia his, qui inventis vel conantur diſciplinas augere, vel auxerunt: quibus remedium, niſi ab elegantia ingenii vel ſui vel alieni, eſſe non poteſt. Nam ſaepe & ipſi animadvertimus, & alios, doctiſſimos viros, audivimus queri, multos de genere eorum, qui Inventores eſſent, inventa ſua vel ea obſcuritate involviſſe, ut a paucisſimis, ab his quoque vix, intelligi poſſent, quo nomine etiam magnus Neutonus reprehenditur, vel tanta copia inutilium verborum obruiſſe, in iisque tradendis per tot ac tantas ambages vagatos eſſe, ut a cognoscendo prope deterrerent, plusque laboris & moleſtiae eſſet ſuſtinendum in cognoſcendo, quam utilitatis inde ſperari poſſet in agendo. Quibus, quamquam ingenioſis, quin etiam praeferendi ſint, qui bene cogitata ad perſpicuitatem breviter, & ad oblectandum eleganter, explicare poſſint, non ſinit nos dubitare res & ratio. Nam cum doctrinae ſtudia ſpectent hominum utili-

utilitatem, ad quam referunt intelligentiam ſuam prudentiamque, qui in iis honeſte verſantur; melius eſſe clarum eſt, quod etiam Cicero judicat (*Off.* I. 44.) eloqui bene, modo prudenter, quam vel acutiſſime ſine eloquentia cogitare; quod cogitatio in ſe ipſa vertitur, eloquentia alios, quibus prodeſſe debemus ac volumus, complectitur.

Et non dicimus de his, qui ab illa elegantia deſtituti, etiam inanem rerum novarum ab ſe inventarum opinionem ſuſcipiunt: quod ſolemne omni aetate philoſophis fuit; cum, propter inſcitiam bene & eleganter cogitandi ac dicendi, verborum poteſtates uſitatas non aſſequerentur, iisque temere mutatis, aut etiam novis veterum rerum verbis excogitatis, putarent, ſe novas res ingenio excogitatas protuliſſe, in numero Inventorum ſe collocarent, atque ceteris, qui res dudum cognitas bene & eleganter explicarent, longe praeferrent: qui tantum abeſt, ut in prima ingeniorum claſſe recte cenſeantur, ut etiam ad quintam redigendi videantur.

Illud vero permagnum vitium eſt ac ſolemne, etiam eorum, qui proprie Inventores dicantur, quod, niſi pariter valeant ingenii & judicii elegantia, proclives ſunt ad abutendum inventis ſuis, non modo per vanitatem in iis nimis jactandis, ſed etiam ubivis inculcandis, & omnibus per vim ad eorum rationem trahendis & contorquendis, h. e. pervertendis. Quo nomine Verulamius (*in Novo Organo* I. 54.) recte reprehendebat Gilbertum, clari de Magnete operis auctorem; qui cum ſe in contemplationibus magnetis laborioſiſſime exercuiſſet, eruiſſetque multa ante incognita, ita captus eſt illo ſuo ſtudio, inventisque ſuis, ut etiam philoſophiam iis conſentaneam confingeret.

Horum omnium ſi fecerimus ſummam, intelligamusque, primum, permulta, quae verbo tribuantur inventioni, proprie eſſe judicii, diligentiae & elegantiae, aut certe huic communia, deinde, illam ipſam inventionem, quae tota eſt ingenii acutius cernentis, indigere alterius ope atque luce, ut ſit innoxia, uberior ad uſus humanos, & commendatior: efficitur, ut illa vis inventrix ingeniorum non nimis multa habeat,

quo-

quorum nomine ſe anteponere poſſit elegantiae; praeſertim, cum haec multa poſſit bona ſua commemorare, propter quae illi aequari debere videatur. Nam primum latius patet ejus vis, ut quae totas artes ac diſciplinas complectitur, ſermones etiam & dicta omnia hominis perſequitur, cum illa anguſtis admodum finibus coërceatur, & raro numeroſam, ut ita dicamus, ſobolem habeat. Atque etiam eſt ad uſum hominum copioſior, ſerviens omnibus pariter & docendo & oblectando, quod non conceſſum eſt inveniendi ſagacitati, quae eſt paucorum plerumque hominum, & fere eorum, qui ſe altius abdere doctrinis, & interiora artium adire cupiant. Nec illud parvum illius bonum eſt, quod non modo operibus ipſis a ſe effictis & conformatis prodeſt, verum etiam exemplo, quo intuendo, tractando cogitatione atque imitatione, velut contagione quadam, tranſire ad alios poſſit; quod ſecus eſſe in inventionis ſolertia, ſciunt omnes, quam eſſe prope totam, conſtat, in donis naturae inprimis fautricis, nec imitationi valde ſubjectam. Eſt illa denique ſemper utilis & ſibimetipſi & ceteris, quibus operam ſuam adhibet, in hac ſaepe mera ſpecies eſt, habens aliquid admirationis a novitate, aut ſubtilitate, nulla vera & ſolida utilitas. Itaque etiam paucis inventoribus contenta eſt vita humana: qui diſciplinas, & orationem, & vitam ipſam, judicio, diligentia & elegantia ſua regant, fingant, & poliant, permultos deſiderat.

Quo magis aequum videtur, ita de utroque genere ingeniorum ſtatuere, ut de fortitudinis & juſtitiae comparatione judicatum videmus a Cicerone, qui illam ſplendore & admiratione maximam, hanc neceſſitate & utilitate principem numerat, ut qua ſine fortitudo ne tueri quidem nomen ſuum, & ab immanitate ſe poſſit ſecernere; hanc vero ipſam ob cauſam utramque vim ingenii eodem gradu, ejusdemque claſſis honore conjungi: quod videantur etiam hoc aequiori animo ferre debere, quo magis ſunt natura ipſa conjunctae & communi humanitatis vinculo copulatae.

Sed ex eo genere ingeniorum, quod judicio, elegantia & venuſtate valet, nuper excellentem & magnum Virum habuimus in hac Urbe Jo. Jacobum Masco-

covium, quem veriſſime judicavit *Ern. Sal. Cyprianus*, Theologus Gothanus, & peritus in hac ratione, & ſeverus judex, cum, in epiſtola quondam ad aliquem de Collegis noſtris, *omnium elegantiarum promumcondum & arbitrum* appellavit. Erat in eo natura acerrimus elegantiae ſenſus, quo incitante etiam mature ſe & ſtudioſe contulerat ad artes eas omnes diligenter colendas, per quas & ille ſenſus alitur atque acuitur, & ipſa elegantia in judicando, in delectu rerum, in dicendo ac ſcribendo, paratur. Iisdem porro diſcendis & aſſidue exercendis cum adoleviſſet, acceſſerat, id quod eſt ad elegantiam, etiam ingenii, augendam efficaciſſimum, uſus & conſuetudo ſummorum elegantiſſimorumque hominum domi forisque, in qua etiam conſenuit, denique actio vitae, occupata in re publica gerenda, per quam prudentia acuitur, cujus felici contagione etiam illa vis ingenii, de qua dicimus, adficitur. Erat autem in omnibus, quae diceret maxime, quaeque ſcriberet, tanta cura elegantiae, ut ſibi, h. e. illi ſenſui ſuo vix ſatisfaceret, & tamen abeſſet ab adfectatione moleſta & inutili. Nam ad veram normam omnia dirigere didicerat, cujus conſervandae nulla nimia eſſe aut noxia diligentia poteſt. Itaque & in docendo erat elegantiae aliquid propriae, quae abeſſet pariter ab eorum, quae cogitate ſcripta eſſent, ſubtilitate, & ab ſermonum temere ab inexercitatis in dicendo fuſorum negligentia & inelegantia. Quae autem diligentius ſcripſit, ea profecto exempla haberi aptae ei, quod tractat, argumento elegantiae poſſunt. Quid enim elegantius Hiſtoria Germanorum, quid Commentariis rerum Germanicarum? Et illa quidem non modo delectu rerum, & coagmentatione apta, & ſolertia veri a falſo, certi ab incerto diſcernendi, morum notandorum artificio, ſententiarum aptarum ornatu probatur, ſed etiam genere ſcribendi ſermone Germanico, cujus ea eſt elegantia, ut exemplo ſit, quod nemo poſt in eodem genere aſſecutus videatur: adeo abeſt a vulgari talia ſcribentium negligentia, & ab ceterorum mollitie & novandi temeritate. In Commentariis autem cum eadem omnia inſunt bona, a rerum delectu, & earundem tractandarum modo, tum hoc majus etiam elegantiae documentum

habent,

habent, quo fuit difficilius e tali materia delectum probabilem facere, & res tam tenues rudiorum temporum aliqua gratia lectoribus commendare. Atque etiam ceteri libelli, non tam ad ingenii doctrinaeque gloriam comparandam fcripti, quam ad inftitutionis fcholafticae neceffitatem, ut Juris publici feudalisque inftitutiones, in illa ipfa tenuitate elementari tamen aliquam habent elegantiae commendationem, quae ab ceteris ex utroque genere libris abeft, in quibus adeo non folet effe cura aliqua elegantiae, ut etiam data opera barbariae ftribligine & fordibus referti effe videantur. Denique quicquid ille fibi tractandum & literis explicandum fumferat, cujus generis funt permulta, vel ad hiftoriam, vel ad jus publicum pertinentia, id habet proprium veluti characterem elegantiae exquifitae, fubque ejus calamo etiam tenues natura fua & horridae res nitefcebant. Quod tantum viri fummi bonum hoc erat amabilius, quod & alios ejusdem elegantiae fenfu & amore imbuere didicerat, &, quicunque fe ad ejus difciplinam & confuetudinem diligentius applicarant, ad fuum exemplum conformabat. Nec vero hoc unum bonum erat, propter quod eum admirabamur, in oculisque ferebamus, fed id multis aliis non minus praeclaris cumulabatur. Quae ut recognofcere lectores, & cognofcere pofteri poffint, totius Viri atque vitae ejus quandam veluti imaginem adumbrare conabimur.

Patriam habuit Gedanum urbem, parentes autem, Joannem, illius urbis civem honeftum inprimis, Archipresbyteri filium e Marca Nova Brandeburgica, unde puer admodum, fugiens belli tricennalis calamitates, Gedanum fe contulerat; matrem Cordulam, Philippi Hartmi, mercatoris Gedanenfis, & Elifabethae Schumacheriae, filiam: e quibus a. 1689. a. d. 26. Nov. natus eft. Puer initia literarum didicit in fchola patriae Mariana, ita ftudiofe ac feliciter, ut vix decem annos natus in primo fcholae ordine locum obtineret. Eodem tempore orbatus utroque parente, venit in tutelam cognati materni, Reinholdi Schumacheri, qui nihil non fieri curavit, quo praeclara pueri indoles provehi poffet. Itaque eum annis tribus poft deduxit ad Gymnafium illius Urbis, ut ad exquifitioris

humanitatis ſcientiam & diſciplinas altiores adduceretur ab iis, qui in eo literas ac doctrinas tradebant. Ibi maxime literis humanioribus operam dedit, uſusque eſt aſſidue exercitationibus oratoriis & poëticis ſub magiſtris praeclaris, Behrio & Sartorio. Nec tamen neglexit diſciplinas ceteras. Nam & audivit Groddeccium & Glosmejerum, qui philoſophiam tradebant, Willenbergii lectiones hiſtoricas & juridicas & Schelvigii Theologicas. Attigit etiam diſciplinas Mathematicas, quas Sahmius profitebatur. Et cum deſtinaſſet ſtudia ſua Theologiae, aſſidue audiebat orientalium literarum Profeſſores, Gradium & Reusſium.

In his ſtudiis atque exercitationibus cum ſex annos ita conſumſiſſet, ut omnibus & induſtriam & profectum vehementer probaret, bene maturum videbatur Lipſiam ire, urgente etiam periculo, quod ſaeviens in patria peſtilentis morbi vis minabatur. Et vix evaſit. Nam eo res venerat, ut nemini poſt eum poteſtas exeundi fieret. Ita, comitantibus duobus popularibus, in his Nathanaële Gotfrido Ferbero, qui poſt Conſularis illius Civitatis fuit, per Berolinum venit Lipſiam, anni 1709. die duodeviceſimo Auguſti, deditque nomen Civitati noſtrae. Hic cum ſtudia literarum & philoſophiae eadem, qua in patria coeperat, induſtria tractaret, aſſidueque audiret earum profeſſores, tum vero maxime ſe contulit ad doctores Theologiae, qui tum maxime excellebant, utebaturque etiam exercitationibus de rebus divinis populariter dicendi, nec modo apud magiſtrum, ſed etiam inter Sodales, qui diebus Lunae in aede Paullina declamitarent. Sed cum Viri quidam praeclari, qui ingenio ejus excellenti & doctrinae, aetatis illius modum ſupergreſſae, mirifice faverent, auctores eſſent juveni, ut ſtudium ſuum ad Juris publici privatique ſcientiam, inprimisque Hiſtoriam transferret; ceſſit eorum auctoritati & conſiliis, totumque ſe ad eas partes doctrinae dedit: in quibus hoc felicius ei res proceſſit, quod & omnibus ingenii & literarum praeſidiis abundabat, per quae excellenter in iis tractandis verſari licet, & jam in Gymnaſio patrio fundamenta ei rei bene jacta erant. Sed cum totum hoc eoanimo feciſſet, ut in hac Aca-

Academia docendo explicaret partas doctrinae copias, ad eam rem aditum sibi munire coepit Magistri Philosophiae honoribus & juribus capessendis. Eos vix ceperat, cum adscitus est in *Collegium Anthologicum*, quod tum a clarissimis & doctissimis in hac Urbe Viris constitutum erat. Agebantur ab Sodalibus conventus stati, in quibus praelegerentur disputationes de exquisitioris doctrinae partibus, super quibus a ceteris sermones conferrentur: in quo genere utroque ita partes suas egit novus Sodalis, ut omnes doctrinae & judicii elegantia delectarentur. Vix annus intercesserat, cum comes adjunctus est adolescenti nobili e Buchwaldis, iter per Germaniam & Belgium facturo: unde redux factus, mox rector juventutis datus est duobus Comitibus Wazdorfiis, quibuscum Franciam, Britanniam & Italiam peragravit. In itinere utroque non modo doctrinam mirifice auxit atque expolivit, visendis & scrutandis Bibliothecis, adeundisque viris quoque in loco eruditione claris, e quorum sermonibus proficeret, sed etiam cum multis praeclaris viris, qui ingenium ejus doctrinamque usu perspexerant, amicitias contraxit. Ex hoc quoque itinere feliciter in hanc Urbem reversus, a. 1714. cooptatus est in Collegium Principale minus, idque primum habuit publice doctrinae praemium. Sed mox plura & majora secuta sunt. Nam cum anno quarto post Doctor Juris creatus esset in vicina Academia Halensi, data ei est in hac nostra Professio Juris extra ordinem docendi: quam vix adierat, cum cooptatus est in Ordinem Amplissimum Urbis nostrae, in quo primum a. 1734. ad Praeturam, deinde a. 1742. ad secundum a Consulatu locum, Pro-Consulatum vocant, ascendit; eratque inde ad Consulatum ipsum venturus, nisi valetudo obstaret.

Inter haec multi alii honores procurationesque variae rerumpublicarum ad eum ornandum confluxere. Nam primum a Principe inter Assessores Consistorii, post etiam Curiae superioris relatus, denique Consiliarii Aulici ornamentis auctus est. Canonicorum Cizensium Collegium eum in numerum suum recepit, cui ad extremum etiam, Decani loco magna cum dignitate praefuit. Ordo autem Amplissimus ei curam

Bibliothecae publicae & aedis Petrinae mandavit. Atque etiam, quoties legebantur, qui ad Conventus Ordinum Saxonicorum publice mitterentur, ejus ratio haberi solebat. Itaque iis septies cum primariis Ordinis Amplissimi Viris interfuit.

In his omnibus curis, ad quas etiam Lectionum habendarum labor assiduus accesserat, magnum levamentum habuit a conjugio, quod cum Virgine ornatissima, Sophia Elisabetha, Joannis Wendelini Voelkeri, mercatoris primarii, & Ducis Gothani Procuratoris, filia, optimis ominibus initum, ad finem usque vitae duravit. Nam etsi prole caruit, tamen cetera, per quae felicitas conjugii venit, ei constitere. Quo etiam majorem dolorem cepit Matrona optima, & e morbo talis mariti diuturno, & e morte. Nec diu superstes fuit. Nam undecim mensibus post, eum est consecuta, editis omnibus documentis, per quae pietas in defunctos patefieri potest.

Sed sustentabatur etiam in illis laboribus a naturali corporis robore, quod temperantia, tranquillitate animi, atque ipsa adeo ingenii agitatione assidua, & contentione corporis conservabatur. Itaque ad annum usque aetatis quintum & sexagesimum commode valuit, nullo graviori morbo afflictus. Sed illo ipso anno primum tentatus est apoplexia: cujus vis etsi ita repressa est medicorum cura, ut vix levia ejus vestigia relinquerentur, tamen rediit ita annis duobus post, ut totum sinistrum latus resolveretur, nec ullis remediis firmari posset. Salva tamen utcunque erat animi vis, & sublucebat interdum aliquid bonae spei: quae tota abrupta est die 21. Maji superioris anni, cum repetitus ictus repente vitam ademit, per annos unum & septuaginta cum dimidio amplius, in hac quidem Urbe supra quinquaginta ita actam, ut summa laude & verissima gloria cumulatus ab hac vita discesserit.

Etenim, si omnem temporum, per quae literarum in hac Urbe sedes fuit, memoriam peragremus, qui majori & latius propagata fama nominis doctrinaeque floruerit, neminem, qui pari, perpaucos reperiemus. Quantopere, & a quibus Scholae ejus frequentatae sint, etiam fama apud exteros celebravit, & nos, qui testes illius celebritatis spectatoresque fuimus, etiam

etiam meminiſſe juvat. Nec e Germania noſtra modo, qua patet, univerſa nobilitatis flos apud eum hiſtorias & jura docentem viſebatur, ſed etiam ab remotis usque Britannis, ab Dania, Succia, Ruſſia veniebant, qui ejus diſciplinam ſe expetere dicerent. Quos ille omnes ita implebat admiratione ſui, ut totidem praecones ingenii ſui, doctrinae, prudentiae, humanitatisque dimitteret. In qua re nihil nec malis artibus & vanitati ipſius, nec inſcitiae & levitati laudantium debebatur, ſed omnia veritati tribuebantur.

Nam doctrinae veritatem, magnitudinem, & exquiſitam elegantiam etiam Viri, etiam principes in eodem genere homines, etiam invidi praedicabant: habebaturque domus ejus commune quoddam Oraculum, quod de iis rebus, quarum ibi diſciplina eſſet conſtituta, planiſſime & veriſſime reſponderet. Genus autem docendi, ut ſupra diximus, omni ex parte, elegantiae ſuaviſſimam, nec minus utilem commendationem habebat. Delectus rerum erat totus ad neceſſitatem & utilitatem audientium, e ſeveriſſima bene docendi lege, comparatus. Nihil redundabat, nihil deſiderabatur. Inde perſpicuitas vera & ſalutaris, quae etiam orationis pura & clara brevitate illuſtrabatur. Adſpergebatur etiam lepos, aptus rebus & doctoris gravitati, a verſibus inprimis poëtarum, quorum loco ponendorum mirum artificium erat. Nec ea modo diſciplina erat, quae auditorii parietibus contineretur, qua omnes communiter uterentur: ſed habebat aliud genus conſtitutum, pariter illud quidem omnibus commune, ſed quod ſingulis proprie tribueretur, omnibus data ſui adeundi poteſtate, per quam copiam faceret doctrinae ſuae conſulentibus, non modo ſuper iis rebus, quae traditae eſſent omnibus, ſed etiam de quibus palam pronunciare ſatis tutum, aut alia de cauſa conſentaneum non videretur. Et ne deterreret quemquam pudor alieno tempore interpellandi negotia viri & labores magis neceſſarios, certos dies habebat horasque a lectionibus vacuas conſtitutas, per quas unicuique facultas adeundi daretur. Quae tempora ita obibantur ab permultis, ut auditorii inſtar conſpi-

ceretur. Ipse modo in medio omnibus loqui, modo separatim uni, a quo vel seductus esset consulendi causa, vel quem ipse seduxisset. Et alliciebat, sive excutiebat pudorem inutilem hilaritate oris & familiaritate sermonis, & omni humanitate dictis factis expromenda. Nec excludebantur Viri & doctores, qui ad eos coetus tanquam ad spectaculum liberalissimum veniebant, & pariter sermonum utilium materiam suppeditabant. Itaque inde sic discedebant juvenes, ut vel doctrina aucti essent, vel amore literarum incensi.

Sed doctrinae gloriam non modo docendo paravit, sed etiam scribendo firmavit, & cum omni posteritate adaequavit. Scripsit enim multa, nec modo minores libellos, qui pro cathedra disceptarentur, de capitibus delectis liberalis doctrinae, Historiae, & Juris, vel privati, vel publici, sed etiam majoris & amplioris argumenti justa volumina. In quibus principatum obtinent *Historia Germanorum*, patrio sermone scripta, & *Commentarii* Latini *Imperii Romano-Germanici*: de quorum elegantia supra diximus. Res Germanorum antiquas sedecim libris explicat, initio ducto a temporibus, quorum certa est apud idoneos auctores memoria, h. e. iis, quibus jam sedes & res populorum in Germania certae traduntur. Itaque primum locum tenent res Cimbrorum & Teutonum. Finem animo destinarat Carolingicae domus interitum: sed impeditus negotiis publicis, quorum multitudo cum aetate creverat, in Merovingicae fine substitit. Populorum omnium, quorum religiones, mores publici privatique, Germanicam prosapiam arguunt, origines, sedes, mores, resque gestas complectitur: nec modo in patriis sedibus morantes illustrat, sed etiam peregrinantes, & novas civitates, nova regna condentes, in Italiam, Galliam, Hispaniam & Africam usque persequitur, eorumque res gestas, opes, fata lustrat. Materia operis sumta ab auctoribus idoneis, scriptoribus antiquis, numis, titulis, aliisque monumentis similibus, quorum consulendorum & recte utendorum facultatem dabat eximia literarum scientia. Nec tamen negligit recentiorum vel bene animadversa, vel pro-

ba-

babiliter conjecta. Sed in omnibus utitur judicio suo, nihil tam laborans, quam ut fides traditis constet, sitque titulo dignum opus, h. e. historiam complectatur, veritate potius simplici utilem, quam fabulis ingeniose excogitatis, quo nimis inclinavere ingenia, decoram & suavem. Nec minus perspicuitati consultum est, ordine rerum ac temporum apte nectendo, curioseque servando, locis diligenter, etiam ad praesentem rationem, apte designando, rebus ipsis distincte narrandis, genere denique loquendi. Sed in talibus rebus perspicuitas nulla potest esse tanta, quin desideret lectorem, qui capere & sentire ejus vim possit, h. e. qui sit plenus literis, sine quarum egregia scientia nullum est judicium verae perspicuitatis. Nam ut imperiti literarum & artium bene intelligendi, & vero etiam dicendi, intelligere sibi videntur, quae obscurissima sunt peritissimo cuique; ita in iis, quae his planissima sunt, impediuntur illi, & in ipsa luce nihil vident. Atque etiam, quae subtiliorem tractationem desiderare videbantur, separatim, ne series rerum disputationibus longioribus impediretur, ad calcem operis diligentius & eruditius illustrantur. Pulcritudo operis est talis, qualem tenuis plerumque materia capit, magis ab habitu operis universi, quam singularum partium exornationibus. Et tamen, ubi facultas dabatur, mores illustrium hominum locique exquisita venustate descripti sunt, & sententiae adspersae.

Commentariorum tria volumina res Imperii nostri persequuntur. Consilium fuit, totum illum temporum & rerum tractum, qui ab initiis Imperii, quod proprie Germanicum dicitur, & Conrado primo ad Sigismundi Caesaris exitum pertinet, aliquot voluminibus complecti, ut, quemadmodum veterrimas res Germanorum vernaculis, sic aetatis mediae Latinis literis illustratas relinqueret. Sed dum propter auctos labores publicos, obrepentemque paullatim aetatis infirmitatem tardius procedit, ultra Conradi tertii res progredi non potuit. Quod dolendum videtur hoc magis, quod haud scimus, an ex iis quidem, qui nunc sunt istius historiae satis periti, ea sit quisquam elegantia vel in judicando, vel in scribendo, ut vel Germanicae

illius, vel hujus Latinae Veneris inchoatum corpus speret se posse absolvere. Incredibile dictu est, quanta diligentia & lecta sint e stercore scriptorum & monumentis antiquis, quamque apte inter se nexa, quae ad Imperii statum conversionesque varias pertinerent, semotis omnibus, quae ab hoc consilio aliena essent. Tum genus orationis est illud quidem aptissimum Commentariorum tenuitati & simplicitati, ceterum, ut abest ab siccitate ac jejunitate, ita cum rebus ipsis subinde etiam se sententiis & verbis attollit supra humilitatem Annalium, habetque etiam aliquid concinnitatis aptae rebus. Omnino auctorem arguit lectione Caesaris, Livii, Sallustii & Taciti bene tritum, ceterum nullius imitationi proprie addictum, nisi quod magis ad Taciti rationem inclinat; quam tamen molliri intelligas ceterorum lectione. Latinitas ipsa est, sine scholastica affectatione, pura, elegans, nec minus leniter labens. Habebat enim acerrimum judicium aurium: sentiebatque celeriter, si quid hiaret, aut asperum, aut parum absolute dictum esset. Et adhibebat in consilium peritos linguae, quibus sua legenda traderet, ut ipsorum judicia cognosceret, nihilque libentius audiebat, quam si quis quid afferret, quod elegantius & aptius esset. Quod fecit inprimis, cum opus illud retractaret, secundae editionis causa. Itaque eam etiam castigatiorem verbis intelligentes cognoverint. Nobis etiam modestia illa, plane antiquae elegantiae, mirifice placet, quod interdum jacit ac paene abjicit sententias, quarum viscum aliorum vanitas non effugerit, & attingit modo, quae justae disputationis & ostentandae eruditionis materiam largam aliis praeberent. Quaedam tamen voluit in fine operis latius & exquisitius differere: quae etiam scripta reliquit, suoque tempore in lucem proferentur.

Haec tanta tamque elegans doctrina fecit, ut saepe luculentis conditionibus invitaretur ad mutandam fortunarum sedem. Sed Lipsiam nostram relinquere non sustinebat, praesertim quam adversus se minime ingratam haberet. Nec minus colebatur ab omnibus, qui uspiam essent, eruditissimis viris, quique literas exquisite callerent. Nemo nostra aetate clarior paullo

vir

vir memorari potest, cujus non epistolae ad eum scriptae in scriniis ejus repertae sint, quae plane docerent, quantum ejus doctrinae aliisque virtutibus tribuerint. Ipse vicissim impense favebat ingeniis, praesertim iis, quae elegantiori doctrinae capiendae apta, vel studiosa humanitatis essent, eaque omni ratione incitabat, juvabat etiam consiliis & liberalitate sua. Vix numerum ineas eorum, quos suffragatione sua ad fortunam luculentam provexit. Et erat ejus tanta & apud nos & apud exteros auctoritas, adeoque saepe ejus judicium de dignitatibus hominum requirebatur, ut ei facultas talis liberalitatis deesse non posset. Qua re quantum etiam literis & reipublicae profuerit, facile est existimare.

Sed rei Civitatis nostrae publicae etiam consulendo & agendo plurimum profuit. Nam & munera, quae ei publice mandata erant, dextre fideliterque administravit, & quacunque in re potuit, rem Ecclesiasticam Scholasticamque, & reliquam civitatis universae, adjuvit, ut difficile sit decernere, utrum ornaverit magis gloria nominis sui Ordinem Amplissimum, an profuerit ei prudentia consiliorum & salubritate actionum. Quibus in rebus ille maxime regebatur & incendebatur amore hujus civitatis, quae & ipsa per se ei videretur, uti est, amore digna, & se tam benignam ei praebuisset. Quamquam ille universam patriam nostram verissime amabat, ejusque & secundis rebus gaudebat, & adversis graviter dolebat: nec aliud majus, aut omnino malum suum commemorabat extremo vitae tempore, quam quod eam tot ac tantis miseriis publicis oppressam & prope perditam videret.

Sed hujus tanti doloris remedium verum finemque ei mors opportune attulit, quae nihil aliud, nisi discessum a conspectu ac sensu maximorum malorum habuit, quem Viro tam bene de nobis merito serio gratulamur; praesertim, qui ad hoc iter paratus fuerit ab animo, pleno fidei in Jesum Christum, salutis nostrae auctorem, & pietatis verae, quae se factis publice privatimque utilibus edendis profert.

Hujus talis ac tanti Viri, tam praeclare de communibus literis, de Utraque Civitate nostra meriti,

memoriam, aequitas & grati animi officium postulat, ut Vos, Carissimi Cives, non modo laudibus celebretis, sed etiam imitatione amoris studiique in bonas literas, omniumque virtutum, & vestigiis ejus in tractanda liberali doctrina persequendis, colatis. Id ergo officium ut ei bona fide persolvatis, serio Vos hortamur. P. P. Domin. XXII. p. F. Tr. a. C. cIↄ Iↄ CC LXII.

ELO-

ELOGIUM

GEORGII HENRICI SCHMIDII

SENATORIS AEDILITII MERCATORIS PRIMARII.

Etsi de vulgari opinione, & consuetudine loquendi, quae fere sequitur opiniones communes, ministerio publico funguntur ii modo, qui aliquam reipublicae partem fidei suae publice creditam tractant: tamen, si diligentius velimus judicare, & rei potius veritatem, quam verborum speciem videre, munus publicum sustinent omnes, qui non ignavia transigunt vitam, sed aliquid agunt, quod ita pertineat ad utilitatem suam, ut inde etiam aliquid ad publicam vitamque communem redundet. Neque enim potest non publicum esse, quod publice prosit, nec privati muneris videri, quod a Deo, generis humani rectore, & totius mundi, ut unius civitatis, praeside impositum sustineas, sitque impositum publica magis quam tua causa. Enimvero, si hoc constat inter omnes, non modo sapientes, sed etiam, quicunque se non stultissime & sordidissime amant, hominem quemque non sua, sed primum Dei causa natum esse, deinde societati communi, cujus sit magis quisque, quam suus; non potest dubitari, quin omnis actio cujusque primum ad Deum, deinde ad rempublicam re-

referatur, etiam tum, cum tota complecti ipſum, & in ipſius privata utilitate verti videatur. Quamquam id res ipſa declarat. Quod enim eſt genus vel artificii, vel opificii, vel operae, quod, etſi maxime ad utilitatem privatam ſuſceptum ſit atque exerceatur, tamen non ita proſit domino, ut pariter aliis, ſaepe multis, & longe plus quam domino. *Quam multae manus atteruntur*, ait Plinius in Hiſtoria naturali, *ut unus articulus niteat*. Id de uno genere, & in partem deteriorem dictum, patet latius, & in optimam partem valet. Quam multi, quam longinquis ac diſſitis locis, in multis generibus rerum, ad vitae vel neceſſitatem vel commoditatem pertinentium, laborant, ſudant, vigilantque, verbo, ſuae utilitatis cauſa, re vera, certe magis, ut ego illo labore pro parva pecuniola fruar multo jucundius, quam illi lucello ſuo. In quo fas eſt admirari amabile ſapientiae divinae artificium, quod primum privatam atque publicam utilitatem, res diverſas natura, & toto ſeparatas genere, inter ſe, veluti dolorem & voluptatem in Aeſopi apud Platonem (*Phaedon. p.* 60. *T. I.*) fabula, ita copulavit, ut quicquid privatim proſit, idem proſit publice, & omnis utilitas publica eadem fiat privata, deinde labores dulcedine mirifica imbuit ab utilitatis ſuae opinione, ut tanto cupidius pro republica laboret quisque, quia ſibi laborare putat. Ita fit, ut, cum ſibi ſe quisque laborare putet, laboret omnibus, cum publicas utilitates propugnat, defendat ſuas. Atque hoc totum Graeci, quibus primis ac prope ſolis datum fuit, & bene accurateque de rebus cogitare, & bene & accurate cogitata pariter bene & diligenter exprimere, Graeci igitur hoc optime perſpexiſſe & ipſo verbo indicaſſe videntur, quo muneris publici vim declarant. Nam λειτουργίαν non modo dicunt de eo, qui proprie, ut vulgo loquuntur, reipublicae, agendo in pace ac bello, & tributo conferendo, operam navat, ſed etiam, qui in agendo ac laborando nihil de republica cogitat, ſed ſe tantum ſpectat, modo in rebus honeſtis opera conſumatur. Itaque matrimonium inire, liberos procreare, agrum colere, rem quaerere, haec omnia λειτουργίαν vocant, &, qui talia faciat, eum λειτουργεῖν, publico munere fungi, dicunt.

Recte.

Recte. Nam qui haec faciunt, & his ſimilia, profecto reipublicae proſunt, & haud paullo plus, quam magna pars eorum, qui etiam ſtipendia accipiunt a republica, velut pro λειτεργίᾳ, ac muneris publici cauſa.

Sed in eo genere, quod ſuam rem agendo, rem communem ac publicam agit, latiſſime patet, ac prope principatum ſibi vindicat opera eorum, qui mercibus importandis & exportandis, permutandisque ac vendendis, rem quaerunt: adeo multis modis, dum ſuam utilitatem perſequuntur, ſerviunt publicae, efficiuntque, ut mercatura etiam pro re publica habeatur, pro qua defendenda, non his modo temporibus bella geruntur, quibus Mercatura, propter inſatiabilem aviditatem pecuniae, & infinitam luxuriem, pro Dea adoratur, & longe ſupra religionem & ſapientiam colitur & curatur, ſed omnibus temporibus ſaepe acerrima bella geſta ſunt. Nam mercatura non modo communem illam λειτεργίαν praeſtat, quam ceteris generibus artium privatarum & opificiorum communem oſtendimus, & hanc quidem tantam tamque multiplicem, ut ceteris longe videatur praeſtare, ſed etiam propriam aliquam ac praecipuam, & illa communi prope majorem. Etenim ceterarum artium multae, ac fortaſſe pleraeque, fungi ſuo munere aut omnino non, aut parcius tamen poſſent, niſi praeſto iis eſſet mercatura, primum ut miniſtra, quae materiam praeberet, deinde ut tutrix ac fautrix, quae vel praemia laboris tribueret, vel caveret iis a damno, mercibus, quas illae elaboravere, emendis, & ſuo periculo vendendis. Quid? pulcerrima illa & amabilis λειτεργία, quam ſupra laudavimus, per quam in omnibus orbis terrarum partibus laboratur mihi ceterisque omnibus, non tota propemodum tolleretur, ſublata mercatura? non adeo per eam maxime publice proſunt, qui privatim ſibi prodeſſe laborando volunt? Nam cui hoc debemus, niſi mercaturae, quod, quae ubique naſcuntur, ea apud nos omnia nata videantur, quae manus alieniſſimae diffitiſſimis in locis labore quaeſivere, ea mihi quaeſita & parta ſint?

Verum hanc totam laudem, intelligi ſua ſponte arbitramur, deberi mercaturae tantum ei, quae vere hoc

hoc nomen usurpet; quae quaestus sit studiosa, & rem facere quaerat, salva religione, fide & justitia, sine qua ne quaestus quidem intelligi potest: nisi vero etiam fures & latrones quaestum faciunt, cum aliis sua per vim aut fraudem eripiunt. Nec vero in hujus nominis ac laudis societatem ulla ex parte veniunt, qui pecuniam ut mercem tractant, h. e. vel importanda & vulganda deteriori, vel exportanda & ex usu publico detrahenda meliori, aut permutationibus assiduis numorum ditescunt. Hirudines istae sunt Civitatum, inprimisque miserae plebeculae, & pestes reipublicae, quavis vi vel coërcendae vel expellendae. Honesta res & bonae fidei est vera mercatura, quae etiam fide maxime alitur. Itaque & honestis rebus atque artibus utatur. Nec festinet ad divitias. Festinatio haec vel rei, vel fidei & honestatis amittendae periculum adfert. Denique ut alacris est ad accipiendum lucrum, ita facilis & promta sit ad dandum de lucro; fungaturque etiam hac in re λειτεργίᾳ, a qua ei proprium & magnum decus accedit. Ea vero non modo communi & privata beneficientia adversus tenuiores & inopes cernitur, sed etiam multo magis in publica, quae onera publica suscipit in difficultatibus temporum communium, inopiam publicam de suo sublevat, & in qua Republica plurimum ipsa lucrata est, in eam plurimum, cum necessitas venerit, non invita impendit. Hanc λειτεργίαν caritas Reipublicae, tam bene de ea meritae, hanc gratus animus exigit: hanc quondam Romanae reipublicae in difficultatibus bellicis, cum aerarium inane factum esset continuis impensis, & tributum conferre pauci possent, quod jam tributis superioribus exhausti essent, nec eos plane perire Senatus vellet, magno animo, ad nutum Senatus, praestiterunt, quorum patrimonia e republica lucroso vitae genere crevissent, sua pecunia rempublicam administrantes. *Hi mores erant, eaque caritas patriae per omnes ordines uno tenore pertinebat*, ut ait *Livius XXIII*, 29.

Atque hujus talis mercaturae λειτεργικῆς amabile & praeclarum exemplum nuper perdidimus, magno & justo cum dolore universae civitatis, in Georgio Henrico

rico Schmidio, Senatore aedilitio, & mercatore primario. Is ortus a parente & majoribus, qui longa ferie mercaturam in hac urbe magnam & copiofam feciffent, fed eandem honeftam & bonis viris probatam, & eorum difciplinae innutritus & adfuetus, dignum fe majoribus in hoc quaeftus genere exercendo probavit. Exercuit enim mercaturae genus, quod a patre acceptum tenuit, mercibus externis & pretiofis copiofe importandis atque vendendis cum lucro honefto. Non ille quaeftus minutos confectari didicerat, quibus perfequendis animus ipfe minuitur & ad humiles anguftias redigitur. Non ille manus collybi fordibus, quamvis ad lucrum, ut nunc funt tempora, pinguibus, decolorare atque inquinare. Illas fordes etiam animo concipi, & eo usque permanare exiftimabat, ut nunquam in hac vita eluerentur, & non nifi ignibus Orci exurerentur. Bona fides in re gerenda nunquam in eo a quoquam defiderata eft. Et gerebat communiter cum fratre minore, Viro & ipfo optimo, quem anno ante quam ipfe mortuus eft, amifit, tanta concordia & fide, ut nulla inter eos unquam querimonia interceffe rit, aut mala fufpicio extiterit: quod eft difficile confequi in tali conjunctione, quae caufas eorum malorum undique ingerit. Eo autem mortuo, ita de partitione tranfegit cum heredibus ejus, ut etiam plus dediffe quam debuiffe exiftimaretur. In quo ille non infcitia rei lapfus eft, quae in exercitatum talibus rebus virum non cadebat, fed bonae exiftimationi, memoriae cari fratris, & amori heredum voluit fancte & pie fervire. Nec ignorabat, talem facilitatem etiam rideri a multis: fed in eo certum fignum magnae virtutis effe fibi perfuaferat: quod homines improbi, quae fe per cupiditates fuas facere non poffe fentiant, eorum contemtum reprehendendo atque irridendo fimulant. Ceterum de quaeftu honefto & patrimonio bene parto & aucto non modo alios liberales fumtus in fuos, in amicos, in facerdotes faciebat, fed etiam in pauperes, nec raro & parce, fed affidue & large. Cum praeeffet adminiftrandis eleemofynis publicis, primum diftribuendo, deinde etiam regendo, in ea curatione non modo diligenter verfabatur, fed & faepe in diftri-

buen-

buendo aliquid addebat de suo; praesertim his temporibus, quibus refrixit multum illa nobilissima in pauperes λειτουργία, ut appellat Sanctus Paullus, explebatque illam λειτουργίαν, quam aliorum tenacitas destituisset. Id ille quidem putabat se clam facere: sed acute cernit grata paupertas, & sanctissima illa Christianae liberalitatis furta, ut Apelles Chius appellabat, (*) laete deprehensa, ex occulto in lucem facile ac libenter protrahit. His autem calamitosis temporibus, cum magnae & graves coactiones imperarentur, non ille defugit λειτουργίαν sustinendorum pro Republica incommodorum, sed constanti & tranquillo animo non modo in vexationum & afflictionum societatem se adsciscí passus est, sed etiam portionem virilem imperatarum ac descriptarum pecuniarum sine indignante tergiversatione, & in quemquam ira aut invidia, suscepit, nec ea onera in alios per malas artes devolvere tentavit. Sed non ex uno virtutis genere spectandum proponere animus est Virum insignem ad memoriam nostram, & posteritatis gratae adversus praeclara virtutis exempla, sed totius Vitae imaginem ad veritatem expressam.

Vitam accepit in eadem hac nostra, in qua totam exegit, urbe ad d. III. Kal. Decembr. a. superioris seculi ultimo, a parentibus honestissimis, Jo. Henrico, patre, mercatore, Joanna Susanna Rosenfeldia, matre, & majoribus in suo genere nobilissimis. Nam Jo. Henrici pater, Henricus, pariter mercaturam no-

(*) *Plutarch.* de Discr. Amici & Adul. p. 63. T. II: Ἀρκεσίλαος νοσοῦντος Ἀπελλοῦ τοῦ Χίου τὴν πενίαν καταμαθών, ἐπανῆλθε μὲν αὖθις ἔχων εἴκοσι δραχμάς, καὶ καθίσας πλησίον, ἐνταῦθα μὲν εἶπεν οὐδέν, ἢ —— ἀλλ' οὐδὲ κατάκεισαι δεξιῶς· ἅμα δὲ διακινῶν τὸ προσκεφάλαιον αὐτοῦ, λαθὼν ὑπέβαλε τὸ κερμάτιον. ὡς οὖν διακονοῦσα πρεσβῦτις εὗρε καὶ θαυμάσασα τῷ Ἀπελλῇ προσήγγειλε, γελάσας ἐκεῖνος, Ἀρκεσιλάου, εἶπε, τοῦτο τὸ κλέμμα. *Arcesilaus cognita aegrotantis Apellis Chii inopia, rediit ad eum cum viginti drachmis. Ibi cum prope eum assedisset, nihil aliud quidem dixit, quam —— Enimvero tu non commode jaces, commotoque pulvino, clam subjecit pecuniolam. Quam cum vetula, quae Apelli ministrabat, reperisset, & mirabunda ei nunciasset, tum ille subridens, Arcesilai,* inquit, *hoc est furtum.*

nobilem fecit, habuitque in matrimonio Reginam, filiam Joannis Bolſenderi, magiſtri inſtitorum, & ſuccenturionis in cohorte urbana: Roſenfeldiae autem pater, Arnoldus, mercator fuit, & cohortis urbanae ſignifer, mater autem Suſanna, Henrici Winkleri, majoris, mercatoris nobilis & aedilitii ſenatoris filia. Puer, cum inſtitutus Chriſtianae religionis praeceptis ac literis, oſtendiſſet, ſibi vitae genus placere, quod parenti ac majoribus placuiſſet, a patre ipſo acceptus eſt in diſciplinam: in qua ita profecit, ut, patre mortuo, ſuccedere in locum ejus, & par eſſe gerendis negotiis poſſet. In eo cum ita verſaretur, ut facile ejus ſcientia rei gerendae, fides, diligentia, aſſiduitas in labore appareret, coeptus eſt per gradus veluti legitimos ad honores & curam reipublicae produci. Nam cum primum ſignifer, mox ſuccenturio factus eſſet cohortis oppidanae, qui ſunt veluti gradus ad ordinem ſenatorium, in ipſum Ordinem cooptatus eſt a. XLII. Acceſſit anno poſt Centurionatus, qui ſenatorius honos eſt moribus hujus Civitatis, & anno quarto poſt pars curandarum eleemoſynarum publicarum. In his cum perſpecta eſſet fides viri & diligentia, etiam majora mandari coeperunt: primum adminiſtratio redituum Civitatis univerſorum, quam provinciam, difficilem & laborum plenam, ad mortem usque, ſingulari cum aſſiduitatis, prudentiae & fidei laude, ſuſtinuit: deinde Aedilitas, & ad extremum univerſae eleemoſynariae rei curatio: qua ut non modo, ſicut aliis, diligenter, ſed etiam liberaliter functus ſit, ſupra demonſtravimus.

In his tam multis & moleſtis curis, publicis privatisque, magnum levamentum habuit ab conjugio, quod bonis auſpiciis initum cum virgine ornatiſſima, Joanna Regina, Zachariae Thilonis, mercatoris primarii filia natu minima, ad vitae usque finem ſumma cum concordia duravit. Id cum aliis rebus felix expertus eſt, tum etiam prole. Nam per id una filia, Suſanna Regina, & quatuor filiis auctus eſt, Georgio Zacharia, Jo. Zacharia, Georgio Henrico, & Henrico Gottlob. Sed ex filiis, ne materia exercendae patientiae deeſſet pietati ejus, tres praematura morte amiſit, Georgium utrumque & Henricum. In ſuper-

ſtite filio, Joanne Zacharia, virtutes paternas feliciter aemulante, hoc ei laetiſſimum accidit, quod eum matrimonio jungi vidit nobiliſſimae atque ornatiſſimae virgini, Joannae Ludovicae, viri ampliſſimi, Jo. Frid. Eitelweinii, Senatoris laudatiſſimi & mercatoris filiae, ex qua ei neptis Joanna Henrica nata eſt.

Vitae privatae univerſae forma fuit ejusmodi, ut omnibus partibus viri pietas in Deum, facilitas, humanitas, moderatio, integritas, ac benignitas appareret. Frequens ſacrorum publicorum & religioſus cultor, non minus privatarum pietatis exercitationum aſſiduitate utebatur. In uxorem, matronam honeſtiſſimam, mira pietas & facilitas erat, in liberos indulgentia ſalubris & moderata. Quo majori ejus deſiderio adficiuntur. Nec minus frater conſultiſſimus, qui utrumque ſibi fratrem, quibuscum conjunctiſſime & ſuaviſſime vixit, anno uno vertente, ereptos merito dolet. In omnes aequus, facilis, officioſus: alienus ab ſimulandi ac diſſimulandi malo artificio: in rebus ſecundis moderatus, in adverſis placatus & conſtans: alienis commodis gaudebat, incommodis paene ut ſuis movebatur. Hinc illa benignitas nata & alta, quam ſupra laudavimus.

Quae ſunt omnia ejusmodi, ut magnum ſolatium adferre debeant viduae moeſtiſſimae, inprimisque filio optimo, & filiae ornatiſſimae. Neque enim fiduciam modo adferunt felicitatis paternae in coelo, ad quam ex iſto concurſu miſeriarum publicarum translatus eſt, ſed etiam ſuae in his terris. Nam illae virtutes, maximeque illa in pauperes tam larga & Chriſtiana benignitas, certiſſima ſunt liberis pignora benedictionis divinae, atque hanc ipſam ob cauſam, pulcerrimae patrimonii partes. Atque etiam aliquid ex avita liberalitate, cum in alios, tum in Scholam Thomanam, ad eos redundabit.

Mortis cauſam habuit hujusmodi. Cum uſus eſſet per omnem vitam commoda valetudine, ut qui corpus vegetum ac robuſtum accepiſſet a natura, idque diligentia & temperantia tueretur, a. d. XVIII. Aug. repente, cum ire pararet in Curiam, oppreſſus eſt apoplexiae tanto impetu, ut ſtatim vitae ejus timeretur. Advocato celeriter Chriſtiano Jacobo Scilero,

viro

viro celeb. cujus bono & fideli conſilio in tuenda valetudine uti ſolebat, vis penitus oppreſſa corporis animique revocatur illa quidem quodam modo, ut rurſus tentaret verba: ſed res non longe ultra conatum proceſſit: quippe etiam eorum, quae loqui coeperat, mox oblivio venit: nec rediit, quamvis omni arte vocata, appetitio cibi potusque. In hac tamen imbecillitate ei aderat S. R. Mattheſius, obſervans tempora, quae aditum aliquem ad animum dare viderentur ſermonibus ad recreandum & corroborandum aptis. Quos audiens ille, non obſcura ſigna dabat agentis intra Spiritus, & tacitis precibus ſanctam animam Deo commendantis. Inter haec fractis magis viribus, & debilitato prorſus corpore, a. d. IV. Kal. Sept. ad horam XI. nocturnam placide exſpiravit.

Mortem viri doluere, quicunque eum publice privatimque cognitum habuerant: atque etiam ignoti in iſtius doloris ſocietatem merito vocati ſunt laudibus, quibus virtutem ejus, in recenti dolore, veriſſime ad populum extulere, qui in templis urbicis concionarentur. Cujus laudis pulcritudo, ſed multo magis ipſarum virtutum, fragilitasque vitae humanae, debet nos admonere, ut eas virtutes, pietatemque in Deum, diligenter imitando, non modo pares laudes conſequamur, ſed etiam nos adverſus talis repentini caſus periculum muniamus. P. P. Domin. I. Adventus A. C. CIↃIↃCCLXI.

ELOGIUM
GOTFRIDI GUILIELMI KUSTNERI,

JCTI, REGIS POLON. ET ELECT. SAXON. A CONSILIIS RERUM BELLICARUM SANCTIORIBUS ET PROVOCATIONUM, ECCLESIAE VURCENENSIS DECANI, CURIAE SUPREMAE LIPSIENSIS ADSESSORIS, SCABINI, CONSULIS CIVITATIS, ET AEDIS S. THOMAE CURATORIS.

In magna varietate malorum, quibus in Civitatem noſtram belli ſuperioris acerbitas ſaeviit, inprimis miſerabilis & luctuoſa fuit calamitas, accepta interitu omnium, quos in principio belli habuit, Magiſtratuum Conſularium; qui, cum auctoritate, prudentia, conſtantia eorum maxime indigeret reſpublica, ſenectute, & multo magis curis vexationibusque hoſtilibus victi, occubuerunt. Triſte omen fecerat mors Magiſtratus Academici, Jo. Friderici Chriſtii, inter ipſa belli initia defuncti: ſecuti ſunt eodem, qui aetatis erat, ordine, Urbani, Stiglitius primum, mox Bornius, & ſub finem belli Gotfr. Guil. Kuſtnerus, qui, tot acerbitatibus exhauſtis, tot laboribus aerumnisque, etiam injuriis, conſtanter per tot annos toleratis, ad extremum tamen ſuccubuit, nec vidit pacis terrenae bonum, cujus ſenſu ac fructu ſe

ſe nobiscum ex illis moleſtiis recrearet: velut hoc ageret providentia divina, ut eum, in ipſo cum malis omnibus certamine, fortiter cadentem, haberet Civitas illuſtre Patientiae exemplum, cujus cogitatione ad mala omnia, privata, publica toleranda, erigeretur ac roboraretur etiam ſera poſteritas, praeſertim quae magiſtratus inter mala publica gereret.

Nec poterat profecto alius quisquam aptior deligi, qui hanc tantam tamque gravem Patientiae perſonam ſuſtineret, ad quam eum ipſa natura fecerat, voluntas & animi inductio firmarat, vitae genus ipſum erudierat, & fortuna aſſidue exercuerat. Erat enim in eo naturale, ut corporis, ita multo magis animi robur, quod a tranquillitate animi ſuſtentabatur, quae etiam e vultus perpetua quadam ſerenitate, certe conſtantia, elucebat. A pueris autem ita fuerat edoctus, ut ſapientiae magnam & ſaluberrimam partem eſſe putaret, ſi quis ſibi perſuaſum haberet, rebus obediendum eſſe, non ipſas ad voluntatis noſtrae arbitrium impatientibus votis vique cogendas. Itaque cum aliquid incommode vel ſibi, vel aliis cecidiſſet, cum moleſtiae quacunque ex parte ſe ingererent, vel querelae apud eum fierent, ſemper in ore habebat illud: *patientia adhibenda eſt.* Vitae autem genus delegerat hoc, in quo maxima vis eſſet patientiae & exercitatio aſſidua. Etenim mature ſe applicuerat ad diſcenda jura, quorum ſcientiam, primum agendis cauſis, poſt jure dicundo, denique de jure reſpondendo ac judicando, exercuit. Ea autem ratio praecipuum adjumentum, & ſubſidium admodum neceſſarium deſiderat patientiam, qua ſine cauſae nec recte cognoſci, nec bene agi aut judicari, ne in magna quidem juris ſcientia, poſſunt.

Juris quidem peritum, qui conſulendo, adde etiam agendo, proſit civibus, ſic nobis *Cicero* deſcribit (*pro Muren.* 9.) ut omnia ſint patientiae: *Jus civile didicit: multum vigilavit, laboravit, praeſto multis fuit, multorum ſtultitiam perpeſſus eſt, arrogantiam pertulit, difficultatem exſorbuit, vixit ad aliorum arbitrium, non ad ſuum.* Judicem autem, qui quidem idoneus & juſtus eſſe velit, *Plinius* judicat, *primam religioni ſuae patientiam debere, quae pars magna ſit juſtitiae,*

 Ep.

Ep. 6, 3. Veriſſime. Neque enim juſte judicari ac decerni poteſt, niſi cauſa accurate perſpecta; quae ſive ex iis cognoſcenda eſt, quorum eſt ipſa, ſive per Commentarios forenſes; plerumque in cognoſcendo, h. e. ſumma rei ex iſtis ambagibus, & ſaepe labyrinthis ſermonum, literarum, interdum etiam ſtercore, expedienda & evolvenda, permagna patientia opus eſt. Tum labor, ubi in rebus magnis, bonis, pulcris conſumitur, habet aliquid levamenti atque adeo condimenti, ab ipſa natura rerum, vel ad ingenium poliendum locupletandumve, vel animum honeſtate conformandum, vel prudentiam acuendam valentium. At quotidie haerere ac ſudare, certe tempus perdere, in rebus minutis, ſordidis, ineptis, in injuriis, ſceleribus, & omnibus exemplis improbitatis humanae cognoſcendis, in deprehendendis fraudibus actorum, juſtitiae judicis per omnes artes, quas vel lucri vel inanis gloriolae ſtudium ſubjicit, inſidiantium; ea vero aerumna eſt, in viro probo & docto, praeſertim ingenioſo, incredibile patientiae robur deſiderans. Nam ut vel ingenioſior eſt quisque vel probior, ita ſolet eſſe in ſtupore aliorum vel improbitate iracundior & impatientior. Nec illud ad impatientiam irritandam judicis parum valet, quod nemo fere cauſam tam malam habet, quin ſe putet optimam habere, & jure vincere debere, & tanto quisque magis, quanto ipſe eſt impudentior & improbior. Unde fit, ut multis modis fiant moleſti judicibus, flagitando, querendo, iraſcendo etiam & expoſtulando, praeſertim in cauſis iis, in quibus rei pecuniariae vel ſpes vel periculum oſtenditur, agitante homines & ad omne impudentiae genus impellente cupiditate, ut illos apud Ciceronem Scaptios. In his vincere oportet animum, & perferre importunitates, ſi juſtitiam tenere velis: impatientia, etiamſi juſta, ſemper inutilis, ſaepe etiam noxia eſt, officitque mentis luminibus & animi aequitati. Quodſi quis ad hanc vitae rationem ita acceſſit, ut juſtitiam, fidem, religionem omnibus rebus potiorem ducat, ei patientiae exercendae corroborandaeque larga materia ſuppeditat. In hac autem patientiae ſchola ita noſtrum verſatum eſſe, ut ad ejus diſciplinam ſe maxime do-

cilem

cilem praeberet in eaque longiſſime proficeret, ſciunt omnes, eoque nomine ab omnibus conſtanter eſt laudatus.

Quo magis praeparatum pectus ad omnes fortunae impetus attulit, qui ſuperiori praeſertim bello in ipſum publice atque etiam privatim facti ſunt. Non commemorabimus rei familiaris jacturas, quas fecit cum multis communiter, tulit praecipua moderatione: nec morbum gravem & diuturnum, quem prope magis aequitate animi & patientia, quam medicamentis vicit: mors immatura filiae unicae, in cujus ingenio, ſuavitate, obſequio ita adquieſcebat, ut in moleſtiis publicis ejus adſpectu ſermonibusque recrearetur, hujus igitur mors quam acerba ipſi fuerit, in promtu eſt: at ille in hoc tam acerbo ſenſu nihil dixit, nihil fecit, quod a conſtantia abhorreret, & patientiae vetere laude. Amiſit ultimo vitae anno fratrem unum, carum ſibi & jucundum, quocum, ut Collega in Ordine Senatorio, curas publicas in iſtis malis partiri ſolebat: hic quoque non receſſit a moderatione patientiae. Neque illam duritiem quandam, ſed ſapientem & Chriſtianam tolerantiam mali magni fuiſſe, ex iis, quae poſt dicemus, perſpicuum fiet. Talis ille in privatis. Quid dicemus de malis publicis, de aerumnis, quae in ipſum, cum magiſtratum Conſularem gereret, incubuerunt? Quis eum vidit unquam defugere quicquam moleſtiarum, aut cedere timori, periculis, minis, non potius contra ire, & adverſis forte pectus opponere? imitantem etiam Themiſtoclis illud in Eurybiade, duce vetere, & militariter, ſive potius ſtolide feroce, a quo cum illi, conſtantius adverſanti ejus conſilio & cupiditati, poſt verborum ſordidam ferociam, etiam baculus intentaretur, nihil motus tali injuria, *percute*, inquit, *modo audi*. (πάταξον, ἄκουσον δέ.)

Nec nos ſumus ii, qui in talibus malis eum nihil ſenſiſſe dicamus. Non illa patientia fuiſſet, ſed ſtupor, cujus inertiae nihil eſt cum virtutis laude commune. Bonae animae etiam acrius ſentiunt: & ſenſus vehementia commendat patientiae veritatem. Sed ſenſus acerbitatem frangebat animi inductio & aſſuetudo ferendi; & ſi quid reliquum fieret ex ejus vi, id

omne, inconcusso animo, in corpus decumbebat: qualem nobis in Ulysse praeclare expressit Homerus, exemplum patientiae propositurus, quod non abhorreret nec ab sapientiae & virtutis veritate, nec ab humanitatis mollitudine. Nam eum inducit in acerrimo contumeliarum & injuriae sensu, quo ad ulciscendum incitaretur, pectus leniter percutientem, & sic alloquentem animum suum;

Τέτλαθι δὴ κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης·
Perfer quaeso, anime, multo graviora tulisti:

quibus verbis cum ille demulsisset animum, μάλ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληυῖα νωλεμέως, ipse quidem, ut navis inter fluctus in ancoris, stetit, tolerans constanter mala; αὐτὰρ αὐτὸς ἑλίσσετο ἔνθα καὶ ἔνθα κ. τ. λ. *at corpus huc illuc volvebatur, &c. Odyss.* υ. 18. *seqq.* Quod etiam Achillea similitudine poëtarum declaratur; quem fingunt infantem a Thetide matre tinctum Stygis aquis, ut corpus ab omni vi illaesum haberet. Neque enim ita fingunt heroem, ut sensus ab ictibus expertem faciant: detrahant enim humanitatem: sed ut tutum & securum ab ictuum noxis. Quamquam quid poëtas moramur, cum exemplum longe certius & luculentius habeamus in patientia Jesu Christi, quae cum acerbissimo sensu constantissime fert injurias & vexationes.

Sed hoc ipsum nomen admonet nos, ut cogitemus id, quod ad laudem viri valere debet plurimum: nullam esse majorem, aut Christiano homine digniorem virtutem patientia ea, quam descripsimus; nec in multis & magnis ejus laudibus ceteris esse, quae cum hac comparetur. Itaque eam potissimum delegimus, per quam memoriam meritissimi de hac Civitate viri commendaremus. Longus hic est locus, & latae disputationis, nec decurri hoc tempore potest. Sed satis erit ad intelligendum, si teneamus, primum id, quod est perspicuum, eam omnium magnarum & admirabilium virtutum velut radicibus haerere, ut sapientiae, ut fortitudinis, ut contemtus rerum humanarum, nec esse proprie unam virtutem, sed plurimarum ac maximarum summam; deinde hanc esse

vir-

virtutem, cujus nomine inprimis praedicetur in scripturis sacris Jesus Christus; velut nihil majus in eo fuerit (& certe nihil in eo fuit nobis salutarius) patientia: denique eam praeter ceteras omnes ita commendari Christianis, ut ea maxime assumenda statuant similitudinem Christi contingere in hac vita, nec sine ea Christiani nomen teneri posse. Quantum igitur virum Kustnerum fuisse praedicemus, & posteri praedicabunt, in quo tantae virtutis, a qua tam proprie Christiani censentur, tantum exemplum eluxerit? Nec eum in morte hoc patientiae bonum, immo praesidium destituit: de qua prius quam dicamus, vitae totius imago nobis exprimenda videtur.

Kustnerorum est gens in urbe Francofordia ad Moenum, mercatura facienda nobilis. Ex ea superiori seculo fuit Jo. Philippus, qui, in urbe nostra sedibus fortunarum positis, primum mercaturam magnam & copiosam fecit, deinde in Senatorium Ordinem adscitus, pervenit ad locum aedilitium. Ejus in matrimonio fuit Maria Gertrudis, Casp. Frisii, mercatoris filia, e qua natus est Gotfridus Guilielmus is, de quo dicere instituimus, a. d. XIII. Septemb. a. C. CIƆIƆCLXXXIX. Pueritiae primae praeceptorem habuit Adamum Mahnium, qui postea sacra fecit in villa Paupitiensi, Dioecefeos Delitianae, Kellium item & Lavium: a quibus, praeter religionis praecepta, didicit literas Latinas. In eorum disciplina, sive ipsius, sive ingenii sui bonitate, cepit literarum gustum talem, ut, cum de patris consilio & voluntate, quae solet praecurrere liberorum vel ingeniis vel inclinationi, mercaturae discendae operam dare coepisset, primum distineretur aliquandiu literarum amore & voluntate paterna, post., vincente illo, & exorato patre, literarum studia repeteret. Ita a. C. CIƆIƆCCVI. nomine dato Civitati nostrae, primum Philosophos, & literarum humaniorum doctores, Pezoldum, Gotfr. & Georg. Philipp. Olearios, Gotfr. Langium, Frankensteinium, post Juris doctores secutus est, Menkenium, Jo. Frid. Olearium, Rivinum, Titium, & Baudisium. Quibus assidue audiendis cum scientiam juris idoneam consecutus esset, coepit in publicum proferre studia sua, primum disputatione *de herede*

ab intestato, successione ex testamento repudiata, sub Jo. Frid. Olearii praesidio disceptanda; deinde Doctoris honoribus & juribus per legitima examina, & disputationem *de menstrua & annali praescriptione literarum Cambialium ad* §. *XXXII. Ord. Camb. Lips.* impetrandis; quibus a. d. III. Martii a. CIƆIƆCCXII. solemni ritu est inauguratus. Cum operae pretium fecisse videretur peritis in illa Disputatione scribenda, instituit totam rei Cambialis Ordinationem commentario illustrare: sed absolutionem operis, cujus initia inter chartas ejus reperta sunt, impedivit multitudo negotiorum forensium, quae ab omni parte se ingessere, cum primum causas agere coepisset. Etenim tanta dexteritate, diligentia, fide ac religione agebat causas, ut maximas quasque & difficillimas nulli rectius credi posse constaret. Itaque mox inter primos causarum Patronos est numeratus, alteroque statim anno locus ei datus est regio decreto inter eos, qui causas in Curia & Consistorio agerent, tertio autem etiam in Ordinem amplissimum est cooptatus; in quo anno XXXIII. ad Praeturam pervenit, anno autem post Syndicus est creatus. Eo munere cum septem annos, magna cum dexteritate ac fide functus esset, secundum a Consulatu locum obtinuit, qui consuetudine Civitatis Proconsulatus appellatur, habetque Consiliarii Senatorii vim. Ad extremum Consul Civitatis a. XLVIII. summo omnium consensu factus, Ordini amplissimo ad finem vitae, maxima cum dignitate, praefuit. Ei Ordini, & per hunc universae Civitati, quantum per omne tempus agendo, consulendo, vigilando, saepe cum maximis molestiis, praesertim in proximis belli miseriis, profuerit, quantum etiam dignitatis attulerit, si dicere vellemus, oratio justa scribenda foret. Inter haec etiam alia vel munera vel ornamenta sunt in eum collata. Nam a. XXIII. in Scabinorum Collegium est receptus; anno autem XXVI. inter Assessores Curiae decreto regio, eodemque anno in Consilium amplissimum, quod in urbe Dresda de provocationibus disceptat. In quibus Collegiis semper ita insignis fuit ejus dexteritas, diligentia, fides, ut nihil ipso esset probatius. Accessere ornamenta Consiliarii, primum auli-

ci,

ci, poſt in bellicarum rerum conſilio ſanctiori. Cooptatus eſt etiam in Collegium Canonicorum Vurcenenſis Eccleſiae, anno XXX. cui ab anno LVI. Decanus praefuit.

Nec domeſtica ei bona & ornamenta defuere. Nam anno poſt, quam in Senatum cooptatus erat, in matrimonium accepit Chriſtianam Eliſabetham, Chriſtophori Georgii Winkleri, Senatoris aedilitii, e Suſanna Sophia Pakbuſchia filiam, virginem omnibus ſexus ſui bonis ornatiſſimam, quae tantae virtutis ac dignitatis conjuge magno cum luctu ſuo privata, in filii unici pietate, dignitate & felicitate acquieſcit. Ex ea ſex liberos ſuſcepit, Chriſtophorum Philippum, Chriſtianum Guilielmum, Ludovicam Guilielmiam, Carolum Ludovicum & Erneſtum Guilielmum, gemellos, & Chriſtianam Carolinam. Ex his quatuor in prima infantia amiſit, ante hos ipſos autem quatuor annos Chriſtianam Carolinam, virginem ea forma corporis & multo magis ingenii, morum, ſermonum venuſtate, ea humanitate & virtute, ut, quemadmodum ille ait apud Terentium, voluptati eſſet, quocunque adveniſſet, in ipſo aetatis adoleſcentis flore, tota civitate non acerbam magis ipſius mortem, quam luctum parentum tantum miſerante. Unum ſuperſtitem reliquit filium, Chriſtianum Guilielmum, in quo largam & perpetuam ad finem usque vitae habuit materiam gaudiorum; primum ab indole praeclara, mox ſtudio doctrinae & virtutis acerrimo, obſequio & amore erga ſe ſingulari, poſt, honorum acceptorum ſplendore, & matrimonii felicitate. Nam eum Doctorem utriusque Juris, Facultatis Jurid. Conſiſtoriique regii Aſſeſſorem vidit, & in Senatu Urbis pariter atque Capitulo Eccleſiae Vurcenenſis habuit Collegam, denique ex ejus matrimonio cum Emerentia Charitate, Chriſtiani Nicolai Schneideri Pharmacopoei honeſtiſſimi filia, ornatiſſima femina, auctus eſt neptibus quatuor & nepote uno, Erneſto Guilielmo, ſuperſtite cum tribus ſororibus, Chriſtiana Charitate, Carolina Henrica & Auguſta Carolina. In ultimis gaudiis humanis hoc habuit, quod quinquageſimum Doctoratus annum ſuperavit, hac etiam ex parte aequatus Collegis Conſularibus, Stiglitio & Bornio, celebrante

eum

eum diem, quo olim inauguratus fuerat, filii pietate, & omni ratione exhilarante Parenti Optimo; cujus suae pietatis paternaeque felicitatis elegantissimum monumentum fecit *Chrestomathiam Juris Ennianam*, in ipso illo Doctoratus paterni velut natali editam. Et is ultimus ei annus vitae fuit; neque enim diutius sustentari valetudo poterat, a multis jam annis labefactata, & jam penitus fracta.

Erat in eo, ut supra diximus, a natura magnum corporis robur: sed id debilitatum erat ante multos annos, laborum, inprimis eorum, quae sedendo peraguntur, assiduitate: cujus rei conspicua signa dabant pedum circa talos tumor, & color oris, qualis esse a καχεξίᾳ solet; unde statis propemodum tussibus, aut aliis destillationum molestis generibus infestabatur. Alvus erat segnis & medicamentorum laxantium saepissime indiga: pulsus arteriarum raro naturalis, & post cibum, quem largius sumebat & solidiorem, varius atque intermittens: praecordia denique inflari sibi acrius & opprimi assidue querebatur. Sed utcunque sustentabatur & naturalis vigoris reliquiis, & Ackermanni, medici clarissimi, curiosa vigilantia. At tribus ante mortem annis, mense Aprili, corripuit eum asthma humidum tanta vi, ut vitae periculum adiret. Nam cum tumor vetus pedum, loco repente mutato, pectus invasisset, suffocatio, vel ab catarrho, vel ab effusione aquarum, timebatur. Sed tum effugit periculum. Etenim primum pituitae rejectio copiosa respondit medicamentis; deinde cum tumor repente in pedibus ortus ad inguina usque sublatus esset, & exitialis hydrops imminere videretur, squilla & saponata ejecere vitiosam aquam, etiam ulcusculis e rupta cute sanatis per corticem Peruvianum & fascias, quibus etiam crurum infirmitas fulciebatur. Itaque posthaec imbecilla quidem, at tolerabili valetudine usus est, potuitque & Consularibus muneribus anno suo fungi, & alia curare, quae vitae ratio postularet. Sed eo, quo mortuus est anno, die altero Decembris, qui mensis ei semper infestus fuerat, cum de somno surrexisset sine alicujus incommodi sensu, coepissetque agere, quae solitus esset, repente sensit latus sinistrum sibi resolutum esse. In hac tam perspicua mortis appro-

pro-

propinquantis denunciatione cum trepidarent sui, ipse nec expavit evocantem se ab hac vita mortem, nec ullum tergiversantis & detrectantis signum dedit. Et accinxerat se dudum huic itineri, ut eum nihil moraretur. Non dicam, de funeris sui modo jam ante mandata dedisse, & ea causa edictum regium impetrasse, quod prope sellam suam repositum habebat in fenestra cubiculi proxima: quomodo a fratre moribundo, paucis mensibus ante, discesserit, juvat memorare. Nam cognito ejus periculo, ad visendum venerat, & apud lectum ejus aliquandiu sederat. Surgenti tandem, ut discederet, cum moribundus ille pararet vale dicere; quid opus est, noster ait, vale dicere, qui a te ita discedo, ut mox ad te sim rediturus. Vocatus tamen est Ackermannus, si quid opis ferre posset, sed inprimis Jo. Christianus Stemlerus V. S. R. ut sermonibus faciendis, & precibus praeëundis, sustentaret atque adjuvaret piam animam; quae mox, inter ipsas preces, soluta corporis confecti vinculis, ad vitam coelestem evolavit, magno sui desiderio & suis & toti Civitati relicto.

Quod mortale habuit, illatum est hereditario in aede nova sepulcro, prosequente funus non modo propinquorum & amicorum magno numero, sed etiam alia innumerabili hominum multitudine. Et auditi sunt tum crebri sermones, non modo populi, sed etiam optimatium multorum, querentium jacturam, quam in eo viro tot Collegia, Senatus inprimis, temporibus illis, & Civitas universa fecissent. Sed illae querelae, quamvis honorificae ipsi, inanes sunt, nec habet fructum earum commemoratio. Illud frugiferum minoribus & salutare fuerit, si sciant, quo ingenio, quibus moribus fuerit, quibus institutis in omni vitae genere usus sit, unde capere quisque possit, quod sibi & reipublicae prosit.

Incredibilis memoriae vis erat, aucta longi temporis exercitatione. Quamcunque causam vel ipse quondam egerat, vel commentariis litium tractandis cognoverat, eam tenebat etiam senex. Omnia Senatus ac Civitatis jura, controversias cum suis momentis, Decreta Principum interposita, tenebat ita, ut saepe ad annum suum rem quamque, etiam superioribus seculis

actam,

actam, referre posset, essetque alterum Civitatis tabularium. Et tamen non fidebat memoriae in caussis forensibus ad consilium referendis; sed quibus caussa quaeque contineretur, ea diligenter adnotabat e commentariis litium: quod agentem etiam mors oppressit: eamque diligentiam & suae fidei ac religioni, & litigantium securitati se debere existimabat, cui aliter satis cautum esse ab memoriae perfidia, & hinc injuria, negabat.

In ipsis caussis dijudicandis, etsi facile videbat, quo momento quaeque penderet, nec vagabatur incerta & temeraria cogitatione, quam imperiti meditationem fingunt esse: tamen utriusque partis argumenta serio & prope morose ponderabat, adsuetus ei cogitationis quasi altercationi ab actis olim interdum caussis contrariis; nec tam celeriter decernendo captabat ingenii celeritatisque laudem, quam cunctanter & cogitate pronunciando consulebat fidei suae. Sed cum in omni genere caussarum tractandarum valeret plurimum, tum vero regnabat in iis, in quibus ex interdicto agitur. Itaque earum cognitionem prope totam delegatam sustinebat.

Ceterum efficax erat in agendo, industriaeque pertinacia & contentione tantum proficiebat, in vita multis negotiorum generibus occupatissima, quantum alii vix in summo otio. Neque enim, in hoc quoque genere, refert, quam diu moliare, sed qua vi & arte agas. Itaque tamen supererat, quod suis, quod amicis, quod adeuntibus impertiret temporis. Et erant facillimi ad ipsum aditus, & audiendi cujusque mira patientia, sine ullo arrogantiae fastidio, ut qui etiam a severissima cogitatione avocatus explicatam frontem habere posset. Petentibus aliquid, quod sui unius arbitrii non esset, non nimis facilis in promittendo erat, commemorabatque etiam difficultates rei, & minuebat spem adipiscendi: ceterum cum aequa petebantur, non deerat agendo voluntati honestae, & saepe praestabat, cujus nullam, aut valde levem spem fecerat.

Fides in omni republica administranda singularis erat. Ea maxime nitebatur amore partis cujusque sibi creditae, quod est vinculum fidei artissimum: eique amori,

ri, ut fit, interdum etiam plusculum, quam aliis commodum esset, largiri putabatur.

Nihil eo neque aptius fuit neque studiosius concordiae cum collegis servandae. Aliud putabat Collegio praeesse, aliud imperare: quae est difficilis plerisque distinctio. Nam in illo utilitas communis spectatur, in hoc sua cujusque cupiditas agitur. Non nimis sui arbitrii erat: nec ita amabat sua consilia & sententias suas, ut iis omnes cedere cuperet, nec ipse alienis cedere sustineret. Itaque nihil in iis defendendis neque vehementiae aut asperitatis, neque arrogantiae erat. Cupiditates aliorum, praesertim quae nihil noxae publice habiturae essent, magis cedendo prudenter, quam pertinaciter adversando vincere solebat: peccata autem & errores, non tam vehementer reprehendendo aperiebat, quam factis leniter corrigendo tollere tentabat.

In vita & consuetudine familiari nihil vanitatis erat: gravitas mixta comitate, etiam interdum hilaritate. In amicitiis constantia, in consiliis dandis fides & prudentia laudabantur. Nihil libentius quam laborabat; ne aegrotans quidem a labore sustinebat vacare. Itaque etiam mors laborantem & agentem aliquid deprehendit. Quo magis ei etiam gratulanda est quies illa vera & perpetua, ad quam ex hac laboriosa & aerumnosa vita vocatus est.

Nostrum est, Cives, tantam viri tanti virtutem memoria grata colere, sed multo magis imitari, & ad easdem laudes strenue contendere.

M E-

MEMORIA

JO. GOTFR. BAVERI,

ECCL. MARTISB. CANONICI, CONSILIARII PROVOCATIONIBUS JUDICANDIS, PROFESS. DECRET. ORDINIS JURID. DECANI, ETC.

In ornanda memoria Juris Consulti, nostris in terris & loco, & scientia, & fama principis, nefas esse videtur, de alia re dicere, quam quae & ipsi carissima & honestissima fuerit, hoc est, de jure ipso, & de rebus ad eam scientiam pertinentibus. Itaque commode nobis venit in mentem de sermone ejus aliquo, cum ex amico literarum antiquarum studioso quaereret, an juris ejus, quod ad pecuniarum permutationem pertineret, Italico verbo Cambiale vocat pragmaticorum consuetudo, omninoque talis per literas permutationis, vel initia quaedam, vel vestigia in literarum Latinarum monumentis antiquioribus reperirentur: nec alienum videtur, quae tum ea de re dicta sunt, breviter commemorare.

Atque constabat, hanc esse vulgatam inter nostros opinionem, ut omnem rei ipsius, & ad mercaturam & ad pecuniariam rationem universam opportunae, inventionem propinquis aetati nostrae seculis, multi etiam callidissimae ad inveniendum in quaestuosis rebus nationi Judaicae, adscribendam putent, cujus in-

ingenium ad id inventum acuerit Regum Francicorum, per Judaeorum exilia ditescere cupientium, saeva avaritia; in eoque numero nomen suum esse professum clarum Operis de *Causis* & velut ingenio *legum* auctorem, Montesquium *XX*, 16. *p.* 289. Nec dubium est, rem illam tum novam rudibus ad tales artes populis fuisse. Ne illud quidem negandi certae & perspicuae causae sunt, Judaeos id inventum non aliunde acceptum, sed suo quaesitum ingenio tenuisse. Neque enim ignoramus vim necessitatis & cupiditatis, & ingenii humani naturam. Eadem necessitas easdem artes diversis locis ac temporibus vel subjicit vel exprimit, praesertim in genere hominum & vitae, quod natura sua sit ad excogitandum acutum & incensum. Et tamen non nimis abhorret a specie veri, semina illius inventi ex Orienti in Europam a Judaeis fuisse adlata. Etenim satis constat, Judaeorum, qui tum fuerunt in Europa, praesertim qua ad Occidentem vergit, migrationes duci ab Saracenorum ex Africa adventu, inter quos iis tutus & benignus semper receptus fuerat. Atque, ut opinamur, non inutilem aut ingratam operam iis in uberrima illa mercatura Indica retinenda & exercenda, post Aegyptum occupatam, navarat facta ad omnia mercaturae faciendae artificia natio. Sed mercatura illa Indica cum latissime antea, ab antiquissimis seculis, & per universas prope maris mediterranei oras, patuisset, quibus omnibus Aegyptus advectas ex Indis merces distribueret, atque Christianis cum Aegypto ipsa ademta, in Saracenorum potestatem delata & conservata esset; credibile est, etiam una veteres pecuniarum tractandarum rationes mansisse, quibus praesertim negotiatio illa, tam longinquis & multis distracta locis, carere vix posset. Utcunque sit, pecuniarum per literarum scripturam permutandarum, & juris inde nati initia & vestigia in antiquissimis rerum Romanarum auctoribus reperiuntur: quae breviter, age, indicabimus.

Ac primum, quae sunt hodie in illa permutatione literarum opportunitates, eae sunt ejusmodi, ut ipsae rem reperisse quocunque tempore ac loco videantur. Nam & varietas numorum, quibus non iisdem utuntur locis omnibus, & pecuniarum in loca quaeque, primum

ſine moleſtia, deinde ſine periculo, deferendarum compendium, cum primum loca longinqua inter ſe commercio aliquo conjuncta ſunt, paene manibus homines deducunt in hanc rationem. Itaque apud Romanos, quoad Italiae finibus continebantur, aut vicinis locis bella gerebant, nulla talis inſtituti quaerendi neceſſitas extabat, nec ullum ejus in omnibus ſcriptis veterum veſtigium reperitur. At poſtea, cum, mari trajecto, tot in provinciis, iisque remotiſſimis, magiſtratus, duces, milites haberent, tot deinde cives, equites inprimis, qui, pecuniis ſuis in provincias translatis, negotiationem pecuniariam exercerent; cum iter ſaepe, propter negotium aliquod publicum privatumve, facere neceſſe eſſet, vel ſtudiorum cauſa longinqua loca peterent, hisque de cauſis omnibus pecuniae Romanae provincialesque longe lateque commearent; ſtatim uſurpari coepit pecuniarum permutatio, quae literis fieret. Nam ſicut multitudo pecuniarum ſua ſponte reperit ſolutiones per ſcripturam menſae (*lo ſcontro*) ſic locorum longinquitas, propter eas, quas diximus, cauſas, permutationes. Harum igitur rerum teſtimonia dicat teſtis idoneus Cicero.

Primum igitur ab eo diſcimus, pecuniam eam, quam ſibi in Ciliciam pro Conſule ituro Senatus decreviſſet, non in arca ſecum aſportaſſe, ſed literis mancipis, pro quibus in Aſia pecuniam eam a publicanis vel negotiatoribus acciperet, vel quibuscum manceps res & rationes haberet, quosve Ciceroni demonſtraſſet, vel qui illam ſolutionem ſuſcipere vellent. Nam ingreſſum Aſiam ſe, ſcribit, paucos dies Laodiceae fore, *dum accipiat pecuniam, quae ſibi e permutatione publica debeatur*, ad Div. III. 5. Nec illa permutatio tantum ad genus numorum pertinebat, ut Graecis in numis acciperet, quae in denariis decreta eſſet pecunia, quamquam fortaſſe hoc quoque: nec enim neceſſaria exiſtimari talis permutatio debet, cum in Aſia pecuniam Romanam uſus vitae communis non repudiaret: ſed etiam, & maxime ad literas, quas ipſe permutaret numis vel Romanis vel Graecis, qui autem dediſſent pro literis, Romae denariis literas. Viciſſim, quam ſua ſibi parſimonia honeſta reliquam in provincia feciſſet, e ſtipendiis & aliis Pro-

con-

consularibus, ut ita dicam, vectigalibus, ea erat in cistophoro (*ad Att. II*, 1.) qui tetradrachmis (quaternis denariis) aestimabatur, manseratque in Asia magna parte, sive deposita apud certos homines, sive potius, ut opinor, in foenore. Ex ea cum, belli Pompejani initio, satisfacere Attico cuperet, *ejus pecuniae permutatione* id scribit fieri posse, non, ut Popmae visum est, Graeca solvenda pro Romana, quam commemorare non esset necesse, sed quae literis fieret. Hujus generis sunt *permutationes*, quae emtionibus junguntur, a Pisone in Macedonia provincia factae, *ad Tusculanum montem exstruendum* (*in Pison.* 21.) ut bene vidit ibi Hotomannus. Tum tali permutatione Cicero usum se dicit in reditu e provincia, atque effecisse, *ut sibi & populo cautum esset, sine vecturae periculo*, ad *Div.* II, 17. Missurus denique filium Athenas, discendi causa, quaerit ab Attico, *quod ei opus futurum sit Athenis, permutarine possit, an ipsi ferendum sit*, ad *Att. VI*, 24. In quo clarum est intelligi, utrum ipsa pecunia deferenda sit, an literae Attici, pro quibus Athenis pecuniam acciperet. Et post, cum, anno ibi exacto, alia pecunia opus esset, *velim cures*, scribit ei, *ut permutetur Athenas*, (quod non bene Scaliger tentabat) *quod sit in annuum sumtum ei. Scilicet Eros*, qui Ciceronis pecunias Romae dispensabat, *numerabit*, (valuta) nempe tibi, aut procuratoribus tuis Romae, quod filius accipiat Athenis, te per literas curante, quas pecunia permutet cum aliquo negotiatore Romano, vel trapezita Graeco. Atque hinc etiam aliquid lucis accipit illa pecuniarum Romanarum & Asiaticarum conjunctio, quam commemorat in *Maniliana* c. 7. *fides haec atque haec ratio pecuniarum, quae in foro versatur, implicita est cum pecuniis Asiaticis atque cohaeret. Ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefactata motu concidant.* Ibidemque ait, *belli Mithridatici initio, cum in Asia res magnas permulti amisissent, Romae, solutione impedita, fidem concidisse.* Nam conjunctae pecuniae Romanae & Asiaticae aliter esse non potuere, quam permutationibus literarum: & fides Romae concidit, quod solutiones pecuniarum e permutatione in Asia non sequebantur, cum negotia-

tores belli injuria pecunias ſuas perdidiſſent, & Romae literae Aſiaticorum negotiatorum non valerent.

Sed a privatorum permutationibus in hoc diſcrepabat publica, quod in hac, ut nunc in publicis aliquo curandis fit, aerarium eam mandabat, qui ſuas literas ita interponebat, accepta ab aerario pecunia, *mancipem* vocabant, ut caveret populo *bonis praedibus*: nec enim aliter in ullo genere pecuniario publico fiebat. Nec *praedes* ſunt iidem, qui *mancipes*, ut video quibusdam placere: neque enim aliter dicuntur, quam de iis, qui cavent. Quo pertinet locus epiſtolae obſcurioris illius Ciceronianae ad Rufum, V, 20. de ea pecunia, de qua ſupra dixi. *Erat*, inquit, *nobis curata pecunia Valerii mancipis nomine*: is enim receperat pecuniae illius ſolutionem per literas ſuas curandam, eoque nomine caverat aerario bonis praedibus, quorum eſt in illa ipſa epiſtola mentio. Quae res habet aliquam ſimilitudinem cum noſtris pecuniae permutationibus iis, in quibus cautionis loco adſumuntur, qui ſui nominis ſubſcriptione caveant pari vi ac jure.

Enimvero cum in omni genere actionum, in quibus utilitas hominum agitur, & periculum rei familiaris adiri poteſt, juris opera ad ſecuritatem expetatur ab iis, quorum intereſt, idque ſe praebeat ipſum ad cujusque ſecuritatis uſum: ſponte intelligitur, inventionem illius permutationis mox ſecutam eſſe accommodationem juris ad ejus ſecuritatem tuendam, inventosque, qui eam partem juris diligentius excolerent. Jam quod ad permutationes publicas attinet, earum jus, quia bonis praedibus cavebatur, partem fuiſſe *praediatorii juris*, dubio caret, clareque patet ex Epiſtola Ciceronis, e qua de Valerio mancipe commemoravimus. Itaque cum ſolutio pecuniae, quae ex tali permutatione publica alicui, magiſtratui provinciali, aut aerario deberetur, quacunque de cauſa non ſequebatur, praedia mancipis praedesque tenebantur. In privatis autem permutationibus non aliam cautionem invenimus fuiſſe, quam quae in aliis pecuniis creditis eſſet, non modo per tabulas ipſorum, qui contraherent negotium, ſed etiam aliorum, inprimis argentariorum in urbe, & negotiatorum vel publi-

publicanorum in provinciis, qui in suis tabulis rogati pariter scriberent, quid quis, cui, & qua conditione ac lege, solvisset, unde illae apud Ciceronem *pecuniae multorum tabulis testatae* intelligi debent.

Et hactenus quidem pecuniarias per literas permutationes illis temporibus usitatas fuisse demonstrari potest. Cetera, quae nunc in eo genere pecuniarum credendarum fiunt usu aut jure, ea recentiora sunt: illa tantum initia quaedam fuere, quibus, vel commoditatis augendae, vel fidei sanciendae diligentia paullatim plura adjunxit: unde haec, quae nunc est, permutandarum per literas pecuniarum ratio, & scientia juris ejus, quod pecuniis ita creditis cavet: in qua, ut in aliis generibus juris ita excellenter versatus erat Bauerus noster, ut pro communi oraculo haberetur. Sed id facilius & melius cognoscere licebit, si de vita, studiis & institutis ejus universis, scriptis atque honoribus dicamus. Id hoc facimus libentius ac studiosius, quod in eo studiosis disciplinam quandam juris discendi atque ad usum publicum conferendi nos tradituros confidimus.

Ac primam ad bene discendum jus opportunitatem habuit, quod natus erat parente, ipso juris & caussarum agendarum peritissimo, qui auctor esse filio juris recte & severa lege discendi posset, juventutem autem agebat in domo ea, in qua aures mature personarent vocibus, quibus vel incenderetur animus ad juris studium, vel etiam ad facilius discendum praepararetur. Sed in eo plurimum provisum est a parente, quod filii ingenium literarum humaniorum disciplina bene subigendum curavit, inprimis a Crellio, Scholae Nicolaitanae in hac urbe Rectore, de cujus in eo genere felici artificio supervacuum sit dicere, & diximus alias. Et literas inprimis Latinas in illius viri disciplina ita didicerat, ut ex iis in discendo jure plurimum juvaretur, easque ita adamaverat, ut ad extremum earum amorem conservaret. Nam etsi ipse, ut fateri solebat, tractandis juris partibus iis diligentius, quae a barbaris ortae, Latinitatis elegantiam non capiunt, ut feudali, elegantiam scribendi perdiderat: tamen rem ipsam laudabat & commendabat, ac negabat, sine multis literis Latinis jus bene disci, leges veteres

a Romanis ortas recte intelligi & explicari posse, libenterque utebatur consuetudine eorum, qui earum literarum peritiores essent, nec male judicabat de virtutibus orationis Latinae, & cujusque de recentioribus in eo genere facultate.

Haud paullo magis profuit ei ad scientiam juris accuratam & copiosam, quod patrem eum habebat, qui non, sumtus parcendi causa, ut fit, urgeret filium, ut quam brevissimo tempore decurreret spatia discendi, festinaretque ad quaestum, sed qui lento gradu procedere juberet & accurate discere. Itaque cum quinque annos in hac Urbe audisset doctorem optimum quemque, tamen misit Vitebergam, ut excellentes illos Juris Doctores, Hornium, Wernerum, Griebnerum, audiret: in quorum ille pulcerrima disciplina totum biennium consumsit. Et ipse solebat hoc nomine gratias agere parenti mortuo, & comparando illius temporis in docendo discendoque diligentiam & paene cunctationem cum praesenti festinatione demonstrare, quae commoda illius fuissent, quae hujus noxae jam sentirentur, ejusque auctoribus, ut assentatoribus ignaviae juvenilis, & suae quam publicae utilitatis appetentioribus, irasci; cum ipse in docendo rerum, non temporis, norma regeretur, nec alios Lectionum terminos sibi poneret, quam quos diligentia explicandi, & vera discentium utilitas paterentur.

Omnino hoc traxerat e pristina illa, cui adsueverat, docendi severitate, diligentiaque, ut magna fide & religione in tradendis iis uteretur, quorum disciplinam profitebatur. Itaque bene praeparatus ad unumquemque velut actum veniebat: quaedam etiam ante commentabatur & literis conformabat: non, ut de scripto recitaret, quae traderentur, sed, ut accuratius cogitata & expensa traderet: quod fit tum maxime, cum ante scripsimus, quae dicantur. Nam ut, quemadmodum Philippus Melanthon solebat dicere, nullo alio certo experimento cognoscere tirones disciplinarum possunt, rectene ceperint, quae a magistris tradita sunt, nec ne, quam conatu scribendi, quae didicere, & per scripturam repetitione, quod eam vagae cogitationes & confusae effugiunt ac destituunt, nec prehendi stilo ac defigi possunt: sic nulla certior ratio

est

est judicandi, possimusne rem quamque perspicue, distincte, & sine ambagibus plene explicare, quam si ante per scripturam veluti decernamus, quid, quomodo, & quibus verbis tradere velimus. Cum Professionem Juris adisset, cujus est, titulum *de Verborum significatione & Regulis Juris* Lectionibus publicis explicare, sciretque, quam raro ei titulo satisfieret, cum plerique in eo explicando Latinitatis antiquae imperiti, alii, Latine docti, sine usu juris reperirentur, alii, salutari remedio usi, quidlibet potius, quam illum titulum explicarent: ipse, uti narrabat amicis, summo studio hoc egit, ut plane consilio instituti veteris satisfaceret, & verba accurate explicando & usum juris demonstrando: eaque omnia se ajebat ante complexum esse scripto, quam in cathedram proferret, tanta cura ac diligentia, tanquam prelis typographicis essent subjicienda & in lucem proferenda. Et multis annis post adfirmabat, vir minime ostentator sui, ea lucem timere non debere. Quod si quis ea, quae per varias occasiones academicas scripsit, cognoverit, primam sane virtutem intelligat diligentiam, quam & ipse primam in scriptis aliorum quaerebat, nec ullo modo vulgarem negligentiam & festinationem in scribendo ferebat. Sed ad ordinem coeptum studiorum & institutorum viri redeamus.

Cum igitur absolverat illud tam longum curriculum studiorum, proferre ad usum communem patriae instituens, quae tanto labore tantaque diligentia didicisset, hanc sibi legem ipse dixit, ut juris docendi diligentiam conjungeret cum causarum in foro agendarum industria: quam legem constanter servavit usque ad susceptam Professionem juris publicam, cum alteram ab altera juvari, hoc est, scientiam usu firmari, usum scientia regi, sentiret. Sed etiamsi utrumque diligenter & feliciter agebat, omnibus operam vel docendo vel agendo sibi ab eo navatam probantibus; diu tamen propemodum latuit vir, nec ostentator bonorum suorum, nec prensator importunus potentiorum, donec per occasionem cognitus a potente quodam viro, & in lucem protractus est, mirantibus etiam, ut bene meminimus, quibusdam, nec iis invidis aut indoctis, qui viri tamen virtutes cognitas non habebant. Adeo

modeſtia, etiam optime ſibi conſcia, & nixa fiducia virtutis ſuae, ſibi officit ipſa, fruſtraque ſaepe exſpectat illam Leonis in fabula magnanimitatem, offerentem modeſtiae benignitatem ſuam, quam neget impudentiae flagitantium. Sed quae res ei aliquandiu obſtiterat, eadem poſt pro gloria ceſſit. Nam ut primum in cathedram publicam venit, adſcitusque eſt in Collegium Ordinis Juridici, omnium oculos & animos in ſe convertit, admirantium & laudibus ferentium ejus doctrinam, in cognoſcendis cauſis ſolertiam, & in reſpondendo prudentiam & diligentiam ſingularem, in his inprimis Stiglitii, omnium rerum bonarum & ingeniorum praeclarorum fautoris certiſſimi, qui ab illo ſtatim tempore eum adamavit, laudibus celebravit, &, quoad vixit, in oculis habuit.

Sed cum omnes juris partes magno ſtudio & pari diligentia tractaſſet, excellenterque teneret, tamen inprimis adamarat colueratque partem eam, quae in feudis verſatur, in qua plane regnabat. Itaque ex ea diſciplina argumentum ſumſerat Diſputationis, per quam aditum ſibi ad honores Doctoris & ad notitiam eruditorum patefaceret, & poſtea tam ſaepe caput aliquod illius, & quaeſtiones difficiliores literis explicavit, ut juſtum corpus eorum ſcriptorum fieri poſſet. Atque de hac ejus excellenti in eo genere ſcientia ita conſtabat, ut eum potiſſimum auctorem & magiſtrum ſequerentur, qui eam ſcientiam accurate cognoſcere vellent, & in cauſis hujus generis difficilioribus fere ejus conſilio & opera uterentur, denique, ubi tali de cauſa reſpondendum eſſet, ipſi maxime res deferretur. Sed nihil in toto illo genere illuſtrius fuit diſceptatione controverſiae, quae inter Celſiſſimam Domum Anhaltinam & illuſtrem gentem Munchuſiam interceſſit ſuper Dynaſtia Dornburgenſi: in qua quaerebatur, an jus ſuccedendi in feudum vacans amitteretur e jure Saxonico, ſi ejus ſpei ac juris beneficium repetitum ſuis temporibus non eſſet: cum noſter Anhaltinorum Principum, Georg. Ludovicus Boehmerus, JCtus doctrinae excellentis laude celeberrimus, Munchuſiorum cauſam defenderet: per quam occaſionem totus ille locus de jure, quam communem Saxonum manum vocant, ab utraque parte diligentiſſime excuſſus eſt.

Sed eventus causae litem secundum nostri sententiam dedit.

Hunc talem virum sibi ipsa dedit Lipsia. Natus enim est in hac Urbe nostra, anno superioris seculi quinto & nonagesimo, patre Gotfrido, Juris Doctore & Patrono causarum claro, matre Joanna Maria Rinkia, sorore clarissimi illius Altorfinae Academiae ornamenti, Eucharii Gotlieb Rinkii, nata Jo. Georgio Rinkio de Dorstig, Domino Steteritii, & Praefecto juris dicundi in praefectura Beltitiensi, cujus pietatem, & gravitatem, & in educando curam solebat laudare. Literas primum a domesticis praeceptoribus didicit, deinde in Schola, ut diximus, Nicolaitana, e qua anno hujus seculi undecimo venit ad Doctores Academicos, Philosophos primum, Gotfr. Polycarpum Mullerum, & Jo. Gotlieb Hardium, deinde JCtos, Rechenbergium, Philippum, Schacherum, Barthium & Lud. Menkenium. In quorum disciplina cum quinque annos exegisset, missus est a patre Vitebergam, audivitque ibi, quos supra diximus, praeterea Gotfr. Ludov. Menkenium; sub quo etiam, ut ante Rechenbergio, vires disputando periclitatus est. Viteberga duobus annis post relicta, Altorfium abiit ad avunculum salutandum, a quo filii loco amabatur, cepitque ibi honores Doctoris, disceptata Disputatione, de *temporaria feudi consolidatione.*

Ita in patriam reversus, animum ad jus, docendo causisque agendis exercendum applicuit, successu & fortuna ea, qua diximus. Inter quae etiam subinde quaestiones juris pro Cathedra disceptandas proposuit. Sed per totos viginti annos fructum & praemium doctrinae publice nullum cepit. Tandem fortuna eum benignior respexit, ad Professionemque de V. S. & R. J. admovit; a quo gradu, praeteritis mediis, ad primum venit, mortuo Rechenbergio; cum tempore medio etiam Stiglitio suffectus esset in Consilio regio, in quo de provocationibus certatur. Sed hunc in eo Consilio locum, conservatis ornamentis, reliquit, cum Ordinis JCtorum praesidium cum ceteris muneribus suscepisset, quae sunt cum eo loco conjuncta. Haec tam gravia munera quanta cum dignitate sustinuerit, dicere non est necesse, cum constet inter omnes,

Matrimonium bis iniit, primum cum Anna Martha Knaueria, mercatoris honesti filia; quod matrimonium sine prole & breve fuit: deinde cum Henrica Guilielmia, virgine ornatissima, Christiani Reinhardi, Consiliarii Martisburgensis, filia. Ex ea suscepit quatuor filios, Henricum Gotfridum J. U. D. & Professorem, Fridericum Guilielmum, Christianum Fridericum, Carolum Augustum, Procenturionem in cohorte Cataphractorum Brenkosiana: itemque tres filias egregias, Jo. Sophiam, Fridericam Guilielmiam, Henricam Benedictam: quibus omnibus dignam & ipsis & tali parente fortunam contingere serio optamus. Atque utinam iis contigisset nobiscum diutius superstitem habere parentem, vel spectatorem vel adjutorem fortunae, fruentem etiam ipsorum pietate & obsequio, quo maxime sustentabatur senectus laboriosa. Sed aliter visum est Deo, qui eum valentem adhuc & bene vegetum, gaudentemque domus suae disciplina & spe, repentino morbo dejectum, ab suis abstraxit, & ad alteram vitam transtulit. Nam acrimonia, quam tenue & siccum corpus inter assiduos labores collegerat, autumno anni 1762. incertum qua de causa, ad glandulam maxillarem dextram copiosius delata, tumorem fecit, qui nullo remedio discuti posset, metumque carcinomatis injiceret. Sed languor corporis & febris lenta tabem attulere, qua paucis mensibus absumtus est. Exspiravit d. 11. Martii, anni superioris hora quinta pomeridiana, in amplexibus filii natu maximi, praesentibus ceteris liberis omnibus, & tristi precandi officio adjuvantibus piam animam, excedere de corpore nitentem.

Atque ita amisit Civitas virum, in quo habuerat specimen industriae, fidei, severitatis, virtutis denique & pietatis integrae & simplicis, nulloque artificio ad oculos capiendos fucatae. Nam industria quanta fuerit in laborando, testis est tota civitas, testes sunt inprimis ii, quos Collegas habuit & socios laborum. Et laborabat, ut efficaciter, ita libenter, ut, qui prae labore, quem officii causa suscepisset, omnes oblectationes contemneret, prope necessitates vitae negligeret. Et erat robur, ut corporis, ita animi, etiam adsuetudinis tantum, ut gravissimos & continuos labo-

res

res facile ſuſtineret. Severitas erat priſca & conſtans, primum domeſtica erga ſe, quae nihil ſibi indulgeret, omnem vitam ad normam verae virtutis dirigeret, & in regenda familia, ſed quae ab amore proficiſceretur; deinde in reliqua vita & officii partibus omnibus. Cuſtos juris & fidei acer, rigidusque ſatelles, nihil gratiae aut odio dabat: nec odia & inimicitias timebat: omnia prae eo, quod rectum & juſtum intellexerat, magno animo contemnebat. Nam antiſtitem & cuſtodem legum oportere legibus ipſis ſimilem eſſe, quae eadem voce omnibus loquuntur, nec gratia aut odio, ſpe metuve inflectuntur. Movebatur etiam ſubinde acrius adverſus improbitatem, fraudem, fidei & officii negligentiam, impudentiam, nec procul aberat ab iracundia. Nam ut ingenioſiores docent iracundius, (Cic. Roſc. Com. c. 11.) ſic, ut quisque eſt vir melior & officii amantior, ita acrius indignatur alienae improbitati, nec poteſt dulcis eſſe aliis, qui eſt acerbus ſibi. Sed hic officii & juſtitiae adeo ſeverus exactor, in aliis rebus facilis, lenis, mitis erat; inter amicos etiam, cum animum aliquando a labore remiſerat, hilaris & jucundus. Pietatis & religionis ſenſum & reverentiam, a pueris ſuſceptam, ad extremum integram conſervavit. Laudabat inprimis matris in illo ſenſu injiciendo curam, cujus etiam dicta & praecepta interdum commemorabat. Itaque nec mortis periculum, quod oſtentabatur, expavit, ſed, expetito medicorum auxilio, cum nulla ſpes oſtenderetur, voluntati divinae, evocanti ſe de vita laborioſa, reverenter ſe ſubmiſit.

Hunc igitur talem, tam praeclari exempli, tam bene meritum de juris ſcientia, de Academia & republica virum grata nos memoria proſequi fas eſt: hunc, Cives optimi, & laudate nobiſcum & imitamini. P. P. Domin. Palmarum a. C. CIↃIↃCCLXV.

ELO-

ELOGIUM FRIDERICI GUILIELMI SCHLEUSNERI,

S. THEOL. LICENTIATI ET AD AEDEM D. THOMAE ARCHIDIACONI.

In Chryſoſtomi de *Sacerdotio* libris cum multa ſint, quae vel ad cognoſcendam antiquitatem eccleſiaſticam, vel ad intelligendam dignitatem ſacerdotii, ejusque bene adminiſtrandi difficultatem pertineant, habeantque admonitionem utilem iis, qui vel funguntur ſacerdotio, vel ad eam reipublicae partem capeſſendam comparant ſtudia doctrinae: tum nihil propemodum, ut diligentius ſcriptum eſt, ita ſalubrius lectu poteſt eſſe his, quae de concionandi ratione libro quarto & quinto praecipiuntur.

Sacerdotem igitur ille ſuum ita inſtituit, ut eum exiſtimare velit, ſummam muneris ſacerdotalis eſſe in bene docendo; in quo & Paullum poſuiſſe in promtu eſt. (1 *Cor. I*, 17.) Sed ad bene docendum requirit duo, primum cognoſcendi ſubtilitatem, & bene dicendi facultatem. Nam bene docendi rationem conſtare doctrina, ſive rerum divinarum juſta & accurata ſcientia, quae oratione, apte & ad cujusque vel rei

rei explicandae, vel ingenii inſtituendi rationem accommodate tradatur, ut percipi mente, ut movere animum & ad credendum & ad obediendum poſſit. Atque etiam opem ferendam eſſe animis, cum aegrotent vel pravis opinionibus vel dubitationibus, quae eximi ſine prudenti & diſerta oratione non poſſint, praeliandumque adverſus haereticorum argutias & cavillationes, in quibus diſſolvendis omnia redeant ad bene diſſerendi diligentiam & facilitatem, exercitationibus ingenii & linguae comparatam. Quid? quod ſaepe ingenia, ab inſita cupiditate quaerendi curioſius, quae ſubtracta ſint cogitationi humanae, ferantur ad temere ſcrutanda arcana rerum divinarum, impedianturque quaeſtionibus, nihil ad fidem & virtutem valentibus, ſed abducentibus potius animos a rebus majoribus & ſalutaribus. Adverſus hos nullum aliud eſſe ſacerdoti praeſidium, quam prudentis & diſertae orationis: cujus facultate ſi ſit deſtitutus, nihilo melius agi cum hominibus ejus fidei creditis, quam cum navibus, tempeſtate jactatis, ſine perito gubernatore. Quam ob cauſam omni ratione faciendum eſſe ſacerdoti, ut facultatem illam utramque conſequatur, & augeat exercitationis aſſiduitate.

Nam qui, vel inſcitiae, vel ignaviae ſuae velandae cauſa, Paulli auctoritatem opponant, ἰδιώτην λόγυ, expertem eloquentiae, ſe appellantis, primum impudenter facere, qui ſe Paullo aequent, inſtructo divinitus donis iis, quae eſſent omni oratione potentiora, ut miraculorum patrandorum, propter quae facile careret humanis artibus, deinde imperite, quod idem Paullus ſe non imperitum doctrinae fateatur, nec ita imperitum orationis, ut non poſſit, quae velit ac juſſus ſit, clare explicare & argumentis idoneis, bene, etiam copioſe & graviter, tractandis, & ad animi ſenſum admovendis firmare; cum plenae ſint ejus Epiſtolae demonſtrationibus praeclaris & nullius ſubtilitatis dialecticae judicium timentibus, multaque commemorentur in Actis Apoſtolorum, quae habeant perſpicuam ſignificationem eloquentiae Paullinae & facultatis ἀποδεικτικῆς, per quam etiam philoſophos, nec modo minus ſubtiles, Epicureos, ſed etiam dialecticae ſubtilitatis ſtudioſiſſimos, confuderit ad ſilentiumque rede-

redegerit, Lycaonibus autem tantam admirationem injecerit, ut sub ejus specie Mercurium, facundiae Deum, latere suspicarentur.

Late explicat Chrysostomus hunc locum, & ita diligenter, ut appareat, non paucos tum fuisse, qui tali refutatione indigerent, hoc est, qui eloquentiam & subtilitatem disserendi ab sacerdotio alienam esse defenderent, ut ipsi honesti esse possent: cujus generis semper non pauci fuerunt. Enimvero his omnis antiquitas Christiana repugnat & judiciis, & factis, quae vim judicii tanto certioris debent habere, quanto magis ea eventus comprobavit. Nam doctores Ecclesiae veteris incorruptae clarissimi consentiunt in commendatione earundem facultatum in sacerdotio, & eam ipsi confirmant exempli sui auctoritate. Nec id ignorare possunt, nisi qui omnia in eo genere ignorant, ut ille in Francia Epistolarum Augustini interpres, (du Bois) qui contra disputans, aut saltem dubitans, cum ad Ant. Arnaldi judicium provocasset, ab eo longa inductione in viam est reductus. (*) Ecclesia autem ipsa principes doctorum suorum, Tertullianos, Cyprianos, Ambrosios, Augustinos, Gregorios, Basilios, Chrysostomos, Photios, sibi nullam magis, quam ob doctrinae exquisitioris & eloquentiae laudem, adscivit, quosdam ex ipso foro & media exercitatione dicendi. Quam rationem eventus comprobavit. Neque enim alios habuit, vel meliores veritatis doctores, vel acriores & feliciores defensores.

Sed ut magnam esse demonstret Chrysostomus necessitatem facultatis illius utriusque, majus tamen, ait, esse in ejus usu recto & curioso, cum ad conciones habendas conferatur. Nam primum in commentando, hoc est, in concionibus formandis, magnam esse adhibendam diligentiam, & tanto cuique majorem, quanto sit ab doctrina & dicendi facultate instructior. Et ille quidem hoc refert ad laudem & opinionem hominum, qui ab doctiore & disertiore exspectent ali-

(*) In libello Francico: *Reflexions sur l'Eloquence des Prédicateurs.*

aliquid exquifitius; a qua fpe ubi fe fentiant deftitutos, magis contemnere & faftidire hunc doctum & eloquentem, quam eum ipfum, quem indoctum effe & indifertum conftet: in quo nonnihil effe videtur vanitatis, ad ufum Ecclefiae inanis. Sed funt aliae caufae graviores & honeftiores. Nam oportet in concionem ad dicendum de rebus divinis proditurum meminiffe, quanta res fit de religione dicere, fuftinentem perfonam Chrifti: quantae porro fint res ipfae, de quibus dicendum fit: quanta diligentia opus fit, ut omnia plane, definite, & omni ambiguitate fublata, verbis delectis, hoc eft, aptiffimis quibusque, dicantur, ut neque plus, quam neceffe fit, neque minus dicas, vel in explicando, vel in demonftrando: ut fines officiorum recte ponas, nec latius aperiendo aditum des licentiae, nec anguftius contrahendo in dubitationes difficiles & terrores confcientiae conjicias animos: praetermittimus alia. Haec autem fervare volenti an parva diligentia opus effe putemus, vel in excogitandis, quae dicantur, vel in fcribendo, vel denique in fcriptis retractandis, & ab omni parte infpiciendis, fi quid vage, ambigue, obfcure, jufto brevius, aut etiam languidius dictum fit, quod emendari & corrigi debeat? Et haec diligentia eft natura major & laboriofior in doctioribus & difertioribus, quam in ceteris. Nam his omnia recta, perfpicua, jufta funt, praefertim fua, quia, quid tale fit, bene judicare non didicere: at illi raro fibi & aegre fatisfaciunt; multoque minus aliis fe fatisfacturos putant, cum non fatisfaciant fibi. Itaque fere cum timore ad dicendum veniunt, qui etiam augetur reverentia Ecclefiae, quae eft Corpus Chrifti; quam quomodo non revereatur concionaturus, quantacunque facultate praeditus, cum etiam Cicero fenex fateatur, fe, quoties ad dicendum procedat, commoveri vehementius, & toto corpore cohorrefcere.

Enimvero cum omnia quis habet praefidia bene docendi, & omnia fecit, quae diligentiae funt, tamen, auctore Chryfoftomo, fibi placere non debet, & in neutram partem moveri, ut nec plaufu & laude capiatur, nec contemtu conturbetur. Ita nec efferetur favore populi, qui raro bene judicat, fenfum quendam

dam ſuum potius, quam rectum judicium ſequens; nec invidebit ei, cujus vocem *denſum humeris*, ut ait poëta, *bibit aure vulgus.* Ita purus erit a vitiis duobus, pariter abhorrentibus a muneris ſui ſanctitate, pariter noxiis, ſed pariter etiam vulgatis, acquieſcetque in conſcientia ſua, teſtimonium perhibente ſtudio ſuo, diligentiae, & voluntati rectae & honeſtae. Ἱκανὴ γὰρ αὐτῷ παραμυθία τῶν πόνων, καὶ πάντων μείζων, ὅτ' ἂν αὐτῷ συνειδέναι δύνηται, πρὸς ἀρέσκειαν τοῦ θεοῦ συντιθεὶς καὶ ῥυθμίζων τὴν διδασκαλίαν· οὗτος γὰρ αὐτῷ κανὼν καὶ ὅρος ἔστω μόνος τῆς ἀρίστης δημηγορίας. *Satis enim magnum ſolatium laborum & omni alio majus habet, cum ſibi conſcius eſt, ſe doctrinam omnem comparaſſe & compoſuiſſe ad approbationem divinam. Nam hic ei debet eſſe canon & terminus unus optimae concionis. V*, 7. Sed ab hoc ſolatio plane excluditur inſcitia & ignavia. Nam ut εὐάρεστοι ſimus (*probemur*) Deo, etiam in hoc genere, φιλοτιμεῖσθαι oportet, (2 Cor. V, 9.) hoc eſt, ſummo ſtudio & contentione (quam Graeci honeſte φιλοτιμίαν, ut Latini *ambitionem* vocant) in eo laborare, per quod placere velis. Sed totus ille liber perlegendus eſt: nos ſummam indicare voluimus.

Et datur nobis jam facultas ea omnia demonſtrandi luculentius in exemplo Friderici Guilielmi Schleuſneri V. S. R. quam poſſunt cognoſci praeceptis. Quamquam eam diſciplinam ſtudioſos petere poſſe a vivo mallemus, quam a mortuo: tamen plerumque exempla plus valent ad intelligendum, cum ſunt ex oculis ſublata, quam, cum praeſentia contuemur, ubi vel ſplendor virtutum extinguit aciem oculorum, vel umbra offunditur iis ab invidia & aliis vitiorum obſcurorum cauſis, ut perſpicue cerni non poſſint. Reperiemus virum praeclarum ita & habuiſſe omnia & feciſſe, quae Chryſoſtomi diſciplina requirit, ut ad ejus normam ſe & omnia ſua compoſuiſſe videatur.

Ac primum cum haberet patrem eum, qui & affinitate junctus eſſet Ittigiis, & diſciplina Thomae formatus, nihil non factum eſt, ut ingenium pueri literarum idonea ſcientia imbueretur. In quo non ſatis habuit pater, aluiſſe praeceptores domeſticos: ſed cum ad ſextumdecimum annum inſtitutus eſſet

do-

domeftica difciplina multorum, mifit eum in hanc Urbem, Scholaeque Nicolaitanae difciplinam publicam, ut fub ejus magiftris, inprimisque Crellio, viro literatiffimo, & expertae in fingendis ad humanitatem ingeniis felicitatis, difceret, fuper quorum fundamentis cetera ftruerentur. Hic igitur fincerum haufit fenfum verae pulcritudinis in operibus ingenii, in exemplis maxime bene dicendi; quocum, tribus annis poft, contulit fe ad fcholas Philofophorum ac Theologorum, ut rerum jam apparatum, neceffarium ad vitae propofitae rationem, congereret, & modum rerum difponendarum ac tractandarum cognofceret. Et Philofophiae quidem magiftrum habuit Aug. Frid. Mullerum, cujus fcholas magna affiduitate tres totos annos fectatus eft. Erat autem viri hujus difciplina ea, quae maxime apta effet futuro oratori; nec ariditate jejuna, nec fpinis metaphyficae fubtilitatis horrida, nec infolentia verborum obfcura: lucida ibi omnia, ingeniis bonis, etiam mediocribus, apta, ac paene dicam popularia. Theologos autem audivit cum alios, tum maxime Jo. Gotlob Pfeifferum, virum fanctiffimi exempli, qui in docendo etiam hoc agebat, ut pietatem, modeftiam, lenitatem, infpiraret audientibus, nunquam ille fervens, nifi ubi virtutem commendaret, nunquam vehemens, nifi ubi vitia caftigaret. Itaque difcipulos non modo doctrina fua imbutos, fed etiam fenfu pectoris fui adfectos a fe dimittebat. Haec talis difciplina viri ita ceperat noftrum, ut per totum triennium eum binis per fingulos dies horis audiret.

Atque ex tali talium virorum difciplina prodiit ille nobis facerdos talis, qualem Chryfoftomi difciplina vult, qualem ipfi cognovimus. Nec ille ad facerdotium feftinavit, quamquam anguftiae rei familiaris fuadebant, in hoc quoque Chryfoftomi praeceptis confentiens, ut qui totos novem annos audiendis doctoribus confumfit, & poftea quinque annis ufus eft exercitationibus concionandi in aede Paullina, tum privatis, tum publicis illis dierum dominicalium vefpertinis. In ipfo autem facerdotio, ad finem usque vitae, hoc tenuit, ut, quoties concionandum effet,

primum cogitaret, quae dicenda viderentur, ea deinde fcripturae vinculis adftringeret, limaret etiam, cum tempus fuppeteret, diligentius, denique, uti fcripta haberet, ita recitaret, nec per edifcendi negligentiam commentationis & fcripturae diligentiam perire fineret. In quo adjuvabatur utique memoriae felicitate, quae facile reciperet fcripta, & fideliter in tempore redderet. Argumenta concionum erant ejusmodi, ut delectus appareret, aptus auditorio: nec vulgaria nimis, nec recondita & ad fcholae fubtilitatem exquifita. Modus rerum tractandarum totus ad perfpicuitatem comparatus. In oratione ipfa puritas, claritas, etiam cura verborum animadvertebatur; fordes & plebejorum verborum & novitiorum fugiebat, flofculos autem novae, ut fe audet vocare, eloquentiae plane repudiabat. Et fentiebantur illa bona, praefertim cum nova auribus erant: confluebatque ad eum audiendum magna hominum vis, quoad in aede nova a meridie concionabatur: cum eadem hora in aede Thomana, frequentia illa defiderata eft: five quod vox tinnitu illo carebat, qui molles aures capit, five quod amplitudinem templi non fatis explebat. Sed ut tum fe non extulerat fuper quemquam, ita poft nulla aegritudine tangebatur, quae fentiri poffet, vivebatque maxime amice cum his, qui maxime frequentabantur. Et habebat folatium, praeter illud, quod a Chryfoftomo commendari diximus, multitudinem eorum, qui privatam ejus operam, nullis artibus allecti, expeterent, quam inprimis bonam cognofcere fe profitebantur, qui folebant uti, eftque etiam laudata a multis, qui eum aegrotantibus aut morientibus auxiliantem audiverunt. Quo etiam magis multi jacturam in eo ante tempus factam doluere: de cujus caufa antequam dicamus, totus vitae curfus breviter defcribendus videtur.

Natus erat Glefinae, Dioecefeos Merfburgenfis villa, d. XIII. Nov. a. ejus, quod nunc agimus, feculi nono, patre cognomine, coetus villatici facerdote. Matrem habuit Sophiam Elifabetham, e gente Ittigia, Thomae illius neptem e fratre, qui in eadem villa facra fecerat. Poft plures domefticos

prae-

praeceptores, habuit literarum magiſtros in ſchola hujus Urbis Nicolaitana, Ortlobium, Drechslerum, inprimisque Crellium: a quibus, exacto in eorum diſciplina triennio, cum luculento teſtimonio dimiſſus eſt in Academiam. Philoſophiam didicit ab Mullero, literas Hebraicas a Ludovico, qui matris ſororem patruelem in matrimonio habebat, privatamque in ea re operam caro uxoris nepoti praeſtabat. Sed in ea parte literarum etiam Carpzovium, ven. Lubecenſium Praeſulem, publicis lectionibus Leviticum enarrantem, audivit. Theologiae cauſa ſectatus eſt Clauſingium, Schmidium, ſed maxime Pfeiferum, cujus, tum Decani, ſuffragatione, anno ſexto & triceſimo, cum Magiſtri Philoſophiae honores cepiſſet, in numerum adſcitus eſt eorum, qui in aede Paullina, inter ſacra pomeridiana concionibus habendis, praeparantur ad ſacerdotia. Ibi tum coepit ita cognoſci & laudari, ut quinto anno poſt ab ampliſſimo Ordine ei mandarentur partes vicariae in infimo ſacerdotii Nicolaitani gradu: a quo primum ad locum Diaconi in Aede Nova, poſt, per gradus ſingulos, ad Archidiaconatum Thomanum ante hos tres annos pervenit. Inter haec etiam Ordinis Theologici honoribus auctus eſt a. ſexto & quinquageſimo, Baccalaureatu primum, poſt etiam Licentia doctoratus capeſſendi: per quam occaſionem ſcripſit Diatriben eruditam, de *Diſſenſibus Interpretum in explicandis locis difficilioribus ſcripturae ſacrae*. Sed maximam omnis illius fortunae acceſſionem habuit ab matrimonio, quod a. quinto & quadrageſimo, XV. Nov. optimis ominibus, cum Joanna Regina, ornatiſſima virgine, Jo. Chriſtiani Scholvini, typographi honeſtiſſimi filia, initum, ad finem usque vitae duravit: ea concordia ſenſuum & animorum, ea etiam ſuavitas ex ingeniorum hilaritate fuit! Praecipuam autem felicitatem habuit ab fecunditate. Nam dena prole auctum eſt, ſeptem filiarum, trium filiorum. Sed dimidia pars vitalis non fuit. Superſtites reliquit Carolinam Reginam, natam d. XIII. Octobr. a. undequinquageſimi, Chriſtianam Henricam, Fridericum Jacobum Guilielmum, Jo. Fridericum, Joannam

denique Reginam: quos tutelae divinae commendatissimos esse cupimus.

Sed inter media e prole nova gaudia adortus eum est morbus, qui ab initio nihil periculi ostendebat, cum nihil praeter imbecillitatis sensum quendam haberet, qualis esse in catarrho miti solet: sed mox in febrem gravem erupit, similem tertianae duplicatae, sed quae paullatim ita exacerbaretur, ut vires vitales prorsus prosterneret, nec locum relinqueret medicorum arti, & medicamentorum auxiliis. Itaque quarto decimo morbi die, qui erat quintus Septembris, placide obdormivit.

Quae mors ut erat multis de causis miserabilis, ita visa est omnibus; nec modo ipsius causa, qui in robore aetatis, bene alias valens, & prope ignarus adversae valetudinis, repentino morbi impetu dejectus occubuisset, sed etiam, & multo adeo magis, Conjugis optimae & rebus secundioribus dignissimae causa, quae illo ipso tempore e partus recentis incommodis laborabat, & illa inopinata gravique plaga paene prostrata est penitus: denique propter liberos, in prima fere aetate orbos, unam etiam idem prope vitae & orbitatis initium habentem. Quo magis etiam velle & optare debemus, ut sub tutela divina non modo ab omnibus viduitatis & orbitatis malis tuti agant, sed etiam bonorum omnium affluentia sensus tristis conditionis adimatur.

Sed hi sensus nulli magis convenerint, quam his de vobis, Cives carissimi, qui studia doctrinae sacrae aemulantur, debentque communia putare, quae acciderint iis, quorum vitae genere maxime delectantur, inprimis cum & ipsi propriam jacturam fecerint, ademto sibi exemplo rerum multarum optimarum, quae vel solatio esse honestae paupertati possent, vel incitamento in studiis, denique regere vitam & formare mores, ut sint digni professionis sanctitate, & decori sacerdotio.

Solebat commemorare, quantis in angustiis rei familiaris exegerit annos juveniles, patre inter ipsa initia studiorum Academicorum amisso: quam multas saepe horas exegerit inter tristes curas: enimvero & tum

tum ſubinde ſibi oblata eſſe levamenta curarum & ſubſidia vitae ac ſtudiorum, unde non ſperaſſet. Et vidiſtis, quam ſecundae res ſecutae ſint illam juvenilis aetatis triſtitiam ac duritiem, cum ille nihil deterritus ſtrenue perrexiſſet viam inſtitutam, fretus divina providentia, & ſub tam bonis ducibus, quos ante commemoravimus.

Quae autem ſupra de fide ejus & diligentia in parte ſacerdotii praecipua diximus, quae de modeſtia, de patientia, quam utilem habent admonitionem, quam etiam neceſſariam multis, qui nimis ad ſacerdotia feſtinant, cum nec ingenio nec uſu maturi ſint, & audacia atque impudentia pro ſapientia utuntur. Quam digna autem imitatione eſt lenitas viri & placabilitas, quae neque exerceret inimicitias & odia, nec moveret, offenſiones autem ſorberet fortiter & concoqueret placide. In quo magnum, ut ad alias virtutes & opportunitates, adjumentum habebat οἰκουρέιν, exiſtimabatque, ſecundum Graecorum illud, φίλον οἶκον ἄριστον. Non facile ſolebat foris eſſe, niſi cum muneris ratio poſtulabat. Corporis reficiendi cauſa aeſtivis diebus in hortum aliquem remotiorem exibat, ubi ſolus ſecum loqueretur, unde denique in ſolitudinem domeſticam reverſus, curato cum ſuis corpore, ad mediam noctem vigilabat in ſtudiis doctrinae, notante tota vicinia. Salutationibus per ſpeciem humanitatis obeundis tempus perdere, & per eam occaſionem modo colligere ſermones & fabulas, modo effundere collectas, magnam ſaepe & tibi & aliis materiam ſuſpicionum, invidiae, irarum & ſimilium rerum malarum, penitus refugiebat. Domeſtica diſciplina erat, qualem Paullus vult. Maritus ſapienter concors uxori, ſalubris indulgentiae & mitis ſeveritatis parens: paterfamilias diligens & benignus: nullae ſordes, nulla magnificentia: omnia honeſtate & decore moderata. Liberalis in pauperes, fidelis & jucundus amicis, omnibus aequus & officioſus reperiebatur. Seilero, qui uxorem, utroque parente in prima aetate orbatam, domi ſuae habuerat, & benigne educaverat, filii pietatem & obſequium ad finem usque vitae ſervavit: Sororis viduitatem conſulendo, juvando, leniit: Fra-

tri omne officii fraterni genus: utrique, cognatis omnibus, concordiam constanter praestitit, sola morte dolorem attulit.

Hujus ergo talis viri memoriam cum honore & benivolentia conservemus, virtutes imitemur, omninoque efficiamus, ut cum fatalis hora venerit, sine tergiversatione & metu discedere ab hac vita possimus. P. P. F. Epiphanias Domin. a. C. CIↃIↃCCLXV.

ELOGIUM

CAROLI FRIDERICI TRIERI,

CONSILIARII AULICI ELECT. SAX. CONSULARIS CIV. LIPS. ET IN CURIAE SUPREMAE JUDICIO ADSESSORIS, ETC.

Si Terra haec, quam habitandam fruendamque Deus concessit hominibus, admirabilis est infinita copia rerum, quas velut in propatulo habet expositas, & ad vitae necessitates, & ad oblectationem sensuum animorumque; non minus profecto digna est admiratione propter multitudinem earum, quas velut in penetralibus reconditas premit, & ad usus hominum necessarios & ad ornatum vitae. Illa enim tanta vis saxorum, marmoris, gemmarum, metallorum, salis, materiaeque ceterae vel colorum, vel medicamentorum, quot & quantas opportunitates adfert vitae communi ad aedificandi firmitatem, ad opificiorum atque artium prope universarum solertiam & perfectionem, ad rerum omnium, quae manu administrantur, vel munditiem, vel efficiendi celeritatem, ad mercaturae, omninoque emendi vendendique facilitatem & copiam, ad ornandi varietatem & pul-

critudinem, ad curationum denique salubritatem! Quid esset vita humana, quam longe remota ab ea, quae nunc est, humanitate, commoditate, suavitate, si rebus his omnibus careret; si, quod poëtarum votum est, plus severitatis argutae habens in verbis, quam verae sapientiae in sensu, si, inquam, contenti his, quae palam habet terra, nunquam ausi essent homines etiam patefacere terram, aditum moliri in ejus penetralia, scrutari recessus omnes, inde expromere, quae latent, & vel vi manuum cogere, vel solertia ingenii vocare ad usus communes? Quam magna parte exercendi ingenii, & manuum humanarum occupandarum labore fructuoso careremus, si in tenebris per ignaviam nostram semper abdita mansissent, nec manuum humanarum ope sublevata in lucem conspectumque humanum prodissent? Quam denique magnam partem operum divinorum ignoraremus, non minus largam, non minus dignam materiam praebentium investigandae & admirandae sapientiae & bonitatis divinae, quae frustra vim suam in his tot ac tantis rebus struendis apparandisque consumsisse videretur?

Quo magis videntur de genere humano bene mereri, qui partem aliquam copiarum suarum in hoc conferunt, ut sumtus praebeant vel instituendis vel exercendis metallis cujuscunque generis, ut egeratur tam utilis vitae humanae materia, ingenium autem ad liberalissimam hanc curam & cogitationem convertunt, ut has in terrae thesauris abditas, tam varias, tamque mirabiles copias, accurate spectando, diligenterque cum suis causis considerando, cognoscant, artes denique, per quas eae res primum in lucem veniunt, deinde ad usus vitae praeparantur, cum vario apparatu & instrumento suo, perspiciant. Nec vero aliis magis ea studia conveniant, quam his, in quorum finibus metalla talium bonorum subterraneorum exercentur, dantque aditum ad illam partem naturae & artis cognoscendam; in his nobis, quibus nascendi sorte contigit patria, variis metallorum exercendorum generibus a multis seculis & beata & nobilis. Nam ut nihil de nobilitate patriae dicam ab ea quoque re nata; quantam partem bonorum suorum metallis debet? quot urbes, etiam melius ceteris publice priva-

cimque aedificatas? Quam multos olim locupletarunt, a quorum copiis nunc etiam reliquiae ſunt quaedam ad uſum Eccleſiae, Scholarum, ad neceſſitates pauperum ſublevandas? Quam multis etiam nunc proſunt ad rem augendam? quam multis vel neceſſarium vel etiam liberalem ſumtum vitae praebent? Verbo, quam bona pars publicae, & his terris propriae utilitatis, metallica re continetur?

Nec vero populares noſtri ſegnes ad haec cognoscendi ſtudia fuere; immo inde quoque ingenii Saxonici gloria vel nata, vel aucta eſt apud populos, ingenii & doctrinae cultu claros, & qui de ingeniis hominum & doctrina recte judicare didiciſſent. Etenim, quam quondam Romano ingenio laudem propriam adſeruit Plinius ille, naturae ſcrutator & hiſtoricus, quod primus omnium de re metallica & rebus ſubterraneis ita ſcripſit, ut operae pretium fecerit; eam poſterioribus ſeculis Saxonico paravit Georgius ille Agricola, inter principes ingenii Saxonici numerandus, ſcriptis libris ejusdem argumenti pluribus, per quos ille tum volitavit per ora virorum doctorum, & Principum gratia floruit, nunc paucis, & nonniſi doctisſimis, ultra nomen notus. Nam is, ſeculis noſtrae aetati propinquis, primus Germanorum & Saxonum, immo omnium, de iis rebus bene ſcripſit (*), ita ſcripſit, ut illam Plinianam in eo genere laudem & gloriam longe longeque ſuperarit. Etenim & majorem & difficiliorem materiam ſcribendi amplexus eſt, & haud paullo meliori Latine ſcribendi genere eas res eſt perſecutus: quippe non modo hiſtoriam illarum rerum ſcripſit, ut ille, ſed etiam cauſas phyſicis & mathematicis rationibus ſubtiliter, pro illius aetatis modo, indagavit, & machinationes omnes metallicas, aedificationes, artesque officinarum metallicarum perſpicue explicavit & perſcripſit; quod eſt genus ſcribendi, praeſertim ſi primus aggrediare, longe difficilli-

(*) Mich. Mercatus in Metalloth. Vatic. praef. p. LVI. Auctores, ut debui, laudavi; inter quos ex recentioribus Georgium Agricolam, quem longe omnibus in hoc genere antecellere exiſtimavi. Thuani & aliorum ſimilia teſtimonia ſunt apud Adamum in Vitis Medicorum.

limum; denique Latinitate in iis rebus exponendis usus est ad aurei seculi imitationem feliciter composita. Atque etiam primus historiam metallorum scripsit libris duobus, *de Metallis veteribus & novis*, & totius rei metallicae venustum, & Erasmo mirifice laudatum, compendium in sermone ac dialogo, cui Bermanni titulum fecit, quod is inducitur in valle Joachimica colloquens cum Nic. Ancone & Naevio de rebus metallicis: quos libellos, turpe sit homini elegantioris doctrinae in his terris, non legisse, multo magis, nescire.

Et ille nullam aliam causam habuit primo harum rerum accurate cognoscendarum, deinde literis Latinis illustrandarum, quam quod ex Italica literarum & doctrinae medicae disciplina in patriam reversus, medicinam facere instituisset in valle Joachimica, & quod patriam haberet non modo Saxoniam Misnicam, quae a metallis quoque clara esset, sed etiam natales in oppido, montibus iis propinquo, in quibus metalla exercerentur. Quare decorum sit etiam aliis, eam partem bonorum nostrorum non ignorare, & in iis cognoscendis aliquid studii, non modo ad utilitatem in metallis exercendis, sed etiam ad liberalem ingenii & otii oblectationem, collocare. Et fuerunt ab illo tempore multi multis locis popularium nostrorum, qui hanc partem naturae & doctrinae, visendis & inspiciendis metallis, tum nostris, tum externis, colligendis metallothecis aut bibliothecis metallicis, diligentius cognoscere studerent, etiam literis, utinam Agricolae vestigiis persequendis, illustrarent; quos omnes nominare non est necesse. De quorum numero fuit etiam is, cujus memoriam nostris, posteritati, commendare instituimus, Carolus Fridericus Trierus, vir illustris, qui primum, inter ceterae doctrinae juvenilis studia, etiam hoc genus coluit, exacto autem studiorum in Academiis curriculo, non modo nostras fodinas lustravit & perspexit, sed etiam, cum peregrinaretur, in Hungariam hoc consilio profectus est, ut nobilia, quae in iis locis exercentur, metalla viseret, & per omnem vitam earum rerum studio delectatus est, denique etiam ipse exercuit multis locis in Saxonia, Bohemia, metalla, inprimisque prope Isenacum

nacum ad Fontes Fortunae, ubi multas operas benigne aluit. Nec ille ſtudium hoc tantum ad delectationem, aut ad utilitatem ſuam referebat, ſed etiam ad publicam, & ad liberalitatem, de qua dicemus poſt. Hoc loco unum illud commemorabimus, quod primo bello Pruſſico, cum direptionis metus Urbi noſtrae intentaretur ab hoſte, ni pecunia ſolveretur, quae imperata eſſet, ipſe, quicquid repoſitum haberet argenti ſignati e metallis, quae erat ſumma grandis, id omne in publicum & ad avertendum periculum contulit. Enimvero non ex hac una parte ſpectandus eſt vir ille, laudibus plurimis & maximis cumulatiſſimus, ſed totus perſpiciendus, ſi virtutem ejus vere aeſtimare velimus. Hoc igitur agamus.

Habuit natales in Urbe Dresda, patremque Joannem Fridericum Trierum, Conſiliarium Aulicum, virum ſcientia Juris, prudentia & fide probatiſſimum. Ei natus eſt a. ſuperioris ſeculi XC. a. d. XII. Junii e Joanna Sibylla, Philippi Ohemii, mercatoris Lipſienſis filia. Poſitis apud domeſticos praeceptores primis literarum tirociniis, miſſus eſt primum Salzungam Hennebergicam ad patruum, qui in ejus oppidi Eccleſia ſacra faciebat Archidiaconi gradu ac loco, habuitque carum nepotem convictorem, erudiendum autem tradidit Scholae oppidanae Rectori, Jo. Schmidio; poſt Lipſiam in diſciplinamque Crellii, Rectoris Scholae Nicolaitanae, de cujus felici dexteritate in erudienda juventute ſaepe diximus. Altioris doctrinae inprimisque juris partes didicit ab anno hujus ſeculi ſeptimo ad tertium decimum, primum in hac ipſa Urbe, deinde Jenae, ad extremum Halis, ubi etiam a. XXII. honores Doctoris cepit, ad quos ſibi aditum fecerat per Diſputationem *de Reſtitutione in integrum contra Sponſalia pura minorum.* Sed interea peregrinatus erat per Batavos, Britannos & Franco-Gallos, denique per Germaniam ſuperiorem & Hungariam, deinde tribus annis in Conſilio aulico Ducis Leucopetrenſis meruerat. Tum vero, Leucopetra relicta, contulit ſe in Urbem noſtram, fortunarum ſuarum ſedem hic collocaturus. Quod conſilium ei feliciter proceſſit. Nam eodem ſtatim anno cooptatus eſt in Ordinem ampliſſimum, & inter Curiae Aſſeſſores ad-

adſcriptus decreto Principis. In illo autem Ordine per Aedilitatis & Proconſulatus gradus tandem ad Conſulatum pervenit, ſuffectus Stiglitio a. LVIII, cui etiam in Curatione Scholae Thomanae ſucceſſerat.

Inter haec bis matrimonium iniit, primum brevi poſt adventum in hanc Urbem, a. d. XVII. Sept. cum Maria Roſina Sinneria, deinde tertio anno poſt, d. XIII. Febr. cum Rahele Chriſtiana Wincleria, quae ante Graevium, Gotfridi, Conſulis clariſſimi filium, in matrimonio habuerat. Sed primum cum Sinneria conjugium admodum breve & ſine prole fuit. Nam tertio menſe poſt nuptias d. XIII. Dec. diem illa obiit ſupremum. Alterum & tempore & prole laetius fuit. Nam annum unum cum viceſimo, inter concordia & ſecunda omnia, duravit, & ipſum feliciter patrem fecit, nata filia, Carolina Friderica, quae ad ingenii ſenſusque paterni ſimilitudinem nata & educata, in matrimonium data eſt a. L. d. XX. Octobr. viro illuſtri, Carolo Friderico Triero, fratri patrueli, Conſiliario in judicio, ad quod de provocationibus certatur, & Senatori hujus Civitatis ampliſſimo.

Sed his tot, tam ſecundis rebus digniſſimum fecerant multae, & magnae, & amabiles virtutes; quae fere erant e genere leniori, quod pertinet ad juſtitiam, fidem, liberalitatem, manſuetudinem morum, & ad facilitatem, e quibus virtutibus inprimis perlucet honeſtas & decus, quod non modo allicit maxime animos ad benivolentiam, ſed etiam maxime dignum eſt amore. Recte enim praecipit Cicero, colendum eſſe ita quemque maxime, ut quisque maxime his virtutibus lenioribus ſit ornatus, modeſtia, temperantia & juſtitia. *Off. I,* 15.

Erat autem in Triero admirabilis harum virtutum omnium copulatio & concentus, qui hoc plus habebat decoris, & ad animos omnium commendationis, quod eae virtutes omnes communem rectricem & moderatricem habebant caſtam eandemque modeſtam adverſus Deum & religionem reverentiam atque pietatem, per quam omnis alia virtus perfectionem accipit & ſincerum decus.

Tota

Tota viri domus erat temperata ex optima illa difciplina, quae amando docet atque difcit, imperat & paret. Hic habitabat ea, quam Muciani Rufi, Canonici Gothani mufeum, titulo in foribus pofito, profitebatur, *Beata tranquillitas.* Agnofcebatur fedes domini divitis, liberali, fine magnificentia aut profufione, cultu, multo magis liberaliffima beneficentia in miferos & alienae opis indigentes, quae nunquam fruftra implorabatur; in qua aemulam habuit olim Conjugem, reliquit etiam Filiam. Sed ad omnium fenfuum fuorum lenitatem, moderationem, generofitatemque formarat illa fua difciplina utramque, nec minus privignam, Joannam Chriftianam Graeviam, nunc Jac. Frid. Kefii, viri ill. Conjugem, Matronam primariam, quam non aliter ac fuam ipfius filiam habuit, omni genere paternae benivolentiae ac liberalitatis complexus, ipfe viciffim ab ea, ad finem usque, filiae naturalis pietate cultus. Et habuerat utraque parentis obfequio ac pietate colendi normam & exemplum ipfum, cujus ea in focrum, Sinneriam, pietas femper, id obfequium fuit, ut ab ea filii in modum amaretur, & teftamento heres unus fcriberetur. Sed qualis ipfe erga Sinneriam fuerat, talem habuit erga fe animo & adfectu generum ampliffimum, qui & nunc nihil libentius, quam prolixum & paternum ejus in fe animum, praedicat.

Foris, & in republica gerenda, juftitiae, fidei & utilitati publicae omnia tribuebat, nihil gratiae, aut fibi ac ftudio fuo. Sed juftitiae feveritatem ita lenitatis, comitatis, & aequitatis opinio mitigabat, ut placatos fibi & aequos haberet, etiam quorum contra fpem aut voluntatem feciffet ac decreviffet. Omnino praeclarum reipublicae adminiftrandae & efficax adjumentum habebat facilitatis, manfuetudinis, & comitatis, praefertim mifero illo tempore, in quod inciderat Confulatus ejus; quo vix aliud magis valebat ad minuendum miferis fenfum calamitatum & vexationum, cum ipfas minuere ac tollere non liceret, quam Magiftratus, velut Communis Parentis, lenitas & comitas. Facilis ad eum aditus erat: non minor facilitas audiendi & lenitas refpondendi. Itaque homines ab eo fic difcedebant, ut faltem folatii quid auferrent,

rent, cum aut negasset aliquid, aut spem adferre non potuisset.

Neque alio magis vel vinculo continebat in officio, quibus praeerat, vel stimulo ad officium faciendum incitabat, quam humanitatis & comitatis. Tota Scholae Thomanae felix curatio in hac vim omnem habebat. Et ea augebatur & alebatur amore in eam rei publicae partem, cujus curam susceperat. Nec is amor erat in verbis, aut inani & ignava delectatione ex ejus rei bonis, sed efficax in agendo, consulendo, deprecando, denique etiam liberalitate: qualem amorem praestitit Scholae Thomanae. Nam, ut alia mittamus, bello proximo, impeditis reditibus, per quos convictus illius publicus sustinetur, ipse sua pecunia diu coetum scholasticorum aluit, nec in illis angustiis pecuniariis restitutionem ejus pecuniae postulavit. Ipso autem interea mortuo, Filia, cum nosset animum parentis in eam Scholam, audissetque aliquando e vivo de legati Scholae illi scribendi consilio, & pietate in parentem tam bonum, & sua ipsius benignitate mota, totam summam, erant autem ad duo millia probae pecuniae, Scholae remisit & condonavit.

Sed illa tanta facilitas & lenitas non erat mollis ac sine nervis & robore animi, quod a vera & constante sapientis humanitate nunquam abest, saepissime ab severitatis & gravitatis asperitate; quae magis ferocia naturali temere, cum nihil periculi subest, effervescit, quam constanter & cum periculi contemtu movetur. Id praeclare intellectum est in Consulatu: ita ab eo & susceptus, & gestus, & depositus est. Nam primum, cum ad eum magistratus ille esset delatus, nullam aliam eum ob causam recepit, quam ne defugere pericula videretur, aut subtraheret se reipublicae, cui prodesse eum Consulatu gerendo posse, Collegae credebant. Et sancte adfirmabat amicis vir minime simulator, aut dissimulator, si pax esset, Consulatum suscepturum se non fuisse, idque se dudum apud animum habuisse constitutum. Nempe, cum tranquilla sunt omnia, navis etiam sine rectore perito & forti cursum tenet, licetque viro bono & sapienti rempublicam non gerere. In ipso autem Consulatu nihil ille mollis animi fecit, nullius periculi commu-

mu-

munionem defugit, & pariter cum aliis in arce Plissica molestias sustinuit, quae ad extorquendas pecunias admovebantur. Interea, cum, ingravescente aetate, & fracto molestiis corpore, sentiret, se illi oneri parem esse non posse, quod, auctis malis publicis, augeretur & ipsum, in orbem redeunte Consulatu, ita deprecatus est eam provinciam, ut plane abdicaret se honore Consulari, & ad conditionem privatam se redigeret, nihil sibi pactus commodorum Consularium. Quod hic vestigium & mollitudinis aut timoris? quid non pectoris robusti & constantis?

Atque haec tot, tam pulcris amabilibusque virtutibus ornata anima bene ac digne habitabat, sortita corpus justae magnitudinis, membris omnibus, cum venustate quadam, respondentibus, & ore ipso, tum lineamentis & figura, tum colore, mixtaque gravitati comitate, ad pulcritudinem facto. Sed erat tamen natura tenerius: ceterum in juventute exercitationes equestres, in quibus etiam excellebat, per omnem vitam temperantia in rebus jucundis, & moderatio tranquilla animi, aliquantum roboraverant. Gravi morbo nullo conflictatus est unquam: aliquoties tentari meminimus ab levi febricula: sed ad extremum fractus est & aetate, & multo magis molestiis bellicis. Et succurrere labanti corpori tentabat secessu ab Urbis strepitu & turbis ad Fontium fortunatorum tranquillitatem: a quibus etiam, cum bello finis factus esset, ad nos rediit sic, ut satis valere videretur. Sed querebatur tamen, pedes interdum corpus non satis sustinere, nec memoriam satis respondere. Itaque ei timere a mortis subitae periculo coepere, qui amabant, aut curam corporis & valetudinis sustinebant. Nec illum timorem inanem fuisse, docuit eventus: quippe Kalendis ipsis Februariis, cum a somno, sumta calida, sermones habuisset cum Filia, recreassetque se ejus pietate & obsequio, vix ab ea digressum perculit ictus fatalis, & vitae pulcerrime actae finem attulit. Vixit annos LXXII, menses septem amplius: vivet perpetuo, pia & grata memoria suorum, propinquorum, Scholae Thomanae, Civitatis universae.

Sed

Sed nemini magis memoria hujus talis viri commendata debet esse, quam nobis, optimi & carissimi Cives, qui mansuetiora illa sapientiae divinae & humanae studia tractamus, idque in ea Urbe, quae humanitatis, elegantiae, comitatis, modestiae, magistra existimatur: quarum rerum exemplar vix aeque perfectum ac pulcrum haec Urbs habuit, perfectius utique & pulcrius, quod nos quidem sciamus ac meminerimus, nullum. P. P. Domin. XXIII. p. Trin. A. C. CIƆIƆCCLXV.

M E-

MEMORIA

ZACHAR. RICHTERI,

SENATORIS AEDILITII ET MERCATORIS LIPSIENSIS.

In laudibus mercaturae & de genere humano meritis si quis numeret adjumenta artium, quae pulcritudine operum exquisita censentur, eamque appellet *Nutricem artium pulcrarum*, profecto non aberret a vero, nec per assentationem quandam plus ei tribuisse videatur, quam res & veritas patiatur. Etenim ultimas earum artium origines repetendo, incrementa deinde & perfectionem, sedes porro & veluti scholas persequendo, semper ad ea loca deducimur, ubi mercatura sedes suas ante collocarat, ut illas excitare, juvare, ornare denique suis copiis posset. Ut orator & poëta Lacedaemonius nullus unquam extitit, auctore Cicerone, nec fando est auditus, ita nec pictorum, statuariorum, caelatorum, & similium artificum, aut nomina Lacedaemone audita, aut opera sunt visa: omnis pulcritudinis sensus, studium, exempla ab ea urbe, cum mercatura & ejus copiis, exulavere. Ad quos autem populos haec se contulit, ad eosdem plerumque venit ars hospitium quaerens, reperitque benignum ac liberale, per cujus opportunitatem posset proferre ingenium operibus exquisite elaborandis.

Antiquissimae sedes & artium traduntur Aegyptus atque Phoenice, & mercaturae latae & copiosae. Apud Graecos quicunque populi, mari potentes facti,

mercaturae tuto & late faciendae poteſtatem nacti ſunt, iidem artifices clariſſimos, multi etiam diſciplinam artium habuere. Nam imperium maris, (θαλαττοκρατεία) ſive potentia maritima, plerumque, ut nunc, non aliam ob cauſam quaeſita eſt, quam mercaturae tuto lateque exercendae: nec modo mare tenere dicuntur, qui claſſibus late obtinent ad imperium tuendum, & in alios populos exercendum, ut quondam Lacedaemonii ad breve tempus, & Romani, ſed etiam qui rem navalem copioſam habent, poſſuntque late vagari navibus ad exportandarum importandarumque mercium opportunitatem. Diodorus quidem Siculus (XX, 62.) Agathoclem, ait, victis proelio maritimo praeter ſpem Poenis, poſtea mare tenuiſſe ad mercaturae Syracuſanae ſecuritatem, θαλαττοκρατῶν παρείχετο τοῖς ἐμπόροις τὴν ἀσφάλειαν. Euſebii diligentia nobis ſervavit memoriam populorum, qui mari quondam potentes fuere, in Chronico; unde collectos in unum locum congeſſit Caſaubonus: (ad *Polyb. I*, 20. T. I. *ed. Lipſ. p.* 847. *ſ.*) nullum in iis deſideres, qui mercaturae copiis, & artificum ingeniis & operibus inclaruit.

Primi e Graecis mare tenuiſſe traduntur Cretenſes, regnante Minoe, quamquam repugnante Euſebio. Ecce in ea inſula primum, ſub eodemque Minoe, inclaruit ars ingenio & manu Daedali, & aedificandi operibus clari & elaboratione ſimulacrorum, quae ab eo motum & inceſſum accepiſſe fama tulit; quod in ſtatuis primus dijungere pedes auſus eſſet, & eas divaricatis pedibus collocaſſet, in earumque habitu univerſo cerneretur ἔνθεόν τι, ut ait Pauſanias (II. p. 121.) *vigoris aliquid & ſpiritus divini.* Antiquiſſimis temporibus Rhodii mare tenuere, diutiſſimeque rei navalis copias habuere: de quorum mercatura ſupervacuum ſit dicere. At apud eos quanta copia artificum, quanta etiam operum fuerit, nemo ita rudis eſt eruditae vetuſtatis, ut ignoret.

Sedes antiquiſſimae ac ſcholae clariſſimae artis pictoriae & ſtatuariae fuere apud Aeginetas, Sicyonios, Athenienſes & Corinthios: ſed non minus potentia maritima & mercaturae magnitudo memoratur: eademque conjunctio fuit apud Graecos Aſiaticos, ut Jonas, Ly-

Lydos, Milesios, & alios. Tum, Graeciae libertate sublata, regioque Macedonum imperio constituto, & universo illo, quod esset penes unum, ut Philippum & Alexandrum, & distributo per Seleucos, Ptolemaeos, & alios, quocunque vis major mercaturae inclinavit, ibi artium illarum felicior & operibus uberior veluti seges fuit. Ultimos memoremus, ne infinita sit disputatio, Palmyrenos, apud quos quanta artificum copia, quanta operum pulcerrimorum multitudo, etiam seris, & ab aurea, ut ita dicamus, artium aetate remotioribus temporibus fuerit, e magnificis illis per Britannos repertis & expressis aere reliquiis patet. At omnem illam copiam mercaturae deberi, quam ea urbs, in paupere condita loco, longe lateque facere coepisset, ex titulis ibi repertis, intelligitur (*n.* 5, 10, 13, 18.) & bene demonstratur ab his, qui eas reliquias vel illustrarunt, vel commendarunt. (v. *Journal Brit. T. XII. p.* 33. *f.*) Sed ejus rei & conjunctionis caussas explicare, nec illiberale fuerit ad disserendum, nec injucundum ad cognoscendum.

Etsi natura vim pulcri videndi mentibus hominum indidit; tamen ea non magis sua se sponte exserit recto pulcritudinis judicio & sensu, quam rationis insita vis ad verum intelligendum, & quid ei consentaneum sit, quid repugnet, quid consequens sit, quid secus, perspiciendum & recte judicandum. Excitari necesse est latentem intus vim, & ad agendum elici externis velut sollicitationibus & illecebris, gubernari deinde vel praeceptis vel exemplis aptis, ne aberret, sed teneat, quod petit, & exercitatione acuatur ad videndum porro & judicandum sua sponte, & suis opibus nixa. Sed ejus rei initia sunt, in vita removenda ab agresti feritate & asperitate in victu, cultu, & consuetudine vitae universae, atque ad mitiora & leniora transferenda. Nam per ea hominum corpora animique accipiunt aliquam mollitudinem, aptam ad recipiendos lenes illos sensus pulcritudinis & deformitatis, honestatis & turpitudinis. Non videmus, primum, artium omnium pulcrarum origines deberi populis, sub mitiori coelo positis, quibus & appetitio mollioris victus cultusque citius venisset, & facultas, per soli coelique naturam, expeditior fuisset, inve-

niendis cibis & aliis instrumentis vitae humanioris, ita deinde auctas esse artes ipsas, ut vitae partes illae magis excolerentur: denique ad gentes barbaras, sub inclementiori colentes coelo, & asperitatem vitae retinentes, non prius venisse, quam aut ad eas transisset vitae mollior cultus, vel sedes ipsae antiquas cum melioribus & cultioribus mutassent?

Sed ut primum vitae talis dulcedinem gustare coeperunt homines, incenduntur studio ejus magis magisque per omnes partes excolendae, ipsoque studio illo vel acuuntur ad inveniendum, quod delectet, quod placeat: nam & hoc sensu *largitor ingenii venter* est, ut scite ait Persius: vel impelluntur ad quaerendum & petendum ab aliis, vel pretio, vel vi: unde mercaturae & bella nascuntur, res inimicissimae inter se, & prorsus diversae ingenio, at caussis & vi sua copulatissimae. Hinc copiae rerum novarum, ipsa novitate gratarum, & efficacius moventium sensus humanos.

Enimvero ratio ea, quae est in mercatura, habet etiam ex hoc vim ad vitae cultum, quod mercatura, quo est major & copiosior, cum pluribusque res & rationes contrahit, eo magis facit homines affabiles, facundos, faciles ad obsequium, quaestus causa & studio; nec modo illos ipsos, qui proprie mercaturam faciunt, sed etiam ceteram populi partem, praesertim, quae ex ea fructus aliquid ad se perventurum sperat. Sed maximum illud est, quod homines copias novas, e multis terrae partibus allatas, conferre cupiunt ad fructum vel sensuum vel animi. Hinc excitantur studia ad excogitandum & inveniendum, quod appetatur ab copiosis hominibus cum suo quaestu, alliciunturque, quicunque ingenio & arte valent, ut sedes in talibus locis ponere fortunarum, ut quaerere ibi rem & famam velint: unde etiam aemulationes oriuntur, & artificum inter se, in perficiendis operibus, & copiosorum hominum, in emendis: quae prosunt omnia artibus multifariam. Nam & emtores volunt intelligere, quae magno emant, aut emerint, ea ostentare aliis, veluti titulos beatitatis suae, & ceteri ea non nosse nolunt, vel gratiae, vel alia quacunque de causa. Ita sensus pulcritudinis & amor operum pulcrorum propagatur latius, sed maxime arti-

artificum ipſorum & ingenia acuuntur, & manus ſolertiores ac diligentiores fiunt.

Et quoniam divitiae, mercatura copioſa partae, non manent, quo primum, velut in portum ex alto, venerant, ſed ſaepe mutant dominos, communicanturque cum multis, etiam redundant inde multa ad rempublicam locupletandam, per portoriorum & vectigalium ubertatem: propterea ad multos pariter venit ſtudium rerum pulcrarum & pulcritudinis, ad rempublicam ipſam. Hinc aedificiorum, omniumque operum, publicorum inprimis, privatorumque magnificentia & cultus exquiſitior, hoc eſt, perpetua artium alimenta & ad perfectionem adjumenta.

Quae ut ſunt omnia plane conſentanea naturae humanae, ita uſu & memoria omnis aetatis confirmantur, de quo eſt a nobis ante dictum.

Enimvero non eſt ea parva aut contemnenda mercaturae utilitas, ſed quae fortaſſe principatum ſibi inter reliquas vindicare poſſit. Nam ceterae, ſive ad aliam copiam rerum valent, quae vel percipiendi dulcedine, vel poſſidendi grata conſcientia commendatur, ſive commoditati vitae ſerviunt, in corporis delinimentis numerantur, ſaepe etiam, dum percipiuntur, cum ipſo ſenſu pereunt. At illa conjunctionem habet cum ſumma humanitate, valetque ad acuenda hominum ingenia, & ſenſu ſtudioque elegantiae imbuenda, eoque non modo vitae ſenſusque communis cultum adjuvat, ſed etiam artes eas, quae totae ingenio conſtant, humanioresque ac liberales appellantur. Nam utrumque artium genus habet naturalem quandam inter ſe conjunctionem, propterea, quod in utroque expetitur pulcritudo, & elegantia, & perfectio elaboratior. Itaque alterum alteri modo praecurrit, veluti aditus parandi cauſa, modo comitem ſe praebet fidelem, conſulendo, ſuggerendo, admonendo, cavendo, (*) nec obſcurari aut extingui alterum poteſt ſine obſcuratione & interitu alterius.

At-

(*) Rectiſſime Auctor Francicus Obſervationum ad Warburtoni, Epiſcopi Tr. *de Hieroglyphis Aegypt. p.* 353. *l'état floriſſant du Commerce & des arts en Egypte du tems d'Abraham une fois prouvé, les progrès, que l'Egyptiens avoient fait*

 dans

Atque etiam opera illarum artium, praeterquam quod ſerviunt ornandis civitatibus, alliciuntque homines ad viſendum, utque ibi eſſe, ibi negotiari, ibi ſedes fortunarum collocare velint, diuturnitatem habent majorem cetera vel veſtium, vel ſupellectilis alius magnificentia: quarum tamen ipſarum pulcritudo ab illis artibus venit & augetur: vincuntque ſaepe innumerabilium ſeculorum vim, ut etiam ſera poſteritas ex eorum arte ac pulcritudine fructum aliquem poſſit capere, vel ſpectandi jucunditate, vel imitandi cura.

Itaque etiam perliberaliter facere exiſtimandi ſunt, ſi qui, mercaturae copiis beati, partem aliquam earum in talia potius opera conferunt, per quae & exornent patriam, & ſibi honeſtam oblectationem quaerant, quam in aliam vitae quotidianae vanam magnificentiam, quae corporis modo ſenſibus ad breviſſimum tempus ſerviat, & mox tota intereat. Ex quo genere nuper habuimus Jo. Zachariam Richterum, Senatorem Aedilitium, qui, in cetera vitae totius honeſta frugalitate, non parvam partem copiarum, mercatura perite & feliciter facienda partarum, contulerat in opera artium pulcrarum, ut picturas, quae imitantur naturam, vel lineis & ſtili ſolertia adumbrando, vel colorum varietate exprimendo; quibus intuendis & ſpectandis ille & otium ſaepe ſuum liberaliter oblectabat, & alios, qui talium rerum ſenſu & judicio valerent. Nec enim aut hic fuit, aut aliunde venit in hanc Urbem intelligentia aliqua in hoc genere praeditus, quin ad eas copias ſpectandas veniret. Et habebat ipſe in his judicandis acerrimum judicium & ita exercitatos oculos, ut eum, nec, quod pulcrum eſſet in quoque tali opere, fugeret, nec, quod vitioſum, aut ab exquiſita pulcritudine abhorreret, latere poſſet: unde conceptam animo ſpeciem pulcritudinis ita transferebat ad alia, ut quicquid inſtitueret, in eo Domini ſenſus & guſtus rectiſſimus appareret. Teſtes ſunt horti ſuburbani, ab eo inſtructi ad decus Urbis pulcerrime; in quibus deſcriptionis univerſae diligentia

dans le Sciences, c'eſt auſſi, puisque leur avencement ſe trouve d'ordinaire en proportion avec celui des Arts.

tia & ſolertia, ornamentorumque hortenſium, in xyſtis, in piſcinis, in ceteris generibus omnibus, varietas & venuſtas etiam in minus eruditos ad talem ſenſum oculos incurrit. Hujus autem tam liberalis ſumtus & ſtudii, exquiſitique in pulcritudine operum talium judicii, ſodalem olim habuit fratrem, Jo. Chriſtophorum, ejusdem gradus Senatorem, & Regium in Fiſco Conſiliarium, Muſei Richteriani veriſſima fama nobilem, heredem autem, cum ipſis illis pulcris copiis, reliquit filium natu maximum, Jo. Thomam, & ad intelligendum bene eruditum, & ad augendum illum tam lautum apparatum ad uſusque communes proferendum, ſtudio & voluntate paratiſſimum.

Edidit hunc tam dignum ſe virum Lipſia noſtra, in qua, per aetates multas, mercaturae faciendae & dexteritate & felicitate nobilis fuit Richterorum gens, unde ille origines habuit. Nam ſuperioris ſeculi initio fuit Zacharias Richterus, mercator primarius, & Collegii mercatorum magiſter, qui e Maria Genſelia, Conſulis Annaemontani filia, genuit Thomam, ordinis Senatorii virum, & mercatura copioſa nobilem. Is habuit in matrimonio Joannam Magdalenam, Georgii Ulrici Welſchii, Senatoris Aedilitii, filiam, e Roſina, quae & ipſa gentis Richteriae fuit, Jacobo Richtero mercatore nata; ex eaque ſuſcepit filios tres, Thomam Benedictum, Jo. Chriſtophorum, & hunc Jo. Zachariam, die XXVI. Aug. CIϽIϽCXCVI. de cujus vita nobis eſt dicendum.

Pueritiam exegit ſub magiſtris optimis, primum religionis & doctrinae puerilis, in his Romani Telleri & Gothardi Schuſteri, quorum alter poſt ſcholam Wurcenſem rexit, alter Zuiccaviae ſacra fecit Archidiaconi gradu, deinde mercaturae, initio patre ipſo & fratre majore, Thoma Benedicto, poſt patruo Zacharia, Parentis in negotiatione Socio. Sed is curabat partem negotiorum communium eam, quae Hamburgi erat conſtituta. Eo miſſus eſt noſter annos natus quindecim, fuitque patruo carus, primum propter ſolertiam & celeritatem diſcendi, deinde etiam fide & induſtria in adjuvando: tantumque in ea diſciplina profecit negotii gerendi ſcientia & dexteritate, ut, patruo poſt annos ſex mortuo, non dubitaret pater,

ei totam illam partem permittere: quam ita administrabat, ut vehementer patri opera ejus probaretur. Sed non multis annis post, a. CIↃIↃCCXXII. cum frater Lipsiensis major obisset diem suum, res communis postulare visa est, ut, sublatis Hamburgo rebus, in patriam rediret, conjungeretque se in negotio gerendo cum fratre Jo. Christophoro; quocum in ea societate permansit, magno utriusque fructu, ad annum usque primum & quinquagesimum, quo frater e vita discessit. Ita solus totam illam rerum molem sustinuit. Nam ei credita est etiam a Principe procuratio summa divendendae materiae caeruleae, quam e Cadmea fossili, sive Cobaltum malis dicere, conficiunt in montibus Bojohemiae confinibus. Et ille totius ejus & mercis conficiendae, & negotii gerendi rationem mature sub magistro patre, & fratre Thoma, didicerat, quod saepe huic, ad illa loca, inspiciendi causa, proficiscenti, comes fuerat, studioseque ac diligenter tum subterraneis rebus, tum officinis operarum visendis cognoscendisque, effecerat, ut nihil esset in toto illo genere, quod scientiam suam fugeret: & accesserat postea multorum annorum usus in societate fraterna. Interea redierat a peregrinatione filius natu maximus, Jo. Thomas; & ipse sentiebat, quantum oneris sustineret jam incipiens senescere, annos quippe sexaginta natus. Itaque eum adscivit in societatem negotii gerendi, nec minus e fratre nepotem, Jo. Christophorum. In eorum tali societate mansit ad annum usque septimum, qui fuit ei vitae ultimus. Sed ex ea societate ita discessit, ut filium alterum, Jo. Fridericum, sibi sufficeret, & anno ante, statim a pace restituta, procuratio, de qua supra diximus, Principis decreto, & universo sociorum in iis metallis consensu, ad eos translata fuerat. Vix autem coeperat otio frui, quod dimittenda negotiatione petierat, cum eum repentina invasit mors, & ad majus ac perpetuum otium traduxit.

Hic vitae in negotiatione feliciter actae cursus fuit. Nec vero ita negotiis suis vacavit, ut nihil curarum publicarum susciperet; qui non sibi soli se vivere credebat, sed etiam patriae, in qua tam bonis rebus, tam copiosis frueretur. Itaque primum curam rerum com-

communium ſibi imponi paſſus eſt a Collegio mercatorum, deinde diſpenſationem eleemoſynarum publicarum. In quibus rebus cum prudentiam, fidem, diligentiamque abunde probaſſet, cooptatus eſt in Ordinem ampliſſimum Civitatis, & anno poſt adlectus Centurionibus cohortis urbanae. Geſſit etiam ab a. LI. Aedilitatem, & non unam partem redituum Civitatis communium rexit: ad extremum etiam Curationem aedis Petrinae recepit.

Matrimonium ter iniit: primum Hamburgi, cum Maria Eliſabetha, Georgii Richteri, mercatoris, pulcerrima filia, quam ſexto anno e partu amiſit: iterum anno poſt cum Anna Margaretha, Jo. Bermanni, mercatoris primarii Hamburgenſis & tribuni pl. filia ornatiſſima, quacum tredecim annos concordiſſime vixit: tertium, cum Chriſtiana Sibylla, Georgii Henrici Boſii, mercatoris apud nos probatiſſimi filia eximiae virtutis, quam & ipſam cum magno luctu ſuo & liberorum, quos ea ut ex ſe genitos amarat, anno quinto extulit. Primum & tertium prolem habuit non vitalem. Nam Jo. Georgius e Richteria, tertio die, & Chriſtianus Gotlob, e Boſia, eodem, quo natus erat, anno defunctus eſt. Sed alterum feliciter fecundum fuit ſextuplici prole: e quo numero una filia, Regina Eliſabetha, anno poſt, quam nata erat, obiit: maſcula proles omnis matri ſuperſtes fuit.

In ea primus natus eſt Jo. Thomas, ſecundus Jo. Fridericus: quos ſupra diximus, cum fratre patrueli, ſocios factos in negotiatione, quam paternis artibus, hoc eſt, aſſidue, diligenter ac perite exercendo, & virtutes omnes paternas imitando, ad laudem antiquam gentis contendunt. Et magnum pater curae ſuae capiebat fructum, non modo e praeſente utriusque virtute, pietate, obſequio, &, in re gerenda, dexteritate, ſed etiam e futura felicitate, cujus minime dubiam ſpem illa ipſa utriusque bona faciebant. In quibus jure numerabat felix conjugium, quod major iniit a. LVIII. cum Dorothea Eliſabetha, Gotl. Gaudlitii, Paſtoris quondam ad Thomae, optime de Eccleſia Lipſ. meriti, filia, animi corporisque dotibus ornatiſſima: nos numeramus & alterum, quod Jo. Fridericus, cum Jo. Guilielmia, Romani Telleri, S.

 Theol.

Theol. nuper Prof. & Paſtoris Thomani clariſſimi, filia, eo patre digniſſima.

Nec minus largam laetandi materiam habuit Pater in Zacharia, qui tertius ei natus erat: adeo feliciter ille, & plane e voto parentis, adoleverat in ſtudiis doctrinae, ut qui etiam Doctoris honores juridicos ceperat ſumma cum laude, & proferre doctrinam docendo ac ſcribendo coeperat. Et ipſa civitas ab ejus doctrina, induſtria ac virtute ornamentum erat habitura egregium, ni eum, brevi poſt parentis mortem, anni ſuperioris menſe Martio, abſtuliſſet, in ipſo curſu, acerbum genti & nobis fatum, per morbi acuti (morbillos appellant Medici) ſaevam malignitatem.

Quartus ei natus erat Auguſtus Benedictus, qui militiam ſecutus, Procenturionis ſtipendia facit in cohorte Clementis, Principis regii, fortitudine petens ſibi laudem & genti novum decus. Nec parva ſpes erat de quinto, Ludovico Guilielmo; qui literis humanioribus bene excultus, jam verſabatur in ſtudiis Juris civilis, cum eum adortus eſt morbus variolarum tanta vi, ut illum ipſum juvenilem vigorem opprimeret, & ſpem tantam magno cum Patris luctu extingueret.

Ita virum optimum, ſi nihil aliud, certe matrimonia exercuere ad patientiam, multiplici luctu & malorum humanorum ſenſu. Quamquam ille nec aliis moleſtiis caruit, praeſertim in extremo velut actu vitae, in quo vacuitas ab iis & otium maxime & optatur, & ab ipſa natura requiritur. Nam ea vitae pars incidit in miſera belli nuperi tempora, & prope merſa fuit calamitatum publicarum fluctibus: quippe, per quatuor priores annos, nulla publice vexatio extitit, cujus ipſe ſocius non eſſet. Et quamquam reliquos annos procul ab his locis, & vacuus ab illis moleſtiis egit: tamen crebra locorum mutatio, & curae publicae privataeque rei, & ceterae abſentiae ab domo & rebus ſuis moleſtiae, animum corpusque viri, tranquillae & conſtanti vitae adſueti per multos annos, fregerant, eratque in promtu adſpicientibus, multum interea de priſtino vigore ac robore eſſe detractum: unde ei timere coeperant ſui. Et ipſe, quamquam non timebat, tamen providebat, quid ſibi immi-

immineret. Itaque, rebus ſuis omnibus conſtitutis & compoſitis, paravit ſe alteri vitae, in quam tranſitus ei contigit repentinus & brevis. Nam d. XIX. Dec. a. LXIV. cum diei pomeridianum tempus in conventu amicorum hilariter exegiſſet, domum delatum repente invaſit oppreſſio pectoris tanta, ut tertia hora vis vitae extingueretur, circumſtantibus filiis, tam repentina re attonitis, & proſequentibus abeuntem animam precibus, lacrimis, omnibus pietatis, grati animi, doloris ſignificationibus. Annos vixit duo de ſeptuaginta, cum tribus menſibus amplius: ad cujus aetatis maturitatem liberos ejus omnes ita pervenire cupimus, ut virtutes imitaturos ſperamus, quae in eo multae & non vulgares fuere.

Erat in iis prima pietas adverſus Deum & reverentia religionis, cujus exercitationes & publicas diligenter obibat, & privatas conſtanter cum ſuis uſurpabat. Sed oſtentatio aberat: aberant verba quaeſita & ſolemnia jactandae pietatis ad fallendos imperitos & ſanctitatis famam colligendam. Tegebat etiam, quae ſpeciem haberent, ut quae in paupertatem honeſtam erogabat, etiam dando, non modo laboris materiam ſuppeditando, ut metallis exercendis, in quo liberalitatis genus eſſe nuper diximus. Nec apta talis artificii vanitati erat natura viri ſimplex, recta, ingenua, ſevera. Itaque nec in reliqua vita univerſa veſtigium ullum aſſentationis, ſimulationis & diſſimulationis, & ceterae fraudis eruditae, animadvertebatur. Non facile alios decipiunt his artibus, qui non decipiunt ſemet ipſos. At ipſe non dulcis erat ſibi. Severe conſueverat vivere ad legem moderationis, ordinis, conſtantiae, ut etiam inſignis eſſet. Laborabat alacriter, ſtrenue, efficaciter, velut eſſet, qui urgeret: at ille ſibimet inſtabat ipſe. Itaque & alios, qui in poteſtate eſſent, urgebat, videbaturque interdum paullo ſeverior eſſe officii exactor: at ille nihil erat aliis, quod non eſſet ſibi: & ſonum illum modumque vocis, quaſi imitatorem aſperitatis, non ab animi aſperitate, ſed ab officii & recti ſevero ſtudio habebat. Qui ipſe promte, ſtrenue, efficaciter ageret, quae officium poſtularet, non iniquum putabat, idem exigere ab aliis. Cetera vita privata ſimplex erat, frugalis, ut ab omni copiarum oſten-

oſtentatione aliena, ita munditiae & decoris retinens. Raro foris coenabat: nec multorum conſuetudine utebatur, praeſertim annis poſtremis, cum ſe prope ſolum relictum eſſe a veteribus amicis dictitabat. Unius conſuetudine ſaepius ac libenter utebatur, Rud. Aug. Schubarti, Conſularis, viri magnifici. Cum eo amicitiam & conſuetudinem ad vitae finem usque coluit; cujus memoriam etiam filiis gratam & ſanctam fore confidimus.

Nobis vero, cariſſimi Cives, ut univerſae Civitati, viri hujus tam utilis publice, tam praeclari in multas partes exempli, conſervanda eſt memoria, optandumque, ut, providentiae divinae benignitate, multi huic Civitati contingant, ut in aliis vitae generibus, qui pietatem, integritatem, ſeveritatem totius vitae, ita in mercatorio, qui Richteri artes honeſtas copiarum parandarum, per frugalitatem conſervandarum, denique etiam ad utilitatem ſuorum & decus Urbis uſurpandarum imitentur.

ELOGIUM
CASPARI BORNERI,
GRAMMATICI PHILOSOPHI MATHEMATICI ET THEOLOGI LIPSIENSIS CLARISSIMI.

Si nihil praeſtantius eſt generi humano datum, quam bonae literae, quibus ademtis, omnis humanior cultus paullatim deficit; & ſi hoc eſt inſitum animis noſtris, ut nihil dulcius videatur, quam honeſta de rebus divinis ſentiendi libertas, pro qua, multi fuerunt, qui ſanguinem profundere non dubitarent: debet profecto nobis eſſe jucundiſſima temporis illius memoria, quo, luce bonarum literarum illata, dispulſas ſuperioris aetatis tenebras, optabilemque de religionibus judicandi libertatem, cum ipſa religionis integritate, divina humanaque ope redditam patriae ac reſtitutam ſcimus. Eſt autem utriusque boni ea colligatio, & ita alterum eſt aptum alteri & nexum, ut neque manere unum, fugiente altero, neque exiſtere alterum, niſi praecurſione alterius & interventu, poſſit. Nam profecto, ſi velimus cauſam, non modo ſummorum hominum auctoritatibus, ſed rerum ipſarum idoneis documentis, judicare; fateamur neceſſe eſt, primum, ut in ſeminibus cauſae frugum lateant abditae, ſic purioris religionis inſtaurationem, quae duobus abhinc ſeculis contigit, quoad ab humanis cauſis profecta eſt, totam eſſe

esse ab instauratis ante literis arcessendam: deinde ipsam religionem veram & puram literarum tanquam fundamentis nixam consistere, quae ruere & dissipari non possint, ut illa non eodem labefactata motu collabatur. Fuit aliquando tempus, cum religionis verae haec vis esset ac ratio, ut suis viribus contenta, nullisque literarum humanarum adjumentis indiga, facile se tueretur ipsa. Hoc tempus adeo illud fuit, cum mens divina, sanctis Vatum & Apostolorum illapsa mentibus, religionis inde lumen spargeret, hominesque purissimis veritatis coelestis radiis collustraret. Sed, postquam omnis Deum rite colendi, & salutis per Christum consequendae, ratio libris sacris comprehensa, & perfecta omnibusque numeris suis absoluta religionis verae forma constituta esset, relinquebatur hoc, ut omnis cognoscendae religionis ratio sacris literis interpretandis contineretur. Cujus rei idonea facultas cum penes eos demum posset esse, qui ab Ebraicarum, & Graecarum, aliarumque multarum literarum justa copia instructum ingenium haberent; consequens fuit, ut plurimum religionem veram bonae literae juvarent, & cum his illa simul & concideret, & resurgeret. Habent etiam hoc literae, omnesque eae artes, quae liberales dicuntur, ut animos liberales efficiant, ingeniumque acuant. Itaque non solum superstitionem omnem ab iis animis longe prohibent, qui earum disciplina sunt imbuti, sed eosdem etiam, ad eam omni ratione impugnandam, excitant. Haec tanta literarum in religionis integritate juvanda vis facit, ut praestantissimi sacrarum literarum doctores non minorem laudem tribuant iis, qui in literis instaurandis, quam his, qui in ipsa religionis integritate revocanda laborarunt; propterea, quod ita existimant, nisi illi extitissent, & his tanquam viam muniissent, tantam hos auctoritatem habituros non fuisse. Quod si bonarum literarum, & ad religionem, & ad multas alias res magnas, tanta vis est, tantumque adeo, qui eas restituerunt, humano generi, inprimisque nobis, profuerunt; debet profecto non solum tempus illud, quo res tanta apud nos gesta est, diligenter a nobis recoli, ad quos maxime tantum beneficium pertinet, sed eorum etiam,

qui

quī rem tantam perfecerunt, memoria in grata eaque aſſidua recordatione verſari. Quare cum Caſparus Bornerus is ſit, qui proxime Heltum & Crocum Graecas Latinasque literas in hac civitate inſtaurarit, veram autem philoſophiam & matheſin primus omnium fundarit, idemque inter primos Theologiam a corruptelis temporum ſuperiorum purgarit, & conſtituerit, vir ad ſtudia omnia fundanda, Camerario judice, factus & natus; rem non modo juſtam, ſed etiam utilem nos ſperamus facturos, ſi ejus vitam & res, pro literarum & religionis inſtauratione factas, quantum licuerit, expreſſerimus. Et aequitas quidem rei lucet per ſe; utilitatem autem res habitura eſt eam, ut, qua via & ratione artes, quas diximus, temporibus illis & traditae & cultae ſint, intelligatur.

Caſp. Bornerus, primam lucem vidit Haynae, quod eſt Miſniae ad Albim oppidum, ſeculo a Chriſto nato quinto & decimo ad finem inclinato: quo anno, nemo illorum temporum, quod ſciamus, prodidit; ſive negligentia aliqua, uti interpretabuntur, qui harum inprimis minutiarum venatu, & ſibi placent, & gloriam captant; ſive, uti nos exiſtimamus, propterea, quod illis temporibus homines docti majoribus rebus operam dabant, neque has minutias curabant ſcire, aut memoriae prodere. Hoc fuit tempus illud, quo bonae literae in Italia e tenebris in lucem reductae, jam non Italiae anguſtiis coërceri ſe cohiberique paſſae, Alpes tranſcendere coeperant, & in Germaniam quoque lumen ſuum diffundere. Nam cum Joh. Regiomontanus, Rudolph. Agricola & Rudolph. Langus, celebritate eorum, qui ibi bonas litteras docebant, & virorum ſummorum conſiliis permoti (nam Regiomontanus quidem Beſſarionis, Agricola autem & Langus Thomae de Kempis, communis praeceptoris, conſiliis uſi ſunt) cum igitur in Italiam Graecae Latinaeque eruditionis petendae cauſa eſſent profecti, atque inde ſummam utriusque copiam retuliſſent; ille quidem totum ſe ad Matheſin, quam ante iter ſuſceptum e Purbachii diſciplina hauſerat, colendam, docendamque contulit; hi autem Germanis Graecarum Latinarumque literarum lumen accenderunt, eosque partim cohortando, partim docendo, ad earum cultum excitarunt. In quo

illi

illi quidem operae pretium fecerunt. Nam vel unus ille Alexander Hegius, Daventrienſis Scholae Rector, quem Langus quidem conſiliis, & libris Graecis Latiniſque ſuppeditandis, Agricola autem praeceptis & doctrina juverat, is igitur, incredibile dictu eſt, quantum bonis literis incrementum attulerit, cum e ſchola ſua doctiſſimos homines & ad omnem humanitatem formatos, Eraſmum, Murmelium, Caeſarium, & innumeros alios, in omnem Germaniam dimiſiſſet, & in praecipuas urbes earum literarum tanquam colonias deduxiſſet. Ceterum novum hoc inter Germanos bonum mox etiam in has terras & ad hanc Lipſiam noſtram pervenit, cum initio ſeculi ſexti & decimi, Herm. Buſchius, deinde Jo. Rhagius Aeſticampianus huc veniſſent, & Graecarum Latinarumque literarum ſcholas inſtituiſſent. Parebat illis temporibus Lipſia Georgio, Saxoniae Duci. Is praeter ceteras virtutes ſummas, etiam incredibili literarum amore ſtudioque flagrabat. Nam ipſe eruditiſſimus erat, eamque Latinae linguae facultatem habebat, cujus, id quod ex ejus epiſtolis ad Eraſmum intelligi poteſt, ne eos quidem poenitere, opinor, poſſit, qui in hoc genere aliquid eſſe viderique cupiant. Itaque Graecarum Latinarumque literarum magiſtris impenſiſſime favebat, & Lipſiam ſuam his literis inprimis volebat florere. Quodſi Lipſienſibus par literarum bonarum amor, parque ſtudium fuiſſet, facile potuiſſet brevique literaria res magna hic incrementa capere. Sed, neſcio quo triſti literarum bonarum fato, illis, & quae paullo poſt fuere, temporibus, accidit, ut, in ſummo Principum favore & adoleſcentum ſtudio, hi maxime adverſarentur earum auctoribus, qui ceteras artes, Theologiam, Jurisprudentiam & Philoſophiam docebant: ſive invidia illa fuit, gratia apud Principes, & concurſu adoleſcentum, ut fit, commota, ſive metus, ne horum auctoritate conſtituta, ſua ad nihilum veniret. Nam Herm. Buſchius & Aeſticampianus, malivolentia & invidia Theologorum & Philoſophorum, brevi hac urbe ejecti ſunt, neque Rich. Crocus, Petrus Moſellanus, aliique non eos dentes ſenſerunt. Petrus Loriotus autem, diſciplinae juris novae, quae tum ab Alciato prolata erat, alumnus, cum eſſet, magno ſtipendio

pendio propoſito, re per ſe apud famelicos homines invidioſa, ad jurisprudentiam humaniorem docendam huc vocatus, tantas acerbitates a reliquis barbarae & Italicae, quam tum vocabant, Jurisprudentiae profeſſoribus perpeſſus eſt, ut mox Lipſiam reliquerit. Adoleſcentes contra, ut integris erant, & a barbariae amore, & ab invidia, animis, ita ſummo ſtudio ad eos, qui Graecas Latinasque literas profitebantur, concurrebant. Sed omnium maxime, primo Georgius Heltus & Rich. Crocus, poſtca Moſellanus, Loriotus & Camerarius adoleſcentium judiciis & ſtudiis florebant. Ad eos concurrebatur, eorum amor captabatur, eorum nomen, oratio, vultus inceſſusque amabatur. Loriotum quidem, ut de ceteris taceam, cum omnes locus auditores non caperet, quidam ſcalis, extrinſecus ad feneſtras adjectis, inſiſtentes audierunt. Tantum elegantiorum literarum ſtudium homines inceſſerat!

Ceterum, his orientis literarum lucis temporibus, anno ſeptimo ſeculi ſextidecimi, Lipſiam venit ſtudiorum cauſa Bornerus, celeriterque & ingenii ſublimitate impulſus, & naturali quodam elegantiae humanitatisque ſenſu percitus, in eorum ſe diſciplinam dedit, qui bonas literas docebant. Ii qui fuerint, non audeo quidem pro certo affirmare, cum neminem idoneum auctorem ſciam, qui diſerte prodiderit: tamen conjecturam ex ratione temporum facientem, non poenitet eorum eſſe ſententiae, qui Georgium Heltum inprimis praeceptorem Borneri faciunt, ad quem illo tempore, quo Bornerum didiciſſe in hac Academia conſtat, principatum Latinarum literarum omnes deferebant. Nam etſi Vitus Verlerus quoque, Georgius Coelius Aubanus, Andreas Epiſtates Delitianus & Langus Lempergius laudabantur & frequentabantur, tamen nihil ad Heltum eſſe putabantur. Non autem Heltus erat is, quem haec noſtra ignavia deſideret, quae delicatulis pueris parci, neque eos ſevera lege vult doceri, ſed qui antiqua & vera, h. e. ſeveriſſima diſciplina uteretur. Erant tum recentes Jac. Henrichmanni Grammaticae praeceptiones, anno octavo illius ſeculi editae, accuratae illae quidem & ele-

gantes, ſed verboſae. Hunc tamen librum ſuis diſcipulis proponebat Heltus, & ediſcere cogebat: quod illi graviter quidem & moleſte ferebant, ſed ferebant tamen; cum ita exiſtimarent, niſi utilis iſte labor & neceſſarius eſſet, eum a ſe exacturum tam fidelem & prudentem praeceptorem non fuiſſe. Deinde cum Ciceronis eloquentiam putaret eſſe eam, ad quam fingi formarique juvenes oporteret, ejus libros ipſis non modo explicabat, legendosque ſuadebat, ſed ſingulis quoque diebus epiſtolam aliquam memoriter recitandam exigebat. Age vero, auctorem rei Camerarium audiamus ipſum: „ Ego me puerum hoc audire memini „ de doctiſſimo viro, magiſtro meo Georgio Helto „ Vorchemio, cum Hermanni Buſchii, quo tempore „ ille Lipſiae aliquando fuit, promtam & expeditam „ elegantiam quacunque de re & quocunque in nego„ tio verba faciendi, admiratus, interrogaſſet eum, „ quam maxime rationem in illa ſibi paranda ſecutus „ fuiſſet: reſpondiſſe tum illum, legendis & relegen„ dis Ciceronis epiſtolis. Hac etiam reſponſione „ eum motum arbitror, ut inſtitueret harum doctri„ nam ordinariam horae cotidie unius in ſua ſchola, „ quam habebat admodum frequentem, & me ut ju„ beret cotidie unam ex illis memoriae mandare, „ quod quaſi penſum a me exigere ad veſperam in dies „ ferme ſolebat." Fuit ſane, illo altero Latinitatis aureae ſeculo, haec communis & ad omnes pervagata ſententia, nihil eſſe, quod magis ad facultatem, prompte, facile, perſpicue & eleganter de rebus omnibus diſſerendi valeret, quam epiſtolarum Ciceronianarum & legendarum aſſiduitatem & ediſcendarum laborem: quorum temporum auctoritatem ſecutus eſt ſine dubio Morhofius, vir celeberrimus; qui cum eſſet interrogatus, quid maxime ad facultatem populariter, ſed tamen eleganter, etiam de rebus ſacris in concione populi, dicendi conducere arbitraretur, nihil magis, fertur reſpondiſſe, quam crebram aſſiduamque epiſtolarum Ciceronis lectionem. Sed ut ad Bornerum redeamus, etſi, uti diximus, Helti diſciplina uſus videtur, tamen haud negaverim, eum etiam a Buſchio didiciſſe, cum iterum, hoc eſt, circa annum illius

ſeculi

feculi decimum, Helto quoque jam Latinas literas docente, Lipfiam veniffet. De Aefticampiano quidem plane non dubito, qui eodem, quo Bornerus, anno h. e. feptimo Lipfiam venit, & undecimo Lipfia deceffit. Qui Graecas autem literas eum a Croco haufiffe tradunt, vix fidem faciunt; propterea, quod, quemadmodum poftea intelligetur, eo tempore, quo Lipfiam venit Crocus, jam ipfe Bornerus docuerit neceffe eft; quando eodem tempore, quo Mofellanus huc venerat, ea jam fama & auctoritate fuit, ut ad eum homines docti Lipfiam delati fe applicarent, ejusque auctoritate & commendatione uterentur. Mihi non eft dubium, quin Graecas literas in Italia Bornerus didicerit, in quam fatis conftat iter ab eo literarum caufa effe fufceptum. Ea tum Graecis literis non minus, quam Latinis, maxime abundabat, quas partim exfules Graeci, partim eorum difcipuli, libris Graecis ex omni eruditionis genere explicandis, docebant. His cum operam daret nofter, penitus fe in fcriptorum veterum tanquam confuetudinem infinuavit, a quibus omnis vera Philofophia & Mathefis profecta eft. Itaque utramque doctrinam, feliciter inde hauftam, fecum ex Italia in patriam reportavit, & hic novas Philofophiae Mathefeosque velut officinas inftituit. Rarum erat tum & novum Mathematici in Germania nomen; Lipfiae vero, quod quidem fciamus, nullum. Satis conftat, primum in Germania Georgium Purbachium, cum difcipulo Regiomontano, Viennae Mathefin fubtilitate probabili docuiffe, & inde in alias Academias eam propagatam effe. Jam ex quibus illi fontibus hanc difciplinam hauferant, ex iisdem eam duxit Bornerus, hoc eft, e Mathematicis Graecis. Sed inter ceteros inprimis videtur Ptolemaeum magni feciffe, in cujus adeo libros, quemadmodum poftea dicemus, copiofi ab eo indices confecti fuperfunt. Qualis autem & fuerit & exiftimata fit Borneri difciplina mathematica, inprimis in ea parte, quae de fideribus explicat, cum difcipulorum teftimoniis conftat, tum Joach Camerarii, qui de hac re ita prodidit, ut neminem, fcripferit, Bornero ante illa tempora exquifitius, aut induftria majore, fitus, loca, figuras, ortus obitusque

ſiderum ſignorumque coeleſtium obſervaſſe, neque hujus contemplationis iter planius oſtendiſſe. Ceterum ex hac diſciplina fuit praeter ceteros, quos propter novitatem rei, auctoritatemque magiſtri, multos fuiſſe probabile eſt, Caſp. Cruciger, magni poſtea nominis apud Vitebergenſes Theologus; quem hoc a magiſtro ſuo habuiſſe reperio, ut, quoties ſe a ſacrarum literarum ſtudio & doctrina relaxaret, ad Ptolemaei, Theonis & Euclidis libros legendos ſe conferret, quorum lectio, ita ut ſtudium matheſeos in univerſum, tunc etiam a Theologis eruditis, inprimisque Melanthone, id quod ex aurea ejus in Euclidem praefatione intelligitur, diſciplinae ſacrae alumnis valde commendabatur. Quae res eſt argumento, quam imperite agant hodie quidam ignorantiae patroni, qui Theologo ne contubernium quidem Matheſeos, nedum connubium concedunt. Neque vero, ſi diſcipulis ejus, Crucigero eidem, Ebero, aliisque fides eſt, minor ejus fuit in philoſophia auctoritas, quam ille, ex inſtituto eorum, qui tum bonas literas inſtaurabant, non de lutulentis & barbaris ſcholaſticorum libellis, ſed ex antiquorum philoſophorum Graecis Latinisque libris hauſtam tradebat, in quibus elegantia orationis cum ſubtilitate ſententiarum certat. Fuit hoc quoque magnum temporis illius bonum, ut infelix diſcidium, quod philoſophiam ab eloquentia diſtraxerat, tolleretur, & utriusque vetus & jam ante Socratem inita & conſtituta concordia & conjunctio reduceretur. Nam cum fere talis quisque ſit, quales ſunt ii, unde profecit, fieri non poterat, quin diſerte eleganterque philoſopharentur, qui magiſtros habuiſſent eos, a quibus omnis eloquentia non minus, quam philoſophia vera defluxit. Legat mihi aliquis, ut de Laurentio Valla, aliisque exteris taceam, Jo. Caeſarii, Hoſpitiani Stainani, Melanthonis, aliorumque ejus aetatis hominum philoſophicas praeceptiones; neque ſubtilitatem in explicando requiret, neque puritatem elegantiamque orationis deſiderabit. Sed hoc tantum bonum civitati literatae non fuit diuturnum. Nam, non adeo longo tempore poſt, vinculum, quo conjunctio inter philoſophiam & eloquentiam adſtricta

erat,

erat, rurſus ab iis diſſolutum eſt, qui, ſive propter difficultatem rei, ſive propter ingenii tarditatem, utriusque rei idoneam facultatem deſperabant. Neque poſtea potuit ad noſtrum usque tempus priſtina illa concordia revocari. Sed praeter Matheſin & philoſophiam etiam Latinarum literarum ſcholas habuit Bornerus, quibus inter alios etiam Georgius Fabricius magno cum fructu interfuit, cum Horatium & Prudentium enarraret. In ipſa autem initia ſuſceptae a Bornero docendi provinciae incidit adventus Moſellani. Is Coloniae uſus erat inprimis Jo. Caeſarii, alumni Hegiani, & condiſcipuli Eraſmiani, excellente in omni genere literarum doctrina, & huc ſe contulerat, ut in hujus Academiae ampliſſimo & in totius Germaniae oculis expoſito theatro, collectas ingenii opes explicaret. Jam cum circumſpiceret aliquem, cujus conſiliis uti poſſit, ex omnibus delegit inprimis Bornerum, ad quem ſe applicaret, ad quem de rebus ſuis referret, ab cujus auctoritate totus penderet. Itaque cum is, quem ſupra commemoravimus, Aeſticampianus, Fribergae bonarum literarum officinam inſtitueret, Borneri auctoritate permotus Moſellanus, eo ſe contulit, & ibi Graecas literas cum magno omnium plauſu docuit. Sed vix tribus annis exactis, cum poſt Croci abitum Georgius Dux Saxoniae quaereret aliquem, qui Graecas literas Lipſiae doceret, idem Bornerus auctor fuit provinciae hujus ad Moſellanum deferendae, facileque gratia & auctoritate perfecit, ut Moſellanus Lipſiam revocaretur.

Interim cum accidiſſet, ut Jo. Poliander Scholae Thomanae regendae curam deponeret, Bornerus inprimis dignus judicatus eſt, qui ei ſucceſſor daretur. Id quo anno factum ſit, non ſatis liquet. Hoc quidem e Moſellani Paedologia, quae Poliandro inſcripta eſt, conſtat, anno ejus, quod tum agebatur, ſeculi ſeptimo decimo adhuc ſcholae Poliandrum praefuiſſe. Hic Poliander Lipſia deceſſit, anno quinto & viceſimo, & aliquot annis ante, quam decederet, Rectoratu Thomano videtur abiiſſe. Schola Thomana tum Praepoſito Coenobii Thomani ſuberat. In ea, ut e Mauritii Electoris Decreto intelligitur, quo ſcholae

Thomanae cura Senatui hujus civitatis amplissimo permissa est, docebatur tum a tribus, Rectore, Cantore & Baccalaureo. Rector, praeter docendi munus, etiam notarii in Consistorio, quod tum erat, locum tenebat, & cum sacerdotibus templi Thomani apud Praepositum coenabat. Ceteri e coenobio Thomano victum accipiebant. Sed propter multitudinem eorum, qui ejus scholae disciplina utebantur, Rectori interdum socii quidam auditoresque laboris dabantur. In his Borneri tempore fuisse reperio Georgium Fabricium, & Wolfgangum Meurerum, quorum uterque Borneri discipulus fuerat, eumque, quoad vixit, parentis loco habuit, alter autem, Wolfg. Meurerus, postea Professor Philosophiae, &, deposito Rectoratu Nicolaitano, Senator civitatis Lipsiensis fuit. Nempe hoc in more positum fuit institutisque illorum temporum, ut, qui ingenium suum vellent in Academiis docendo, interdum etiam in republica gerenda, aliquando probare, cum essent Academicum studiorum curriculum emensi, in scholam aliquam illustriorem ad tempus se docendi causa conferrent, ut ibi assidue & multum docendo firmitatem quandam in Graecis Latinisque literis consequerentur, & mentem linguamque perpetua & curiosa exercitatione acuerent. Ex eorum numero fuisse etiam Jo. Scheffelium reperio, qui cum aliquandiu in Schola Dresdensi docuisset, ubi etiam Meurerum discipulum habuit, Lipsiam rediit, &, honoribus juris Academicis impetratis, non modo jus publice docuit magna cum nominis fama, sed etiam ad Consulatum civitatis pervenit. Ceterum, Bornerus, quanta sit auctoritate usus in administrando munere scholastico, vel Peiferi testimonio constat, qui, eo Rectore, in Scholae Thomanae infimo ordine didicit. Est ita comparatum natura, ut auctoritas omnis non e munere, quod quis sustinet, sed e virtute & meritis efflorescat. In munere autem scholastico nihil aliud est, quam eruditionis dexteritate docendi probatae, & in omni vita constantiae quoddam quasi ἀπήχημα. Quomodo igitur non maxima esse Borneri auctoritas potuit, in quo haec summa constat fuisse. Sed hoc habuit cum multis aliis commu-

mu-

mune, illud autem ejus eſt proprium & praecipuum meritum, quod, cum ſchola Thomana, propter vetuſtatem, minaretur ruinam, neque eſſet, qui ejus reficiendae curam ſumtumque ſuſciperet, ipſe hoc onus ſubiit, & eam inſtaurandam curavit. Manſit autem Bornerus in hoc munere annos duodeviginti. Ex quo intelligi poteſt, ei hanc curam ſcholae regendae moleſtam non fuiſſe. In quo tamen poſtea mentem videtur mutaſſe. Nam cum anno illius ſeculi quinto & quadrageſimo ad Georgium Fabricium Argentorati tum agentem, per Wolfgangum Meurerum, munus Rectoris in ſchola Thomana an Nicolaitana, deferretur, Bornerus ipſum ab eo ſuſcipiendo deterruit.

Incidit deinde tempus illud, quo, poſt mortem Georgii, Ducis Saxoniae, Henricus Frater, repurgandorum per Miſniam ſacrorum negotio ſuſcepto, Lipſia ſuperſtitionem veterem expulit, & omnes, qui hic docebant, rebus commenticiis rejectis, ad unam ſacrarum literarum auctoritatem amplectendam convertit. Ibi tum intellectum eſt, quantum Bornero ab ſummis hominibus in rerum divinarum ſcientia, tribueretur, & qui ſenſus ejus in cauſa Lutherana putaretur. Nam in eorum fuit numero, qui primi conſtituti ſunt auctoritate Henrici, ut Theologiam pure ac ſincere e ſacris literis docerent; quod profecto princeps tam prudens, & puritati religionis revocandae tantopere intentus, non feciſſet, niſi plane de ejus & ſcientia & ſenſu, & ipſi, & Luthero, ceterisque, quorum conſiliis utebatur, conſtitiſſet. Et fuit ſane jam ante ſuſceptam ab Henrico repurgationem ſacrorum ex iis Bornerus, qui Lutheri cauſae, juſtae quippe & probabili, valde faverent. Habebat hanc tum vim in animis hominum Graecarum Latinarumque literarum ſcientia, ut eos ab receptis in ſacrorum cultu ritibus ſuperſtitioſis, commentisque humanis in Theologiam invectis, vehementer avocaret. Itaque, ut quis illis temporibus longius fuit earum ſcientia provectus, ita magis alieno ab iis rebus animo, exemplis Vallae, Eraſmi, Hutteni edocti, ſcimus fuiſſe. Bornerum quidem diu ante illud tempus Luthero amicum fuiſſe,

vel illa epiſtola Lutheri declarat, quam ad Bornerum, anno illius ſecundo & viceſimo, ſcripſit. Sed preſſerat hoc in Lutherum ſtudium, quoad vixerat Georgius Dux: ſive metu periculi, qui magna ingenia, & his literis abundantia, plerumque debilitat, ſive conſilio potius, quod intelligebat, in tanta Georgii cupiditate, fruſtra ſe animi ſenſum proditurum eſſe, expectarique potius, ad aperiendum animum, temporis opportunitatem oportere. Et eſt profecto quaedam, etiam in bonis verisque ſententiis profitendis, non probanda temeritas, & illa abrupta & intempeſtiva in propugnanda veritate, pertinacia, etſi ad ſenſum vulgi magnifica eſt, tamen, ut raro utilis in publicum, ita plerumque noxia & hominibus & ipſi veritatis cauſae reperitur. Eſt omnium rerum quaedam maturitas, & veritas quoque ſua tempora vult expectari.

Suſcepta Theologiae docendae profeſſione, cum primum ſolenni ritu quibusdam Academici Theologiae honores tribuerentur, in horum numero Bornerus fuit. Mortuo Henrico deinde, cum res Miſnica ad Mauritium veniſſet, isque deligeret, qui Lipſiae de cauſis eccleſiaſticis judicarent, in his quoque Bornerus locum obtinuit. Et cum inter omnes conſtaret, non modo, quanta dexteritate, fide & aſſiduitate, in muneribus adminiſtrandis, verſaretur, & quae eſſet viri auctoritas, ſed etiam, quantum in eo publicae utilitatis ſtudium reſideret: ab anno undequadrageſimo ad tertium & quadrageſimum ter magiſtratus Academicus omnium ſuffragiis creatur; ut adeo illis ſex annis ſolus e Miſnica natione, uno ab Academia condita exemplo, Academiam rexerit. Hic vero ſibi amplum Caſparus campum apertum exiſtimabat, in quem virtus ſua longiſſime poſſet excurrere. In quo tamen etiam illud intelligi potuit, quantum in rebus magnis gerendis temporis opportunitate viri magni juventur. Nam ſi hi magiſtratus Borneri in alia tempora incidiſſent, tantas res, quantas quidem tum geſſit, efficere, deficiente materia, non potuiſſet. Sed tum ita forte acciderat, ut cucullati fratres domicilia ſua novis & melioribus incolis vacuefeciſſent. Hanc igitur ſibi Bornerus, ad omnem bene de Academia meren-

rendi occasionem excubans, idoneam facultatem ratus datam, commoda Academiae augendi; cum intelligeret Paullinum Monasterium, quod erat omnium, quae hic essent, amplissimum, opportunum Academiae ad multas res fore: nihil se, neque ad utilitatem publicam uberius, neque ad famam gloriosius facere posse existimavit, quam si opera sua id Academiae impetraretur, si se posteri auctorem ejus muneris fama ferrent. Hujus tantae gloriae utilitatisque publicae cupiditate incensus & commotus animus non prius conquievit, quam res optatum ad exitum pervenisset. Itaque Dresdam ipse, magistratum tum Academiae gerens, pedibus profectus, quantum studio, gratia, precibus potuit, ab iis, qui plurimum apud Mauritium valebant, inprimisque Cummerstadio, apud quem ipse gratiosissimus erat, contendit, ut se deprecatores in ea re apud Mauritium interponerent, Academiaeque hoc tantum beneficium conficerent. Erat autem Mauritius is, quo nemo felicius antea artiusque belli & pacis artes junxerat, verus Hercules Musagetes. Itaque cum nihil esset, in quo scholis commodare posset, quod non libentissime faceret; facile est, re ad ipsum per Cummerstadium delata, perfectum, ut Monasterium Paullinum, Academiae donandum decerneret. Bornerus, confectis ex animi sententia, rebus, Lipsiam, magno gaudio elatus, rediit, magnam se sperans a Collegis gratiam, nunciata re, initurum. Quod longe aliter cecidit. Nam Camerarius quidem, a quo erat literis ad Cummerstadium adjutus, magnopere, ut erat aequum facere hominem, utilitatis publicae amantem, comperta re, vehementer laetatus est; ceteri autem frigere, ridere adeo Bornerum, & eum laborem frustra susceptum dicere. Nihil opus esse Academiae hoc Monasterio, neque ullum ejus usum esse posse, nisi venderetur, & pecunia ex eo redacta, ad salaria augenda conferretur. Bornerus, etsi indignitate rei graviter commovebatur, tamen, cum in ea re suscipienda neque ventum aliquem popularem esset secutus, neque judiciis hominum magis, quam rebus ipsis, duceretur, neque poenitendum consilii putavit, neque factus est

ad rem perſequendam remiſſior. Itaque aſſumto curarum laborumque ſocio Camerario, &, ut in ſumtum haberet, qui eſſet neceſſario faciendus, partim pecunia a Mauritio impetrata, partim verſuris publice factis, opus ſuſcepit longe maximum, plurimumque & utilitatis & gloriae apud poſteros habiturum. Nam donatum Academiae Monaſterium ab rebus inutilibus purgare, & omnibus iis uſibus, quibus nunc quoque inſervire videmus, aptare inſtituit. Primum templo reliquias ſuperſtitionis ſuperioris ejecit, illudque per Lutherum, Aleſium, & Zieglerum dedicavit. Deinde Bibliothecam, e Monaſteriorum Lipſienſium, aliorumque ſpoliis collectam, digeſſit, & idoneo loco repoſuit. Convictum porro inſtituit publicum, ſuppeditatis in ſumtum a Mauritio rebus neceſſariis, totamque rem oeconomicam, atque univerſi adeo Collegii procurationem, Decemvirali Collegio inſtituto, ordinavit. De quibus ſingulis multa dicere, cum nota ſatis, & ab aliis copioſe ſint tradita, non eſt neceſſe.

Exortum eſt paullo poſt funeſtum bellum inter Mauritium & Joannem Fridericum, Electorem Saxoniae. In quo cum Lipſiam a Jo. Friderico inprimis peti appareret, ante paullo, quam obſideretur, quod factum eſſe conſtat anni ſeptimi & quadrageſimi initio, Mauritii juſſu, Rector Academiae Pflugerus, cum omnibus Profeſſoribus & reliquis civibus, Miſenam commigravit. Unus Bornerus Lipſiae manſit, veritus, ne in tanta perturbatione rerum, dum ipſe abeſſet, neque quisquam unus curam aedificiorum Academicorum haberet, hoc ſuum monumentum calamitatem aliquam acciperet, atque ita omnes curae ſuae laboresque interirent. Neque tamen, quamvis praeſens & intentus operi ſuo tuendo, potuit impedire, quo minus per obſidionem, non modo ab iis occuparetur, foediſſimeque haberetur, qui e ſuburbiis in urbem commigraverant, ſed etiam pars quaedam ejus temere incenſa corrueret. Itaque, obſidione ſublata, dum in repurgando monumento ſuo nimis aſſiduus eſt, neque ullam ſui, prae publici commodi ſtudio, curam habet, ſive peſtilenti morbo, qui tum civitatem ex bello

bello invafit, correptus, five, quod propius fidem eft, curis, vigiliis & moerore gravi ex obfidionis malis confectus, die fecundo menfis Maji, exfpirat. Hic viri tanti, tam neceffario tempore, & nondum gravi aetate, interitus, cum omnibus bonis, uti debebat, triftis & acerbus accideret, tum vero nulli magis, quam Joach. Camerario & Phil. Melanthoni, literarum illo tempore fine dubio principibus, qui in ejus morte fe non modo amici fuaviffimi, quod eft per fe grave & luctuofum, fed etiam omnium confiliorum fuorum, ftudiorumque, vel focii fideliffimi, vel ducis peritisfimi jacturam feciffe intelligebant.

Neque tamen vel mortuus potuit effugere civium fuorum invidiam. Nam eum poft mortem infamatum a quibusdam invenio, quafi alieno ab Lutheri partibus animo fuiffet. Ejus rei argumentum hoc ferebatur, quod nunquam fibi paffus effet perfuaderi, ut Coenae facrae, ritu Lutherano, hoc eft, pane & vino fumendo, celebrandae intereffet. Quae res etiam fecit, ut Georgius Fabricius, de vita Borneri fcribendi confilium, invidiam rei veritus, abjecerit. Mihi rem confideranti, etfi in ancipiti haeret animus, quod res ejusmodi, ut facile difputando in utramque trahi partem poffit, tamen eo magis inclinat, ut eam totam ab invidis & malevolis hominibus confictam putet. Ac non is quidem ego fum, qui nefciam, quam diverfae diftractaeque fuerint, in eo religionis Chriftianae capite, hominum quondam fententiae & voluntates; cum fatis conftet, in multis Germaniae partibus, nominatimque Lipfiae, plebem, vivo adhuc Georgio, magna cupiditate vini quoque in S. Coena fumendi, exarfiffe, ejusque fibi ut copia fieret, fummis precibus contendiffe; principes autem vehementer interceffiffe, ne quid novi in ea re conftitueretur. Senatus quidem Lipfienfis ad Georgium Ducem Saxoniae literae extant, quibus magnopere deprecatur, ne vini facri copiam in promifcuo effe patiatur. Et eft hoc fane, inde a religionis Chriftianae initiis, ufu compertum, plebem in caufis iis, quae maxime religionem contineant, incorruptius doctis & nobilibus hominibus judicare, quos plerumque aut ambitio, aut utilitatis ftu-

ſtudium, aut repugnandi & antiqua inſtituta defendendi libido occaecat. Potuit itaque fieri, ut Bornerus etiam hic aliquid humani pateretur, & ratiuncularum quarundam inani ſpecie auferretur. Contra autem, primo Borneri cum Luthero, Melanthone, Crucigero, aliisque ejus generis hominibus conjunctio, deinde apud Henricum & Mauritium gratia & auctoritas, ſilentium eorum, qui de Bornero prodiderunt, & multa alia vehementer ſuadent credere, in hac re aliquam hominum malitiam intercesſiſſe. Quotidie propemodum audimus, quot res, quam falſae, quam repugnantes, quam incredibiles confingantur, & in homines honeſtos conferantur, & pro certisſimis narrentur. Inprimis autem ſolemne omnibus temporibus fuit improbis & invidis hominibus, ut, ſi quorum famae vellent nocere, neque in iis reperirent, in quo calumniari posſent, eos ad plebejos & imperitos homines ita criminarentur, ut dicerent, eos male de religione opinari, &, quaſi omnes eorum animos inſpexisſent, noxias ſententias corde premere. Atque id crimen facillime haeret in iis, qui paullo plus, quam ceteri, videntur in ſtudio literarum verſari. Quare, cum multi esſent, qui Bornero, propter ingenii & eruditionis gloriam, ſplendoremque & dignitatem vitae, inviderent, cui incredibile videatur, his eos artibus esſe uſos, ut ejus gloriam aliqua infamia contaminarent. Huic non modo iniquitati, verum etiam impietati, longe abſit, ut nos, ei fabulae temere fidem habendo, adjungamus, & aliquid laudibus Borneri detrahamus: quarum ne illa quidem pars a nobis praetermittenda eſt, quae diligentiae ejus & eruditioni, libris ſcribendis probatae, debetur. Scripſit enim praeter *Analogiam*, h. e. declinandi & conjugandi formulas, librum *de Stellis*, & *Indicem in Ptolemaei Geographiam.* Confecit etiam *indices* copioſisſimos *in Sabellici Enneadas*, quod tunc opus, quia univerſam hiſtoriam, e fontibus hauſtam, elegantique oratione explicatam tradit, in magno pretio erat, & diligenter legebatur ab hiſtoriae ſtudioſis, nunc autem jacet, &, ſive quia antiqua ſordent, ſive quia majus eſt, quam pro noſtrorum hominum ignavia, quae parvos potius

li-

libellos, ſchediaſmata & diſſertatiunculas legit, a nemine legitur. *Locos* etiam *Communes* & *Tabulas Chronologicas* reliquit, & magnum *Opus hiſtoricum;* quod tamen, morte praeventus, perficere non potuit. Ex his libris priores tantum editi ſunt, reliqui ſcripti tantum in bibliotheca Paullina ſervantur.

Ceterum hujus tanti viri laudes oratione ornandas ſibi ſumſerunt, & de ejus ſtudiis, meritis in bonas literas, religionem, ſcholam Thomanam & Academiam, pro viribus, dicere conſtituerunt quidam de noſtra diſciplina alumni, qui e Schola Thomana in Academiam ſe conferre in animo habent, &c.

JO. AUGUSTI ERNESTI

NARRATIO

DE

JO. MATTHIA GESNERO

AD

DAVIDEM RUHNKENIUM V. C.

JO. AUG. ERNESTI NARRATIO DE JO. MATTHIA GESNERO AD DAVIDEM RUHNKENIUM V. C.

Acerbum dolorem renovare jubes, Ruhnkeni, Vir Celeberrime, cum Tibi de Gesneri vita, ingenio, inſtitutis, moribusque a me vis ſcribi: cujus obitum cum & literarum cauſa omnibus vehementer eſſe dolendum putas, & mea quoque cauſa Te ſcribis dolere, & veriſſime judicas, & adverſus me peramanter facis. Nam fuit profecto talis, qualem paucos ante annos deſcripſi in Homerici Operis praefatione (quam ille in ultimis ad me literis ἐντάφιον ſuum appellabat) *Graecarum omniumque bonarum literarum in Germania*, (addiderim, *non modo hac noſtra, ſed omni memoria*) *longe princeps, ingenii autem felicitate, doctrinae accuratae & exquiſitae copia, orationis denique elegantia & dulcedine veterum optimo cuique ſimillimus:* neque id Tibi, aut cuiquam, qui ingenium & doctrinam recte aeſtimare poſſit, dubium arbitror videri. Quodſi Tibi contigiſſet, illum coram videre & alloqui, cum eo diem unum & alterum exigere familiariter, ita Te adfectum ab eo diſceſſurum fuiſſe confido, ut noſtrum quondam Askeum, Britannum V. C.

qui cum in peregrinatione ab eo ad me venisset, ad primam nominis Gesneriani mentionem, in admirationem non modo doctrinae, sed humanitatis, sed elegantiae, sed suavitatis effusus, *talem*, inquit, *virum nunquam vidi.* Adeo ille ingenii & doctrinae magnitudinem etiam externis illis bonis aequabat. Ego autem quomodo non praecipuo & acerbo dolore excrucier in istius morte, qui me adolescentem, ut primum vidit, & de literis mecum collocutus est, ita adamavit & laudavit, ut omnibus aequalibus, etiam cum invidia quadam sua, palam praeferret, quocum tres ipsos annos in Schola Thomana conjunctissime & suavissime vixi, post autem per XXVII. annos amicitiam sanctissime colui, animo denique, voluntate, ac sensu de literis ipsis, & de rebus omnibus, ita conjunctus fui, ut ipse saepe miraretur tantam consensionem ingeniorum & animorum nostrorum, nec modo in literis ad me suis, sed etiam apud alios. Et nihil dixi de ejus in me meritis, quae multa, & magna, & jucunda extiterunt. Quarum rerum causa quantopere illum amaverim, & in eadem illa epistola dixi, & ita vulgo notum fuit, ut etiam amicus quidam meus, cognita ejus morte, statim ad me accurrerit, & per ambages me ad eam cognoscendam deduxerit, ne, repentino jacturae tantae nuncio, vehementius, quam opus esset, perturbarer.

Erat autem tum recens adhuc dolor alius e morte Praeceptoris, unius de omnibus superstitis, & optime de me meriti, Frid. Gothilf. Freytagii, qui Scholam Portensem triginta amplius annos optime rexit, & ejus veterem gloriam paene unus sustentavit. Erat enim, ut alia bona mittam, Graecarum & Latinarum literarum eximia scientia praeditus, inprimisque exquisito judicio elegantiae in scribendo valebat. Hic primus orationem meam limae suae severitate expolivit, intra justos fines redigere, & numerosam efficere docuit. Et habebat admirabile artificium effingendae orationis puerilis, non modo iis, quae scripta essent, castigandis, pro cujusque ingenii & facultatis modo, sed etiam actum ipsum & quasi nisum scribendi, & elaborandae orationis adjuvans, praecipiendo, admonendo, cavendo. Nec alii Graecarum literarum

amo-

amorem debeo, quarum discendarum studium ille mihi, ab iis alieniori, quod ad consilium vitae futurae nihil admodum mihi profuturas, passus eram mihi persuaderi, opportunitate aliqua usus, ita efficaciter injecit, ut post etiam intemperantiam discendi coërcere necesse habuerit. Denique me deduxit ille in domum Stiglitii, Consularis nuper Civitatis nostrae, a quo quantopere adjutus, ornatus, denique etiam amatus sim, cum sciant omnes, sitque in eo pars magna dignitatis nostrae, non opus est dicere. Itaque morte ejus cognita, quamquam multarum rerum jucundissimarum, quas ante attigi, memoria subibat animum, tamen longe major invasit moeror, quem etiam Scholae illius fortuna, & identidem incursans & se immiscens Stiglitii memoria aggravabat, cujus prudentiam, gravitatem, constantiam, auctoritatem, Civitati alienissimo tempore ademtam, nunc quoque lugemus.

Ad hunc ergo dolorem cum accessisset Gesneri mors, incredibile dictu est, quanto moerore fuerim oppressus. Quo magis abhorrui a consilio hoc scribendi, cum Tu, V. C. statim ab nuncio rei ad vos perlato, a me petiisses. Nunc cum, interjecto longiori tempore, resederit ille tumor, & Tu me subinde admonueris, suscepi Tibi describere imaginem viri: non quo id omnium maxime possem, aut quo confiderem plane exprimere tanti ingenii tantaeque virtutis pulcritudinem, sed ut Tibi, cui virum non nisi de scriptis nosse contigit, adumbrarem utcunque totum ingenium illud & virtutem universam, quae longe profecto latius patuerunt, quam existimare possint, qui sibi imaginem ejus e scriptis fingant. In quo mihi plane accidit, quod iis, qui uxorem cariorem acerba morte amiserunt. Etenim quae cogitatio ab initio, in viriditate luctus, ita perturbat ac moerore conficit animos, ut eos etiam avocare & avertere ab tali cogitatione necesse habeant, ea paullatim accipit suavitatem tantam, ut eam etiam oblectationis causa sibi proponant, eique libentissime indulgeant. Profecto haec dum scripsi, recensendis animo & intuendis viri bonis, tanta non modo voluptate perfusus sum, ut Tibi saepe gratias tacitas egerim, qui me ad hanc scriptionem impulisses, sed etiam caritate viri incensus, ut, cum maxime ama-

rim, tamen multo magis, quam antea, amare Gesnerum viderer. Itaque Te quoque, & quicunque haec legerint, ita adfectos ab hac lectione difcefluros confido, ut ad priftinum de Gesnero judicium, quamquam praeclarum, benivolentiamque, magnam acceflionem factam fentiant.

Natus eft anno fuperioris feculi uno & nonagefimo in Franconiae villa prope Noribergam, fed Anfpacenfis ditionis, patre Jo. Samuele, qui ibi facra faciebat magna cum fanctitatis laude. Hujus de majoribus etfi nihil certi poffum tradere, unde planum fiat, an cum magno illo Conrado communes origines nofter habuerit; tamen ab eo memini mihi ante multos annos fcribi, fe veftigiis quibusdam eo duci, ut ab eadem fe ftirpe ortum crederet: itaque non dubitaffe, Conradum imitari, quatuor elementorum figuras in epiftolis fignandis ufurpando, praefertim hortante Jo. Jacobo Gesnero, Tigurinae Scholae clariffimo ornamento. Hoc autem ille fcripferat mihi, quia vitio dederat nefcio quis, quod eo figno uteretur, cui nihil praeter nomen cum illa familia effet commune, atque arrogantiae & vanitatis nomine reprehenderat. At ille non opus habebat ab alio petere nominis claritatem, qui fui ipfe ingenii luce nomen fuum fatis illuftre feciffet. Sed de hac re certiora fuo tempore tradet, qui vitae Gesnerianae Commentarios fcribere inftituit, Hambergerus V. C.

Patrem mature amifit, annos natus undecim; fed affectum patris & curam reddidit vitricus, qui non modo puerum ipfe, quoad domi fuae habuit, literis erudivit, fed etiam in Gymnafium Anfpacenfe deduxit, in quo octo ipfos annos convictu publico, & difciplina literarum ufus eft. Praeerat tum illi ludo Georgius Nicolaus Koclerus, magnae vir doctrinae, & excellenti docendi folertia, fed qui fama digna carebat, quod ingenii monimenta prodere non curabat. Enimvero omni tali monimento illuftrius eft, quod fibi in Gesnero difciplina fua conformando peperit, & nactus eft ab hujus grata eloquentia, qua imaginem ejus expreffit. Ille autem mirifice delectabatur hoc opere difciplinae fuae, gaudebatque fe ab difcipulo doctrina & eloquentia fupera-

ri. Itaque cum ad eum ſcribebat, utebatur hac praeſcriptione: *Lentulus Ciceroni ſuo.* In inſtitutis viri hujus, quibus eum longe a faſtu paedagogico abfuiſſe, & varietati ingeniorum accommodare ſolitum diſciplinam pateat, hoc maxime numeraverim, quod Gesnerus libenter narrabat. Cum in lectionibus tradenda videbat, quae ad Gesnerum nihil pertinerent, intelligebatque, eum, ſi nihil aliud, certe nihil acturum, quod vix ſperari poteſt in alacrioris ingenii puero, & tempus perditurum; adferebat, quod ipſe ageret ſeparatim a ceteris, locum difficiliorem e ſcriptore Graeco, aut e Codice Hebraico, ſaepe etiam una continuatione & ſine accentibus ſcriptum, verba item Graeca aut Hebraica temere ac nullo ordine contexta, quae, dum ceteros doceret, ipſe explicaret, & deinde explicata praeceptori traderet: qua re mirifice adoleſcentis ingenium ad quaerendum & inveſtigandum acuebatur. Cum nihil attulerat per tales occaſiones, patiebatur eum interea alias res tractare, literas Syriacas, Arabicas, Aethiopicas, Samaritanas, pingere, aut ad legendi facultatem exerceri, ſuppeditatis etiam libris. Atque ad harum linguarum omnium, etiam novitiarum, Francicae, Italicae, Britannicae initia percipienda privatim, docendo, hortando adducebat. Quorum inſtitutorum prudentiam ſibi plurimum profuiſſe fatebatur; libenterque commemorabat, quantum temporis illa cura praeceptoris & indulgentia lucratus eſſet, quod ſibi in alia diſciplina periturum fuiſſet, & permultis praeclaris ingeniis perit per condiſcipulorum tarditatem & ſuperbam inſcitiam praeceptorum, ad contemtum ſui trahentium & iraſcentium, ſi quis non vult bonas horas ſibi perire. Quo nomine mihi olim memini quendam de praeceptoribus iniquiorem fuisſe, qui, ſive ipſe animadverterat, ſive ab aliis audierat, me, dum ipſe ſuo modo interpretaretur, quae haberet in manibus, alia legere. Herodiani quodam tempore hiſtorias interpretabatur, ſed, ſive ſuo quodam inſtituto, ſive potius eorum cauſa, qui parum profeciſſent, quorum ſolet eſſe in Graecis magnus numerus, tardiſſime progrediebatur, cum in ſingulis verbis diu haereret, omnia cum pulviſculo

excuteret; cum ego, tarditatis illius impatiens, ita eum praecurreram in textu Graeco legendo, ut in extremo libro decurrerem, cum ille adhuc moliretur in primo. Cum igitur aliquando me vidisset attentius defixum in libro meo legendo, nec dubitaret, quin aliud legerem, quam quod ipse explicaret, repente, dum alius recitat, quod jusserat, descendit de cathedra, & me oppressurus suspenso gradu adrepit mihi. Jubet me pergere in lectione ab alio coepta. Ego coepi quaerere locum: ab vicino, ipso inspectante, petere librum. Tum ille, velut me in manifesto delicto deprehendisset, accusare fastidium meum. Et parum aberat . . . Ego autem, animo sumto, ei demonstrabam, Herodianum esse, quem legerem, adfirmantibus etiam vicinis: & res ipsa fidem faciebat, cum nullus alius liber in manibus esset: mihi nimis lentum negotium esse: itaque praegressum esse legendo, & cum maxime versari in ultimo. Proferebam etiam chartulas, in quibus quaedam excerpta e libris singulis scripseram. Hac ille demonstratione confusus conticuit, nec mihi postea molestus fuit. Et narrabat mihi post Freytagius, eum apud se hoc nomine de me questum, quod ea res ad contemtum sui pertinere videretur: se autem ei sic respondisse, ut diceret, cum meum studium omnibus notum esset, nec ipse ignoraret, me jam tertium annum acerrimo studio in Graecis versari, securum esse de me, &, quid legerem, inquirere non debuisse. Est sane res majoris prudentiae & artificii, quam vulgo credunt, multos, in tanta ingeniorum, adde etiam profectus diversitate, una disciplina continere, sive docendi rationem ita ingeniorum varietati accommodare, ut eodem tempore tarditati & celeritati consulas, illam incites, hanc non retardes & frangas. Ejus rei nec una ratio est, nec eadem cadit in omnia docentium ingenia. Sed de ea re hoc loco dicere ac praecipere nihil attinet: de Gesnero dicere instituimus: ad hunc igitur redibimus.

Non uni praeceptori carus erat Gesnerus, sed omnibus, qui praeclara ingenia cognoscere & amare didicerant: in his inprimis Jo. Frid. Weilio, viro multae & elegantis doctrinae, qui studia Principum Anspacensium

ſium Friderici & Guilielmi Friderici magna cum fide & pari laude rexerat. Is igitur non modo tum Gesnerum multis beneficiis adfecit, ſed etiam Academicis ſtudiis proſpexit, lauto ſtipendio impetrato, quo tenuitas fortunarum ſublevaretur. Dimiſſus ex Anſpacenſi diſciplina Jenam abiit, audivitque praeſtantiſſimos Philoſophiae, Matheſeos, Hiſtoriae, linguarum ac Theologiae doctores; ſed inprimis Danzium & Buddeum ſectatus eſt. Ab illo quidem ad intimos literarum Hebraicarum receſſus adductus eſt, nec minus Syriacae, Chaldaicae & Arabicae linguae idoneam & ad Hebraicas literas utilem ſcientiam. Buddeum autem aſſidue audivit, Theologiam, Controverſias, Hiſtoriam Eccleſiae tradentem, itemque Grotii divinum de jure belli ac pacis opus interpretantem. Et hunc quidem ita cepit ingenii admirabili praeſtantia, doctrinae recto ſtudio, ac mox doctrina ipſa & virtute, ut eum vellet eſſe in contubernio filii Caroli Franciſci, qui in aula Ducis Gothani, Conſiliarii, ad extremum Procancellarii munere magna cum laude functus ante paucos annos mortuus eſt. Atque etiam opera ejus in rebus privatis, quae quidem ad literariam rem pertinerent, utebatur. Nec eo utebatur ut miniſtro, ſed ut amico, ſaepe etiam conſiliario, omniumque bonorum ſuorum in communionem vocabat. Ei bibliotheca viri patebat: multo magis ipſe, hoc eſt, doctrina, conſilium, animus. Cum eo ſaepe diſſerere, in horto, quoties res & tempeſtas ſineret, deambulare; quoties otium ſuum oblectare vellet, Gesnerum vocare, non modo ut in ſocietatem oblectationis veniret, ſed ut eam etiam ingenii ſui ſermonumque amoenitate augeret. Erat autem Buddeus, ut commemorabat Gesnerus, in ſumma gravitate, tamen, cum animum remiſerat, & ab laborum ſeveritate ad otii hilaritatem deſcenderat, mirificae comitatis; cujus tum opportunitate uſus Gesnerus eliciebat ſermones de quibuscunque rebus vellet, h. e. quas maxime cognoſcere cuperet, nec unquam ab tali ſermone, niſi doctior, recedebat. In hac domo etiam natum primum eſt ſtudium hiſtoriae literariae, cujus diſcendae & bibliotheca copioſiſſima, & multo magis dominus ejus amplam facultatem dabant. Ceterum cum bene in-

telligeret Buddeus, quanta materia esset in ingenio Gesneri, & jam etiam doctrina in multis generibus literarum, inprimisque in eo, quod ad humanitatem pertineret, consideretque, in eo doctorem excellentem habituram esse juventutem scholasticam, impulit eum primum ad petendos honores, per quos docendi jus in Academiis datur, paullo post autem commendatione sua perfecit, ut ad munus docendi in Scholam Vinariensem vocaretur, cui, per tredecim annos, summa cum fide & pari laude praefuit.

Ea conditio longe inferior ingenio & doctrina viri erat. Itaque subinde expetebatur ad majora & lautiora munera. Sed erant alia, per quae retinebatur ita, ut nulla eum conditio ab his sedibus abstrahere posset: primum omnium Frid. Gothilf. Marefchalli e Greifiis, qui principem in aula Ducis locum tenebat, constantissima benivolentia & inusitata liberalitas. Nam cum esset ipse doctissimus & omnium literarum amantissimus, perspexissetque Gesneriani ingenii & doctrinae praestantiam, ita Gesnerum adsciverat, ut quotidie apud se coenaret, etiam inter illustres convivas, secum in praedium iret, in bibliotheca, quam egregie instructam habebat, sederet disserendi causa, denique super omnibus, quae ad ecclesiasticam & scholasticam rem pertinerent, consuleret. Cujus rei etiam hunc fructum libenter Gesnerus commemorabat, quod cum multis illustribus viris notitiam, etiam amicitiam contraxisset, per quas multis deinde profuisse. Accesserat etiam cura bibliothecae, quae de Logaviana & Schurzfleischiana instructa erat in arce principis, & librorum optimorum, praesertim historicorum, copia abundabat. Huic bibliothecae septem ipsos annos ita praefuit, ut quicquid temporis ab aliis curis & laboribus vacaret, in ea ordinanda, & multo magis in Commentariis conficiendis consumeret, non qui nomina librorum ordine certo digesta haberent, sed qui argumenta, quae vel totis libris, vel singulis librorum partibus, non modo ex instituto & de consilio librorum universorum, sed etiam obiter explicarentur. Eam rem sic agebat, ut libris singulis perlustratis, saepe etiam lectis, titulos rerum in schedis notaret, & in cistulas ad certum ordinem dispositas

ſitas conderet, quas ad extremum, cum omnes perſpexiſſet, in Commentarios digereret, atque ita & ſibi & aliis facultatem pararet reperiendi, quicquid de quaque re in libris illius bibliothecae eſſet. Aliquoties eum audivi, cum diceret, ſe in illo tanto ac diuturno labore hac ſpe ſuſtentatum eſſe, quod putaret, eo perfecto communis cujusdam Oraculi ſedem in illa bibliotheca fore, quod & ipſis, & per ſe conſulentibus reſponſa de omnibus rebus daret: interdum per jocum, Oraculi nomen etiam ad ſe transferebat. Sed illa ſpes ad irritum cecidit, fortuna quadam, ut tum interpretabatur, adverſa, ut eventus docuit, providentia quadam divina, quae vincula illa, per quae Vinariae tantopere adſtringeretur, abrumperet, ut ad loca deduceretur ea, in quibus dignum tali ingenio atque doctrina theatrum, & amplior bene de literis merendi materia contingeret. Et ſolebat hoc inprimis libenter uſurpare ſermonibus, nec modo providentiae divinae de ſe tam bene meritae praedicandae cauſa, ſed etiam, ut alios confirmaret, & eorum ſpem ad illius providentiae benignam ſapientiam converteret, nihil ſibi omnium, quae animo ſuo ſibi deſtinaſſet, & in magna felicitatis parte expetiſſet (quae multa mihi per multas occaſiones, etiam mea cauſa, commemorabat) contigiſſe, ſed omnia alia, votis ſuis ac ſpe majora. In quibus maxime ponebat illum Vinarienſem caſum. Nam mortuo Guilielmo Erneſto Duce, cum Mareſchallus ab adminiſtratione reipublicae ſummotus, multique, ut fit, una loco pulſi eſſent, qui ejus gratia locum ſuum obtinuiſſent, malum illud etiam Gesnerum contigit praeter ipſius & omnium opinionem. Etenim ita etiam novi Principis gratia floruerat, ut eum certe ſalvum omnes, multi etiam honoratiorem fore putarent. Amabat Princeps literas: commendatus ei Gesnerus erat a Buddeo, quo praeceptore quondam Halis Princeps uſus erat: ſaepe ei liberaliſſime promiſerat, aliasque benivolentiae ſignificationes dederat. Venerat aliquando ad eum, qui theſauros auri atque argenti maximos aliquo loco diceret latere, eosque ſe indagatos arte ſua eruturum promitteret. Benigne accepta erat impoſtoris promiſſio: ipſe, dum perficeret

promiſſa, laute habitus. Dies unus, alter, tertius: nihil fit. Cum dies bene multi abiſſent, non exſoluta fide, urgereturque a Principe, redactus ad anguſtias, nihil, ait, ſibi ad inveniendum obſtare praeter unam formulam, cujus vim aſſequi ſatis non poſſet: in hoc incili ſe haerere: ſi quis inde ſe poſſet expedire, ad effectum rei ſuſceptae venturum. *Eundum eſt ad Gesnerum*, inquit Princeps: *omnia ille ſcit.* Itur ergo ad eum. Gesnerus negat, ſe artes magicas didiciſſe aut exercuiſſe: enimvero conſideraturum formulam. Venit in mentem, ſe hujusmodi quid in libro aliquo vidiſſe, forte Trithemiana Steganographia. Hanc ergo primam adit: reperit ecce totam formulam. Re ad Principem delata, & fraude cognita, multatus, uti dignus erat, impoſtor abit: ceterum Gesnerus laudibus ferri: hunc vero eſſe virum: eum minus digne nunc haberi: ubi ad ſe ſumma rerum venerit, longe ornatiorem fore. Itaque ei tum, ut dixi, non modo incolumitas, ſed etiam novi honores opinione hominum & fama deſtinabantur. Sed omnia alia evenere. Ademta eſt bibliothecae cura, quamvis deprecantibus omnibus, qui aliquid apud Principem poſſent, & hunc unum idoneum ei curationi aſſeverarent. Rogabat, ut ſibi modo abſolvere opus inſtitutum liceret. Id quoque negatum eſt. Tum vero diſplicere Vinaria, nec modo hanc ob cauſam, quod intra muneris ſcholaſtici anguſtias cogeretur, ſed quod etiam nimis adfligi videret domum in ſe tam beneficam, & alios, quos coleret atque amaret. Itaque cum ei paullo poſt oblata eſſet Gymnaſii Anſpacenſis gubernatio, libenter accepit conditionem, tanquam divinitus oblatum donum, quod etiam commendationis non parum haberet a facultate bene merendi de Schola & Urbe de ſe tam bene merita, & illo ipſo anno, quo plaga tanta injecta erat, ſublatis rebus, migravit. Eo venit exoptatiſſimus omnibus, ſummis infimis in favorem viri effuſis. Et ipſum audivi narrantem, quomodo poſt multorum annorum intervallum adfectus fuerit, cum ad illum pueritiae ſuae nidum veniſſet, & in amplexus veteris praeceptoris, Koeleri, qui nuper ad Praeſulatum Svabacenſem a ſcholaſtica ſtatione traductus erat. Sed omne tempus, quod

quod inde apud Anſpacenſes egiſſet, jucundiſſime exactum eſſe praedicabat: cujus ſuavitatis partem bonam Oedero V. C. tribuebat, quem in ſcholaſtica curatione collegam concordiſſimum habuerat, & in conſuetudine quotidiana perjucundum confabulatorem. Quo fecit libentius, ut utrumque filium, in diſciplinam acceptum, primum ad elegantiam doctrinae formaret, deinde bene conformatos proveheret. Nam major natu commendatione ejus Gymnaſium Thorunienſe regendum accepit, eique rei dexterrime praefuit: ſed intemperantia ſtudiorum, ut audivi e Geretio, clariſſimo illo Eccleſiae Thor. Antiſtite, Gesneri cognato, atque, ut opinor, etiam moerore amiſſae ex partu uxoris, Geretiae, vitam praecipitavit: alter in Carolino Collegio apud Brunsvicenſes magna cum laude philoſophiam & mathematicas artes docet.

Verum Anſpacenſis commoratio non fuit diuturna, tredecim fere menſium. Vacabat tum apud nos Rectoris in Schola Thomana locus. Cum eum Senatus mandare quam maxime idoneo viro cuperet, primoribus Collegii Gesnerum impenſe commendavit illuſtriſſimus Bunavius, qui tum Senatui Eccleſiaſtico Dresdae ſumma cum dignitate praeſidebat, & omnibus, qui exquiſitius docti eſſent, veriſſime & enixiſſime favebat: nam caſu in hac Urbe erat inſpiciendarum rerum Academicarum cauſa. Acceptum eſt ſaluberrimum conſilium ab iis, qui maxime conſultum ſcholae cuperent, & acceptum eſt hoc facilius & libentius, quod non modo de doctrina viri conſtabat, ſed erant etiam, quibus exquiſita viri humanitas & elegantia nota eſſet. Etenim non multis annis ante Thomas Fritſchius, qui nobilem librariam in hac urbe factitabat, cum Jenae Buddeum magnifice de ejus doctrina judicantem audiſſet, cupiditate ejus cognoſcendi incenſus, dum huc rediret, per Vinariam iter fecerat, atque ipſum ſecum Lipſiam abduxerat, tum animi cauſa, tum ut ejus conſiliis in rebus nonnullis, quas pararet, inprimis in Lexici Fabriani, itemque hiſtorici repetitione uteretur. Is eum adduxerat in conventum virorum primariorum, Stiglitii, Boerneri, Baudiſii, Menkenii, Maſcovii, Wagneri, qui ſingulis diebus Martis ab hora ſexta coibant. Erant ibi pri-

primum sermones plures de literis: sequebatur coena frugalis, quae & ipsa sermonibus talibus exhilararetur. Munus excipiendi convivas in orbem ibat, & licebat adducere, si cui hospes venisset, cujus ingenium ab talis conventus consilio non abhorrere videretur. Narrabat mihi Stiglitius, quo tempore consilia de eo vocando agitabantur, omnes mirifice captos fuisse viri ingenio, doctrina, quae sine ostentatione paedagogica proferretur, & morum urbanitate. Invitatus igitur est literis Senatus ad Scholam Thomanam gubernandam. Nec dubitavit accipere, quod deferebatur: non quo poeniteret sortis suae & Anspacensium, sed quod sibi majorem hic facultatem dari putaret bene de literis merendi, nec sine numine divino eam sibi conditionem oblatam. Venit huc mense Septembri anni trigesimi, exceptusque est ita, ut facile agnosceret propensissima omnium in se studia, & summam in sua doctrina & dexteritate fiduciam; cum ei non modo honos a primariis viris haberetur maximus, sed etiam potestas fieret rei scholasticae, ut videretur, ordinandae. Saepe erat cum primoribus Civitatis vel colloquendi vel coenandi causa: ei liberi in disciplinam dabantur: omni genere liberalitatis cumulabatur. Unum ex eo genere commemorasse sat erit. Cum prima hieme, nondum absoluta Scholae exaedificatione & domicilii, quod ei destinabatur, longius ab schola habitaret, publice dabatur pecunia, ut sellam adopertam conduceret, qua deferri in scholam, &, finitis lectionibus, referri domum posset. Sed omnium maxime & constantissime eum amabat ac tuebatur Stiglitius, Scholae Thomanae tum Curator, qui etiam amorem ejus ad extremum ita conservavit, ut etiam audito Gesneri nomine gauderet. Incredibile dictu est, quantum Scholae illi profuerit, non modo disciplina ejus rectius ac novis legibus constituenda, & auctoritate regenda, sed etiam literis nova tum apud nos & pulcerrima ratione tradendis. Nec minus dixerim meritum de literis universis. Nam profecto etiam rectius ac melius de literis humanioribus, earumque vera & justa scientia, & Latine scribendi facultate, judicare, nostros homines coepit docere. Quae res ei etiam invidiam apud nonnullos contraxit,

qui

qui cum in his literis ante crediti essent excellere, eo cognito, magnam pristinae de se opinionis deminutionem factam sentiebant. Augebat invidiam primorum in eo praeter ceteros laudando, colendo & ornando inusitatum studium: quam ille tamen modestia, & summa in omnes humanitate lenire tentabat. Sed ejus valetudini aër, victus, inprimis, ut ipse ajebat, aqua, non bene convenire videbatur. Nam plerumque non satis valuit, & bis ita aegrotavit, ut vitae periculum adiret, semel anno primo, iterum quarto, illo ipso tempore, quo ei Gottingensis conditio offerebatur: quamquam posterioris morbi etiam alia causa fuisse videbatur, de qua dicere non est necesse. Quo facilius ei persuaderi potuit, ut ea conditione sibi utendum putaret.

Abiit ergo Gottingam, dolentibus omnibus, qui, quantam jacturam faceret Schola & Civitas ipsa, intelligerent. Ibi inter primos fuit, qui scholis habendis erudirent, quos novae scholae fama contraxerat, & allicerent fama nominis alios. Et fuit haud dubie per omne tempus princeps eorum, qui plurimum ei doctrina & consilio prodessent, ejusque gloriam fama ingenii & doctrinae, operibusque praeclaris longe lateque propagarent. Itaque probatissimus & carissimus fuit, quoad vixit, operis pulcerrimi post Deum auctori, & non modo illius, sed ipsarum literarum Statori unico, Magno Munchusio; cujus de laudibus si ita dicere vellem, uti dignus est, atque ipse sentio, longissima mihi explicanda esset oratio; quam hic locus non capit. Et sunt ejus opera & praeclare facta vel disertissima oratione disertiora. Gesnerus quidem in eo pulcerrimam & maxime amabilem felicitatis suae atque etiam gloriae partem verissime ponebat, quod, quicquid vel commodorum vel ornamentorum sibi Gottingae contigisset, id omne de manu illius acceptum teneret. Sed multiplicem personam ibi sustinebat, primum Professoris humanitatis universae, deinde Bibliothecarii, tertiam Antistitis Seminarii Philologici, quartam Inspectoris Scholarum per Luneburgicas terras universarum. Ac primam quidem quomodo sustinuerit, si Tibi dicam, Ruhnkeni Clarissime, injuriam fecerim judicio Tuo.

Bi-

Bibliothecarius qualis fuerit, ea, quae de Vinarienſis bibliothecae curatione dicta ſunt, & vero etiam multiplex linguarum & doctrinarum ſcientia, quaerere non ſinunt. Ipſe autem non modo ſcientia Bibliothecariorum omnium longe princeps erat, ſed etiam elegantiſſima humanitate, & expromta adverſus hoſpites facilitate. Quoties ad uſus communes patebat Bibliotheca, ipſe praeſto eſſe, circumire, qui adeſſent, elicere ſermones, conſilia dare, libros ei rei, de qua quaererent, idoneos indicare, praebere, viam reperiendi, utendi, demonſtrare ac munire. Hoſpites autem quoties ad bibliothecam viſendam veniſſent, ſermonem ad ſua cujusque ſtudia trahebat, quid in eo genere rarum, praecipuum, proprium eſſet, oſtendebat, de rebus ipſis, quoad cujusque captus ferret, & ſine ſcholaſtica oſtentatione poſſet, diſſerebat. Itaque illi ſic diſcedebant, ut, doctrinam potius an elegantiam & humanitatem praedicarent, vix decernerent. Et eſt illa bibliotheca, ubi aliquis optet Bibliothecarii munere fungi, digna Bibliothecario Gesnero. Non dicam, quam bene habitet, quamquam hoc quoque in bibliotheca laudatur. Initia illius, quae vidi ipſe in dedicatione ſcholae novae, erant ea, ut juſtae bibliothecae modum haberent. Sed ab illo tempore, ampliata utrimque ſede ſua, incrementa cepit, quanta vix tribus ſeculis alia ſperet. Quicquid uſpiam dignum illa ſede prodit, id eo defertur: quicquid quispiam de Doctoribus publicis optet ibi eſſe, id, ut ibi ſit, curatur. Catalogi ab omnibus Europae partibus convolant ad Munchuſium; ab eo ad Bibliothecarium veniunt, ut quid ipſi, quid Profeſſoribus placeat, ematur, nulla copia viri ſummi liberalitatem fatigante.

Seminarium Philologicum, ipſius de conſilio inſtitutum, habuit eundem adeo auctorem & praeſidem. Scripſerat olim, adhuc paene juvenis, Jenae, de Buddei ſententia, *Inſtitutiones rei ſcholaſticae*. Ejus libri tum conſilium erat, ut lectionibus ſuper eo habendis juvenes idoneos conformaret ad ſcholaſticum munus recte obeundum; ne agendo demum diſcere neceſſe haberent. Sed id conſilium tum erat impeditum vocatione Vinarienſi. Videbatur ei conſilii hujus

jus ad rem deducendi opportunitas data esse Gottingae, ubi & facultas juvenum esset, ea studia aemulantium, & necessitas talis instituti ostenderetur, ante omnia, ubi haberet Maecenatem, animo, & voluntate, & liberalitate ad omnia paratissimum, quae bene consulerentur. Ita tum Seminarium hoc est institutum. Recipiuntur, exactis studiorum tirociniis, qui, de praesidis judicio, ingenio & voluntate parati sunt ad rem scholasticam administrandam. Hi ab eo, docendo, monendo, exercendo, ad id genus provinciae bene administrandae, & omnes partes ejus recte peragendas praeparantur. Et sunt iis regia beneficentia stipendia constituta. Sed tota instituti ratio ab ipso Gesnero literis perscripta est, nec indiget oratione nostra. Id autem pluribus scholis valde profuisse, ut ego non dicam, Tua Te sponte arbitror judicaturum esse.

Minus felix fuit Inspectio Scholarum, non Gesneri culpa, qui sui consilii copiam omnibus & doctoribus scholarum & curatoribus patere volebat, illis in docendi ratione, his in delectu doctorum, & doctorum ipsorum opera, vita, moribus, disciplina idonea regendis. Sed & doctoribus multis ille talis monitor & magister non valde placebat, & ceteri etiam, ne sui juris deminutio fieret, timebant: quasi aliud verius & majus jus esset, quam recte & utiliter facere, sive tua sponte, sive ab alterius consilio & admonitu facias. Et audio, Gesnero mortuo, hanc Inspectionis provinciam esse sublatam, rogantibus Civitatum Magistratibus, & facilitate atque indulgentia primatum aulicorum.

His quatuor personis adjuncta est ante hos decem annos, quinta, cum, instituta Academia doctrinarum, ipsi Classis historica & philologica credita est, ad extremum etiam totius Academiae gubernatio. Hanc quoque personam ita gessit, ut & Academiae gloriam nomine suo illustraret, & pluribus literarum capitibus novam lucem accenderet, cum se ad ea diligentius rimanda & illustranda dedisset. Ea quae sint, Commentarii Academiae docent, & Schedae Gottingenses, quae de libris novis exponunt. Per eam occasionem etiam deductus est ad Orphica, certe dili-

gentius tractanda, de quibus post dicemus. Neque haec, quamvis multa, & magna, & plena laboris, ita eum occupabant, ut nihil superesset temporis ad literas scriptis juvandas & ornandas: quae ab eo tot ac talia habemus, ut nihil aliud egisse videri possit. Lipsiae quidem inter multos ac status labores, & qui in Scholae instauratione extra ordinem accedebant, ut minora taceam, *Rei rusticae scriptores* absolvit, & *Lexicon Fabrianum* totum iterum recensuit, correxit, & locupletavit. Gottingae autem, ut scis, *Lucianum* Latinum fecit, & notis exquisitis ornavit, *Quintiliani Oratorias Institutiones*, *Plinii Epistolas* & *Panegyricum*, *Horatium* & *Claudianum* castigavit, & utilissimis eruditionisque accuratae plenissimis notis illustravit, denique *Thesaurum Latinitatis*, opus maximum, & laboriosissimum, & eruditissimum edidit, vel unum ad immortalitatem nominis & perennem gloriam suffecturum. Et illa minora prope innumerabilia ne numero quidem, quae vel per occasiones solennes publice scripsit, vel aliis privatis de causis.

Inter haec Gottingae ita valuit corpore, ut semel tantum periculose aegrotaverit, ante hos decem annos. Quod periculum elapsus, tamen a reliquiis mali infestatus, ad extremum etiam oppressus est. Modo pedes ab incumbentibus eo vitii reliquiis intumescere cum pruriente rubore: modo attollente se ad intestina malo, coctio & excretio turbari, superveniente etiam interdum maligno alvi fluxu. Sustentabat tamen malum naturalis animi & corporis vigor, ut sufficeret laboribus, atque etiam pristinam hilaritatem conservaret. Nec dubitatur, quin longius vitam tracturus fuerit, nisi supervenissent, per quae validius irritaretur malum, & pernicies acceleraretur. Culpam ergo festinatae mortis bellum sustinet, inprimisque superioris hiemis saevitia, quae aëris immunditie, & victus tum inopia, tum insolentia, etiam bene valentes adflixit, ac saepe oppressit, nedum languentes & male adfectos. Nam uxoris mortem, quae & ipsa in societatem causarum vocari possit, ita placide & constanter tulit, ut ad perniciem corporis valuisse vix videatur. Primum gravius tentatus est mense Septembri anni sexagesimi, cum, in reditu a legatione ad Xaverium

Du-

Ducem, diutius aërem humidiorem in Visurgi amne hausisset. Superiori itaque anno, in omnibus ad me literis, mortis sibi propius minantis mentionem fecit, ut interdum etiam dubitare de Orphicis absolvendis videretur. In literis autem a. d. V. Kal. Jun. scriptis, etsi ostendebat, se propter vacationem scholarum habendarum sperare, ad finem venturum *Syntagma Orphicum*, tamen addiderat, nisi quid gravius incideret, & de diarrhoearum molestiis iis, quas medici nostri ad paralysin viscerum trahebant, & ad mortis vicinae periculum. Quae praedictio eventum suum habuit. Nam vertente Julio, ita aucta est mali vis & imbecillitas corporis, ut mortem prope adesse appareret; quae consecuta est a. d. III. Non. Aug.

Arbitror Te animadvertisse, Ruhnkeni Clarissime, per totum hujus narrationis decursum, in Gesnero non minus rarae fortunae, quam doctrinae exemplum extare. Ejus felicitatis magnus cumulus fuit, immo permagna pars, in matrimonio, quod Vinariae inierat cum Elisabetha Charitate Eberhardia, Sacerdotis Gerani in Ducatu Gothano filia, quam, sola animi & virtutis praestantia incensus, duxerat. Erant in ea omnia, quae beatum matrimonium redderent: amor & reverentia mariti insignis, liberorum diligentissima cura, rei familiaris administratio plena scientiae, fidei & parsimoniae honestae, quae decus conservaret, & studio mariti non adversaretur. Memini, cum ipse bonam copiam librorum, in auctione externa emtorum, acceptam mecum perspiceret, eam adstare, cum pretia cujusque dicerentur, probare salubritatem emtionis, laudare librorum pulcritudinem, denique optare, ut etiam major copia emta esset. Haec an per simulationem dixerit, nec ne, haud pro certo dicam: vocis quidem sonus & oris species nihil habebant, quod simulationis suspicionem faceret. Ceterum si, ut est feminarum ingenium, aliter de hoc genere sumtus faciendi sensit, prudentia tamen feminae apparet, quae innocenti studio viri non adversaretur, sed ei potius verbis indulgeret. Quo minus miranda est illa constantissima concordia & pietas mutua, cujus vix aliud pulcrius exemplum vidi. Et tulerunt hae tantae virtutes praemia digna, per liberos ingenii prae-

clari & fortunae optabilis. Nam filius Carolus Philippus, ob medicae doctrinae & artis, atque etiam virtutis reliquae praestantiam, inter Medicos Regis Poloniae adscitus est, atque ornamentis Consiliarii aulici condecoratus; filia autem, Christiana Elisabetha est in matrimonio ejusdem artis, fortunae, & ordinis in aula Cassellana viri, Jo. Jacobi Huberi: quibus, & ipsorum, & parentis causa, optabile est, etiam in posterum omnia secunda contingere.

Haec habui, quae de vita viri summi Tibi, V. C. narrarem: in quibus ipsis ejus, h. e. ingenii, animi, & morum imaginem, si non plane expressi, tamen non leviter adumbravi. Sed magis elaboranda est illa adumbratio, ut plane Gesnerum perspicere, & animo contueri totum possis; quod Te maxime intellexi a me expetiisse.

Ingenio ab omni parte excellenti & rari exempli fuisse, nemo dubitaverit, qui, quae scripserit, & quomodo scripserit, quaeque etiam in iis generibus calluerit, in quibus nulla monumenta prodidit, non ignorat, omninoque per consuetudinem familiarem eum cognovit. Quanta facilitate ac celeritate in arripiendo, & firmitate in retinendo fuerit, multitudo linguarum ac disciplinarum argumento est, quas paene puer perdidicerat, maturiori autem aetate vel exquisite, vel supra mediocritatem callebat. Et tamen interdum memoria minus, quam vellet, se valere dicebat, ridebatque philosophos quosdam recentiores, qui etiam a memoriae magnitudine judicandi vim debilitari, dicerent, hanc autem majorem esse in iis, qui memoria parum valerent. Sed satis fidebat memoriae in iis rebus, in quibus domicilium ingenii posuerat. Itaque non utebatur Excerptorum auxilio, nec alio subsidio memoriae, quod nos quidem cognoverimus, nisi quod interdum in capite librorum lectorum notabat quaedam insignia in utramque partem. Cum se ad scribendum dederat, omnia ei veniebant in mentem, sine cogitandi contentione. Itaque non diu moliebatur, sed brevi tempore profligabat, paene sine labore ullo, quae alium valde fatigarent. Cum in nodum difficilem inciderat, ut in emendando, interpre-

tan-

tando, fere in prima intentione ingenii occurrebat, quod quaereret: ubi res non processerat, semel iterumque tentando, ultra non quaerebat. Neque enim vim faciendam esse ingenio: Elicienda esse, non exprimenda, quae probare perito & eleganti judici velis: quae nimis laboriose quaesita sint, vultum nitentis habere: his ipsis verbis, per jocum, utebatur. Atque hinc illa omnium, quae scripsit, naturalis & grata simplicitas, quae paene cogit probare inventa ejus, & de rebus omnibus sententias. Sed huic tantae ingenii felicitati adjunctum erat plurimum urbanitatis & venustatis, non modo illius, quae in toto habitu orationis & rerum tractandarum modo cernitur, sed etiam ejus, quae in singulis sententiis ac dictis se profert.

Scientiae paene infinita copia erat. Orientis linguas prope omnes callebat, Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam, Samaritanam, Arabicam, Aethiopicam: Hebraicas literas ita excellenter, ut certare de principatu cum principibus earum literarum posset. Audivi eum, cum diceret, se Danzii de his literis libros, si perirent, restituturum. Latinarum & Graecarum literarum principibus adnumerare nemo dubitaverit. Poëtas, Oratores, Historicos, Philosophos pari studio ac diligentia legerat, nec minus diligenter res, quam verba tractarat. Nec ita admirabatur veteres, ut contemneret recentiores. Nam & hos legendo cognoverat. Theologiam ex eleganti Buddei disciplina acceptam nunquam dimiserat, nec erat quicquam in ea disciplina, quod eum fugeret. Sed laudabat Theologiam, quae e fontibus sacris ducta, & literis ornata esset. Novam hanc subtilitatem demonstratorum metaphysicorum non magis, quam veterem illam scholasticam, probabat, & in rebus theologicis ἀσφάλειαν magis ab sensu impresso per scripturas & agentem per eas Spiritum S. quam ab subtilitate demonstrandi laudabat atque expetebat. Itaque vix ferebat, testimonium Sp. S. quod vocamus in arte, repudiari, de quo etiam, non ita multis ante mortem mensibus, indignatiunculam quandam suam literis apud me effudit, quem in eo sibi consentientem sciebat. Quaestiones subtiliores,

& ad ſummam religionis nihil pertinentes, ſed controverſiae plus quam veritatis & utilitatis habentes, averſabatur. Itaque de iis diſputationes etiam a ſe amovebat, negando ſe Theologum eſſe, uſus per jocum Italico Sixti dicto: *Jo non ſono Theologo:* quod vidi etiam in partem deteriorem per imperitiam aut malignitatem trahi.

Philoſophiam vehementer amabat. Veteris ſcientiſſimus, etiam novam & ejus inventa tenebat, nulli ſectae addictus. Itaque cum hic eſſet, non minus ſaepe mecum de philoſophia, quem de literis Graecis & Latinis, diſſerebat. Hiſtoriam naturae adamarat lecto diligenter Plinio, naturae hiſtorico. Sed etiam recentiorum obſervata libenter cognoſcebat. In quo magnum adjumentum habuit Gottingae a conſuetudine plurium naturae ſcrutatorum, Halleri, Segneri, Holmanni, & inſtituta inprimis Academia, de qua ſupra dixi. Sed jam in hac urbe profecerat e Walthero & Platnero, quibus utebatur plurimum, itemque Hauſenio, cujus etiam experimenta phyſica ſpectare cupiebat, quae tum primum propoſuerat rerum naturalium ſtudioſis, cum negaret ſibi turpe fore, ſi horum ſpectator inter adoleſcentes ſederet; cum illa mimica ſpectacula ſine turpitudine promiſcue quaelibet aetas adiret. Sed haec Hauſenii, praeceptoris mei amantiſſimi, Mathematici excellentis & ἀποδεικτικωτάτου, mentio me ad eam partem doctrinae Geſnerianae deducit, quam literatores vulgo non attingunt, cum ſuperiores illi principes, Melanthon, Camerarius, Joſ. Scaliger, P. Victorius, aliique magno ſtudio amplexi ſint. Itaque, ut alia incommoda taceam, interdum accidit, ut in poëtis, ubi Aſtronomica attingunt, vel haereant, vel turpiter labantur. Geſnerus autem non erat in hac parte doctrinae rudis, ut qui etiam Algebram tractaſſet; negabatque perfectam humanitatis doctrinam ſine illa ſcientia contingere poſſe. Et ſtudioſe commendabat adoleſcentibus hanc doctrinam, qua etiam ingenia acuerentur ad omne genus doctrinae recte percipiendum, & ad coërcendam ingenii laſciviam, comparandamque ἀκρίβειαν in omni genere doctrinae.

Hiſtoriam non modo veterem ita cognoverat, ut ex-

excelleret, sed etiam recentiorem non neglexerat. Lexici historici, quod, e Buddei instituto, per Thom. Fritschium curatum est, cum editio altera pararetur, ei mandata est pars ea, quae ad Brunsvicensem & Brandeburgicam historiam pertineret: Et quae in Relationibus de libris novis IX. 9. itemque in prolusione aliqua de Russici Imperii historia scripta sunt, ea vero ita probata sunt, ut etiam Commentariis Academiae Petropolitanae insererentur. Habuerat hujus scientiae augendae amplissimam facultatem in bibliotheca Vinariensi, qua vix alia est in hoc genere locupletior. Attigerat etiam Jus Civile Romanum, praeceptore Laur. Andr. Hambergero, quem Gravinae Origines Juris interpretantem Jenae audierat. Neque enim ignorabat, quam multa essent in libris Latinis, quae sine juris illius scientia satis intelligi & explicari non possent.

Latinae eloquentiae non praeceptorem magis excellentem, quam exemplum rectissimum & perpulcrum fuisse, nemo dubitaverit. Praecepta dicendi non inutilia putabat, sed in docenda juventute iis parce utendum censebat: admonebatque assidue suos, ne in iis magnam spem ad bene dicendi ac scribendi facultatem ponerent, sed in exemplis potius accurate cognoscendis, & in exercitationis assiduitate & constantia. Imitationem exemplorum commendabat, non servilem illam, sed liberalem, quae exemplis bene & assidue cognitis, & ingenii bonitate constaret, h. e. ea, qua ipse usus esset. Puritatem orationis Latinae laudabat, & pueris inprimis sectandam dicebat, cujus aetati ea cura conveniret; ceterum superstitionem morosam improbabat, magisque habitum universae orationis curandum, & ad exempla recta fingendum dicebat. Itaque in castigandis & judicandis vel discipulorum vel aliorum scriptis, qua verba & phrases, minus acerbus erat, etiam subtimidus, ne reprehenderet, quae idonea auctoritate defendi possent, patiebaturque in eo sibi discentes obloqui. In Scholis non probabat morem singulorum scripta privatim corrigendi, non praesentibus, qui scripsissent. Eum laborem frustra fere insumi, quod plerique vel negligerent inspicere, quae

 emen-

emendata essent, vel rationem & caussam emendationis nescirent. Itaque sic instituerat in Schola Thomana, ut in exercitationibus publicis, majores & provectiores statim Latine exciperent, quae Germanice proponeret, & audientibus omnibus, quos excitarat, corrigeret, ut inde & alii proficerent, & peccata sua emendarent. Ceterum, dum illos audiebat, modo hunc, modo alium interrogabat, quid ipse scripsisset, vel libros inspiciebat: interdum etiam veluti consilia cum discipulis inibat, de modo recte vel exprimendae sententiae, vel scripti emendandi, ut omnes acueret. Ipsius oratio pura est, elegans, perspicua, & venusta, etiam cum tenuissimas res, ut grammaticas & criticas, tractat: in ceteris, quae aliquem ornatum capiunt, crebra sententiis, acutis, novis, &, ut res sunt, vel gravibus, vel suavibus, adspersa verborum floribus, non oppleta, leniter profluens, bene vincta & omnibus de caussis mire dulcis. Quas ob virtutes, quicquid scripserat, cupidissime legebatur. Nunquam deerat, quod diceret apte ad caussam, & ad personas. Ipsae illae praefatiunculae breves in capite Tabularum, quae lectiones Professorum indicarent, semper aliquam bonam & non vulgarem sententiam habebant, aut si hanc, tamen novo modo tractatam, & hanc ob caussam suavitatis commendationem. Mirificum artificium erat in imaginibus personarum pingendis, in quibus etiam pulcritudini reliquae adspersas labeculas ita exprimebat, ut lectores alienos non secus, atque Ennium naevus in pueri cari articulo, delectarent, nec offenderent cognatos. An orator perfectus fuerit, qualem Cicero fingit, alienum sit quaerere, aut in utramvis partem pronunciare. Si perfectus orator est, qui de omnibus rebus apte dicat, erit ei haec laus non deneganda. Quid enim non apte rebus & personis scripsit? Sin is, qui etiam grandia vel sua natura, vel motu animi, apte possit dicere, judicandi facultas nulla est in eo, qui sublimis illius orationis, praesertim qua motu animi magno censetur, usurpandae facultatem nec habuerit, nec habere in illo vitae genere potuerit. Ceterum memini me ex eo audire, sibi orationis illius usum negatum, quod vox ei apta & latera non contigissent: & illam vehementiorem senten-

tiis,

tiis, voce, gestu orationem a nostris moribus esse alienam.

Eloquentiae adjuncta erat poëtica facultas, quam multis exemplis egregiis probavit peritissimis. Eam autem magis a naturae, lectione poëtarum adjutae, bonitate, quam exercitationum assiduitate habebat. Et feliciter ei res procedebat, sive Elegos, sive Odas, sive hexametros scriberet, mansitque ei facultas haec ad annum sexagesimum, quo, ut supra dixi, graviter decubuit. Nam ab eo morbo ita ipsi exciderat, ut frustra versus conaretur. Sed quod magis quis miretur, paucis ante mortem annis repente rediit. Adeo illa facultas non est in potestate nostra!

Docendi genus non modo perspicuum & accuratum erat, sed etiam suavitate quadam ingenii commendabatur, sine ostentatione doctrinae & lectionis. In enarrandis auctoribus Graecis & Latinis haec spectabat, primum, ut studiosi recte intelligerent verba & sententias: deinde, ut sententiarum & verborum virtutes sentire consuescerent, & gustu elegantiae & pulcritudinis imbuerentur, imbiberentque sensum honesti ac decori: sed nihil magis, quam ut seriem totius orationis perspicerent, modumque rei cujusque tractandae. Itaque etiam celerius plerumque in interpretando progrediebatur, nec probabat eos, qui in nimis multas & minutas partes in interpretando concinderent v. c. orationem Ciceronis unam, in singulisque diu haererent per speciem diligentiae, quae nihil praetermitteret, & in succum & sanguinem discentium convertere omnia conaretur. Nam ita cum singula diligentius perspicere viderentur tirones, totius perspiciendi facultatem adimi. Eandemque ob caussam non probabat intervalla plura & longiora fieri lectionum super eodem scriptore, aut eadem oratione: sed eandem rem continuatis horis, & sepositis interea aliis rebus agi volebat; ita brevi tempore integras orationes absolvi, ut, qui mediocrem diligentiam adhiberent, totius argumentum, partes omnes, earumque conjunctionem & explicationem tenerent. Ejus rei rationem ab eo in praefatione Livii Lipsiensis accurate expositam cognoscere possunt, qui volent. Nos quidem & ipsi hanc rationem constanter

ſecuti ſumus in Schola Thomana. Per vices, ut hoc utar, horis antemeridianis ita interpretabamur Orationes & Epiſtolas Ciceronis, ut unum & alterum librum epiſtolarum uno tenore, ſenis per unam hebdomada dierum horis, explicaremus: iis menſis fere unius ſpatio abſolutis, eodem modo aliquot orationes enarrabamus. Ita vertente anno, cum ſumma rerum actarum fieret, dimidium certe epiſtolarum volumen, & ſedecim amplius orationes, abſolutas conſtabat. Item cum libros de Officiis propoſuiſſemus, ſingulos libros una continuatione, eo quo diximus modo, explicabamus, ut intervalla non capitum & parvarum particularum, ſed librorum fierent. Itaque qui quatuor aut tres annos uſi erant diſciplina noſtra, Ciceronem non ex articulo uno & item altero, ſed permagna ſui parte cognoverant: eamque rationem diſcipulis noſtris plurimum ſcio & ad intelligendum & ad ſcribendum profuiſſe. Licebat autem nobis in illa Schola talibus inſtitutis uti, quod carebamus miſeris illis legum vinculis, quibus in aliis Scholis obnoxii ſunt etiam boni praeceptores, ut non poſſint ſuis inſtitutis uti: & id faciebamus inconſultis iis, qui, de more, Inſpectorum nomen ferrent. Deylingio memini me hoc narrare, cum plures jam annos illa ratione uſus eram. Cum ei excuſare factum inſtituerem, ille vero etiam me prudenter feciſſe, ajebat. Nam conſulendo ſaepe bona conſilia corrumpi. Me vero rectius Inſpectoribus omnibus intelligere, certe debere, quid eſſet utile juventuti.

Sed ut ad Geſnerum redeam, in docendo magis curabat ingenia bona, & in quibus ſtudium appareret, quam tarda & ignava. Si quos cognoverat, uſu, & re aliquoties tentata, nihil proficere, ingenii & voluntatis vitio, eos fere negligebat, ne in iis male periret tempus, quod aliis prodeſſe poſſet. Et ſcio quosdam, cum ſe viderent negligi, & cauſam intelligerent, pudore incenſos eſſe ad ſtudium doctrinae, & proficere coepiſſe. Putabatur etiam interdum ſubiracundus eſſe in docendo: nec negabat, ſe aetate ea, quae ferventior eſſet natura, in hoc infirmiorem fuiſſe: addebatque per jocum, ſolatium ſibi & aliis iracundioribus in docen-

do

do honeſtum & magnum eſſe a Cicerone propoſitum, quod, ut quisque ingenioſior ſit, eo iracundius docere dicat (*Roſc. Com. cap.* 11.) Aetate provectiori, audivi, libenter ac ſaepe digredi ſolitum ad rationem praecipiendi de moribus, & ad explicandos locos communes ex eo genere, prope in concionum modum. Quae res ſi minus conſilio docendi, at aetatis auctoritati apta fuit, cujus propria eſt, ut veriſſime ait Cicero, monendi, cohortandi, adde etiam objurgandi ſeveritas & gravitas, quam etiam verboſiorem ſenectus ipſa fecit, praeſertim in eo, qui etiam in verbis exercendis conſenuerat.

Scripta ejus pleraque, majora omnia, pertinent ad grammaticam & criticam rationem. Gottingae res ſcholaſticae ſaepe facultatem dedere aliquid ſcribendi, in quo magis eloquentiam & ingenium poſſet oſtendere. Memini eum, cum de ſcribendis libris colloqueremur, optare, ut aliquando ſcribere poſſet, in quibus ingenium magis quam diligentia valeret. Nam & jucundius legi, & plures atque etiam optabiliores lectores invenire, & majorem laudem parare, cum diligentiam in poteſtate omnes haberent, ingenio natura valeremus, & facilius docte, quam ingenioſe & venuſte ſcriberetur. Libri autem ii, qui ſunt e grammatico & critico genere, hoc eſt, auctores Graeci & Latini ab ipſo curati, profecto ſunt ejusmodi, ut diſciplinam quandam habeant talium operum recte & ſalubriter condendorum. Criſis eſt modeſta, ſevera & accurata, docta, atque etiam felix. Difficilia & obſcura malebat explicare, quam corrigendo ad intelligentiam communem accommodare. Conjecturas ingenioſas laudabat magis, quam probabat: & nihil magis quam dulces illas ingenii illecebras in judicando cavendum monebat. Nec tamen ingenio, literis & doctrina diu ſubacto, nihil tribuebat: quo & ipſe non pauca feliciter correxit. Principatum in auctoribus conſtituendis & interpretandis tribuebat lectioni ſcriptoris cujusque aſſiduae, & uno tenore aliquoties repetitae, per quam ipſius ſcriptoris ingenium perſpiceretur ac prope indueretur. Plerosque hac maxime de causa ſaepe verum non vidiſſe, aliena ab mente ſcriptorum tradidiſſe, & repugnantia ſcripſiſſe,

 quod

quod talem lectionem neglexissent: de quo in Scriptorum rusticorum praefatione accurate scripsit. Itaque non probabat cunctationes editorum nimias; per quas oblivionem venire & eorum, quae scriptor, & quae interpres ante dixisset. In interpretando & illustrando brevitatem sequebatur, sed quae nihil desiderari pateretur. Itaque non obruebat lectores notis, sed adjuvabat. Nec verba modo curabat, sed vel inprimis res. Scriptorum Graecorum bene & eleganter vertendorum nullum aliud pulcrius exemplum extat, ut opinor, quam Luciani interpretatio Latina, quam ab Hemsterhusio, viro summo, depositam ipse susceperat: adeo pura, elegans, & formae Lucianeae retinens est, salva Latinitate. In eo autem scriptore etiam hac, opinor, de causa felicius laboravit, quod eum ab adolescentia studiose legerat, ac paene imbiberat. In hoc ipso primum fere & maxime didicerat, quid ad inveniendum & judicandum prodesset lectio continens, & totum velut spatium saepe decurrens, & seriem rerum universam persequens. Nam hinc venerat ille primum velut gustus Lucianeus, per quem, quid Luciani esset, nec ne, & in libellis universis, & in singulis verbis eleganter discerneret, deinde acumen videndi, quid suo, quid alieno loco esset, ut in Demosthenis Encomio, quod transpositione unius paginae feliciter primus restituit. Nec alia via primus omnium sensus veros Hippocratici de diaeta libri indagavit, & obscuritate liberavit: protractis in lucem Hippocraticis animabus; in quo tamen etiam sagacitas ingenii & (ἀκρίβεια) diligentia, tum in judicando, quid intelligas, nec ne, tum in determinandis notionibus verborum ac rerum profuit. Extrema aetate Orphica diligentius tractavit, iisque emendandis & illustrandis coronidem imponere huic generi operum ac laborum constituerat: quae erat digna tanto ingenio tantaque doctrina materia. Et satis scio, id opus, cui ad absolutionem nihil praeter praefationem deesse audio, dignissimum Gesneri nomine, & gloriosum Germaniae fore: in quo etiam Tecum saepe reperies actum, Celeberrime Ruhnkeni, quem propter

in-

ingenium doctrinamque vehementer admirabatur, mea caussa etiam amabat.

Lexicorum vel conficiendorum, vel locupletandorum & emendandorum rationem optime tenuisse, gnaviter vel indoctus vel impudens sit, qui ambigat, aut se simulet ambigere. Farrago quidem Latina, quae a Fabro quodam primum instituta, ad has copias exaggerata est, ejus de manibus primum sic prodiit, ut usibus discentium pariter & docentium videretur sufficere. Et tamen majus opus concepit animo, Thesaurum Latinitatis, ad formam Stephaniani institutum, sed quod jure suo unius nomine inscripsit. Neque enim aliter Stephaniano labore usus est, quam pro basi operis sui: ceterum ita correxit, auxit, non modo verbis & formis loquendi, sed etiam explicatione locorum innumerabilium, ut novum opus haberi posset. Quod nos quidem optime potuimus judicare, qui opus, ut manu ejus exierat, vidimus atque perspeximus. Neque tamen ita perfectum hoc opus vel volebat videri, aut voluerat esse, ut nihil ei ab alius diligentia posset accedere, quod sane imperiti & iniqui sit, ab uno homine postulare. Non ignorabat, id fieri non posse, nisi quis omnes ex ordine auctores Latinos hoc uno consilio legat, ut omnia in locos suos digerat: quod profecto non cadit in unum hominem ejus aetatis, quae tali labori satis apta sit. Qui Lexica contemnere videri volebant, & eorum auctores, omninoque de labore hoc, ut contemnendo, nec satis digno hominibus doctioribus, detraherent, quos inter vestrates fuisse quosdam scio, Ruhnkeni Doctissime, iis non irascebatur ille quidem, ceterum contemnere illorum contemtum, atque etiam ridere magniloquentiam solebat. Recte. Sunt enim fere aut ii, qui id genus laboris recte aestimare nesciunt, aut ipsi hoc contemtu avertere suspicionem volunt, se talibus e libris saepe sua sumere. Est profecto multo facilius, minorisque doctrinae, in uno, aut aliquot scriptoribus Latinis, de verbis & de phrasibus, quibus velis ac possis, aliquid, vel explicandi, vel illustrandi caussa, afferre in medium, quam omnes Latinitatis copias recensere, ubi nullam partem praetermittere intactam licet. Et si notis illorum contemtorum detrahere velis,

lis, quae ad Lexicon pertineant, aut e Lexicis, si non aperte, at callide, & artificio quodam, sumta sint, quae reliqui summa foret? Sed de ea re ipse dixit, tum in Thesauri sui praefatione, tum in ea, quam Reiheriano scripsit, qua etiam non leviter offensum scio aliquem vestratium; sive ita sibi conscius erat, ut ad se traheret, quae ibi in hanc sententiam dicta repererat, sive quis, ut mihi narrari memini, ex hac urbe ad eum miserat plagulam illam, & in eum scripta esse persuaserat, quae in eam partem dicta essent. Sed haec de ingenio Gesneri, doctrina, & meritis in literas, dicta sunto: ad animum ejus moresque veniamus: quae pars etiam pulcrior & jucundior, nisi vehementer fallor, reperietur.

Initium faciamus a religionis reverentia & amore atque pietate in Deum. Et religionem quidem tanti faciebat, in eaque tantum hominis bonum esse censebat, ut generis humani communes hostes judicaret, & propterea odio acerrimo dignos, qui eam eripere hominibus, aut ejus dignitatem labefactare conarentur. Ipse veritatem Christianae religionis & praestantiam sensu magis & experientia quam subtilitate demonstrandi se cognovisse dicebat, praesertim in periculosis morbis, cum vitae finis adesse videretur: non quo plane contemneret demonstrationes a viris doctis tentatas, sed quod eas aliis magis, quam demonstratori prodesse, magisque ad alliciendos animos, quam ad certam persuasionem valere, πληροφορίαν illam πίστεως, rerum humanarum & mortis ipsius victricem, ab sensu a Spiritu S. impresso venire existimaret. Pietas in Deum erat integra, nulla ostentatione fucata, factis magis quam specie & verbis se proferens, totiusque vitae moderatione & aequitate. Nam neque in rebus secundis, quae ei per vitam prope universam contigere, efferebatur, neque in adversis ita deprimebatur, ut se ad aequitatem animi attollere non posset. In periculis, quae imminebant Gottingae, antequam iterum caperetur ab hostibus, consuefecerat animum, meliora sperare, fretus providentia divina: cum secus evenisset, ferre, quae accidissent. Eximere spem conantibus, *interea*, respondebat, *usura fruamur*. Per totum tempus, quod inde capta iterum urbe, inter com-

communia & magna incommoda, quae per obſidionem ſuperioris hiemis premebant urbem, exactum eſt, in literis ad me ſuis nihil admodum queſtus eſt, ſed omnia tolerabilia narravit. Haec aequitas & conſtantia eſſe non poteſt, niſi a vera pietate in Deum, quae & munit animum adverſus acerbitatem ſenſus, eumque lenit & extinguit, & animum reverenter ſubmittere voluntati divinae docet. Audivi in principiis rerum Gottingenſium, nondum conſtitutis omnibus, ei iraſci ſolitos, qui multa ſibi deeſſe quererentur, cum ipſe nihil ſibi deeſſe diceret. Nempe eadem ipſi, quae aliis deerant, fortaſſe etiam plura, ut qui a Lipſiae copiis venerat, ſed animus aequus ei non deerat, qui ſe flectere & aptare rebus poſſet, non res ſibi parere vellet, inſuetas imperii humani, nec audientes cupiditatum humanarum vota. Pulcerrimum dictu eſt, quomodo tulerit acerbiſſimum caſum uxoris optimae, quacum tot annos vixerat, cujusque auxilio in illa valetudinis infirmitate maxime indigebat. *Recepi me*, paucis diebus poſt ad me ſcripſit, *ab animi confuſione, quam adſpectus moribundae & mortuae & pompa mortis offuderat. Melius erat me deſtitui, quam ipſam, cum alterutrum deſtitui neceſſe eſſet.*

Nec fortunae magis aequus erat, quam hominibus. Suum cuique reddere judicio ſuo, etiam cum corollario: nemini invidere fortunam, omnium minime laudem & gloriam. Immo favebat ingeniis, ſaepe ſupra, quam digna eſſent, & ab illa, quam dixi, aequitate, & ab ſtudio hominum vel juvandorum laude ſua, vel incendendorum. Itaque etiam peccatis & erroribus facilis erat, tegebatque magis & diſſimulabat, quam aperiebat aut exprobrabat. Solos hos non ſatis ferebat, qui ad inſcitiam adjungerent impudentiam, & oſtentarent doctrinam, in qua ne mediocritatem quidem attigiſſent. Fatebatur, eam ſibi indignationem commoveri a memoria fraudis, quae ſibi aliquoties ab tali impudentia & oſtentatione oblata eſſet. Erat autem haec indignatio ejusmodi, quae ultra verba non procederet, eaque modo apud ipſos, corrigendi cauſa, aut inter amicos, expromebatur. In ſcriptis neminem unquam ob talem aliquam cauſam aſperius tractavit, praeter unum Helladium, cujus

jus impudentiam in Miſcellaneis Lipſienſibus prioribus acri ſale perfricuit. Et aliquoties eum audivi optare, ut ſibi illud juvenilis acrimoniae, ac prope laſciviae, opuſculum revocare liceret: quod optatum, niſi fallor, etiam ſcripto prodidit.

Par aequitas erat adverſus eos, a quorum ſententiis diſcreparet ſua, nec modo in conſiliis capiendis, ſed etiam in communibus literis, nec vidi, qui facilius, ubi veritas ab ſe non ſtaret, in alterius ſententiam flecteretur: quippe non ſe, ſed veritatem ſpectabat. Atque etiam, cum in diſputatorem, quamvis falſum defenderet, tamen pertinacem inciderat, aliquoties tentata correctione, ubi nihil proficiebat, cedere ſe ſimulabat, eo vultu, ut ille ſtultus etiam ſe viciſſe gauderet: quam laetitiam ſe nemini invidere dicebat. Cavebat tamen, ne poſthaec tali diſputationi ſe immittere neceſſe haberet. Ac ſcio fuiſſe, quocum de interpretationibus & emendationibus locorum difficilium ſermones conferre omni modo fugeret.

A quibus vero durius ipſe tractatus erat in hoc genere, iis nunquam acerbe reſcripſit. Non tulerat Petrus Burmannus diſſenſum ejus in locis Quintilianeis. Itaque in Lucaniis notis aliquoties, ut ſcis, Ruhnkeni Doctiſſime, vehementius reſcripſerat. Quid Gesnerus? Nihil niſi leniter queſtus eſt ſuper injuria apud Ruckerum, JCtum, Burmanni collegam; a quo facillime exoratus eſt, ut parceret ſeni, quem nimio plus adfligeret morbus graviſſimus. Pontederae moroſas & ſuſpicaces, injurias magis, quam querelas, quomodo exceperit, omni ultione praetermiſſa, veras & lenes querelas atrocibus reponens, (*praef. Luciani*) non ignoras. Menkenio, qui, nulla injuria accepta, corporis magis, ut putabam, quam animi morbo incenſus, in eum effuderat aliquid bilis vitioſae, nihil pro acerbitate ea reddidit, niſi Programma *de miniſtratoribus criminum* (*Bolzendrehern*) quo nomine ab illo appellatus erat, ipſo ne verbo quidem laeſo. Ita hoc paene luſu res transmiſſa eſt. Quotusquisque ad hanc ſapientiam & aequitatem animi ſe perveniſſe vere poteſt dicere? Sed majus etiam fecit in Popevicio, a quo Theſaurus

Lati-

Latinitatis pari inſcitia, & acerbitate reprehenſus erat in libro, quem *de Mari* inſcripſerat. Vis ſcire, mi Ruhnkeni, qua de cauſa? Nempe in Lexico eo, quod non Germanis ſolis aut maxime ſcripſerat, in quo non magis verbum Germanicum eſſe voluerat, quam editores Britanni Anglicanum, aut Stephanus quondam Francicum, in eo igitur nominibus Latinis plantarum, animalium, arborum, nomina vera Germanorum non addiderat. Magnum crimen & dignum iſtis tragoediis! Et laudavit contra Fabrianum Lexicon, quod ipſe Gesnerus bis totum recenſuerat, ut facile fuiſſet omnia in novum Theſaurum vocabula Germanica transferre, ſi conſilium tuliſſet. Sed ille ſive nimio linguae patriae amore & ſtudio, quod etiam, cum paullo poſt editum librum hic eſſet, mulierculae interdum ridebant, ablatus, ſive, ut tum fama ferebat, ab obtrectatoribus Gesneri Lipſienſibus inductus in hanc fraudem erat. Cujus famae fidem tum mihi facere videbatur, quod ſatis ſciebam, unum ex iſtis homini cuidam obſcuro & famelico, qui redemtori ſcriptorum ruſticorum, neſcio qua de cauſa, iratus, jactarat, ſe in corrigendis ſpeciminibus typographicis ſuſtuliſſe multa peccata grammatica notarum, ei igitur pecuniam obtuliſſe, ut ea ſcripto vulgaret. Haec propterea ſcripſi, ut intelligerent homines invidi & maligni, artes has minutas & obſcuras non in obſcuro eſſe, ſed cum contemtu & infamia ſua patefieri, poſt mortem etiam proferri. Sed Gesnerus, ut ad eum redeamus, adeo non aegre tulit injuriam, ut etiam auctor eſſet homini conficiendi nomenclatoris herbarum, arborum, piſcium &c. Latino-Germanici, cum accuratis rerum ipſarum explicationibus, quales hiſtoriae naturalis periti deſiderarent, eique in ea re, quicquid opis ferre poſſet, polliceretur, ſi Gottingam venire, & ibi hoc agere vellet.

Haec autem tanta lenitas & manſuetudo non a lentitudine naturali & negligentia famae venerat, nec ab aſſuetudine injuriarum excipiendarum, quae callum obducit paullatim, ſed ab inductione animi, quae ſola conſtantiam dignam Philoſopho & Chriſtiano adfert. Inerat enim natura teneritas quaedam & mollitudo animi in utramque partem, ut acri ſenſu & bene-

neſi-

neficiorum & injuriarum moveretur. Ea conservata & aucta erat perpetua indulgentia, qua summi eum viri constanter foverant multos per annos. Itaque ab initio, quod ipse mihi fatebatur, vehementius movebatur, cum ei aliquid accidisset, quod non deberet, isque morsus animi ipso vultu se prodebat. Sed ille, id quod animadvertenti observare licebat, omni ope sorbebat dolorem, & animum cogebat concoquere, in principiis quidem non sine incommodo valetudinis, paullatim sine noxa & magna cum constantia: quam cum ab aliis, tum a Brendelio, eruditissimo & celeberrimo medico Gottingensi, audivi praedicari, cum ille paullo post gravem Gesneri morbum, de quo ante dixi, aliquot dies in hac urbe commoraretur, & multum esset mecum. Etenim nihil aliud magis ajebat se mirari in Gesnero, quam lenitatem & patientiam in ferendo tali dolore. Incredibile esse dictu, quae ille & quanta cum constantia & aequitate interdum in Consilio publico a collegis quibusdam audierit. Nec vero ita opprimebat dolorem, ut memoriam retineret, &, se retinere, per occasionem, dictis factisve ostenderet. Etiam cum repentino aliquo & non proviso dolore opprimebatur, tamen statim colligebat se, atque & ad ignoscendum paratus erat, & vero etiam ad amicitiam jungendam, si quis vellet.

Neque enim proniorem aut aptiorem ad amicitias hominem vidi, vel natura & ingenio, vel animo & moribus. Qui tam libenter loqueretur cum mortuis, quorum delectum coetum domi, pulcerrimum concilium in bibliotheca publica habebat, tamen non minus libenter, vel coram, vel per literas, agebat cum vivis. Omnium hominum erat: nemo ab ejus aditu, consuetudine, sermone excludebatur. Et poterat cum omnibus, apte ad personam cujusque, sermocinari, ut supra praedicavi. Alliciebat autem ad se omne genus hominum meliorum doctrinae suae & humanitatis fama, capiebatque adeuntes ac colloquentes sermonum copia, utilitate, varietate, comitate, atque etiam, cum personae, res ac tempus paterentur, amoenitate. Nihil in eo arrogantiae aut fastidii erat, vel adversus eos, quibuscum esset,

vel

vel de quibus ſermo incideret: de nemine detrahere, extollere etiam ſupra veritatem, ſeque demittere infra aequales aut minores vel ordine, vel ingenio & doctrina. In lectione paene infinita, etiam ſcriptores recentioris aetatis Francicos, Britannicos, Italicos, Germanicos complexus erat. Itaque non modo de his quoque ſermones ſerere poterat, ſed etiam refertus erat copia rerum, factorum, dictorum, quibus commemorandis exhilararet confabulatores. Et ipſe acute movebatur in jocando. Erat autem genus jocandi liberale, venuſtum, hilare, inter eruditos etiam doctum. Quo minus mirandum, ſi, ut priora tempora praetermittam, quoad Gottingae vixit, etiam ab illuſtriſſimis hominibus, & exquiſita elegantia excultis ejus conſuetudo expetita fuit. Duces quidem Francici, qui Gottingae per hoc bellum praeſidiis praefuere, omnes ejus conſuetudine libenter ſunt uſi, ſaepeque ad eum viſendum colloquendi cauſa ita venere, ut eum in mediis ſtudiis literarum opprimerent, & de rebus iis, in quibus tractandis eum reperiſſent, cum eo diſſererent. Dux autem Novi Caſtri, cum Regi comes Gottingae eſſet ante plures annos, cum nullo alio plures ſermones miscuit, eum omnium maxime humanitate ſua eſt complexus.

Sed ut haec ſint ad amicitias conciliandas & ſuſtentandas efficaciſſima, tamen ſunt modo, ut ita dicam, voluptaria & condimenta amicitiarum. Illa vero majora, ſanctiora, & ſalubriora, fides, integritas, juvandi veriſſima voluntas & acerrimum ſtudium, conſtantia denique, pariter reperiebantur. Quae ſunt labefactandarum aut diſſolvendarum amicitiarum, ſuſpiciones, invidiae, levitates, longiſſime aberant. A ſuſpicionibus non modo in amicos, ſed etiam alios, adeo alienus erat, ut etiam ſaepe deciperetur, a quibus non putarat, opusque haberet admonitionibus amicorum, ut caveret. Sed malebat in hanc partem cum aliquo incommodo ſuo ac dolore decipi, quam in alteram cum injuria adverſus innoxios, & nimis bonus videri, quam maligne cautus.

Nihil illo officioſius non modo in amicitiis, ſed adverſus omnes. Et officium, id quod multis locis

& in multis hominibus intellexi, ita praeſtabat, ut appareret eum gaudere officio, & in eo fructum amicitiae ponere. Nec quemquam ejus auxilium in ulla re fruſtra expetiiſſe, ſcio, cujus facultatem haberet. Interdum non optima gratia referebatur: nec tamen poenitebat. Ipſe autem quicquid ei vel a majoribus beneficii, vel ab amicis & aequalibus & minoribus officii, tributum eſſet, ita accipiebat, ut etiam gratia augeret, memoria perpetua proſequeretur, & in beneficio accepto poneret, ſi remunerandi occaſio oblata eſſet ab iis, quibus deberet.

In ſuos indulgentia mirifica erat, ſed innoxia, & quae officii gravitate ſalubriter temperaretur. Itaque liberi auctoritatem ejus ita reverebantur, ut metus omnis abeſſet, cum patre una inque conſpectu ejus eſſe. omnia, quae vellet, quaeque velle conjicerent, facere gauderent. Ex inſtitutis paternae diſciplinae non alienum ſit hoc commemorare, quod ab infantia ita conſuefecerat filiam pariter ac filium, ut ſecum Latine omnia loquerentur, ad cujus rei facultatem ipſe eos adduxerat non praeceptorum ſeveritate, & ſcholis habendis, ſed uſus lenitate, & artificiis, luſus quam diſciplinae ſimilioribus. Idemque in nepte ex filia & inſtituiſſe & perfeciſſe audivi.

Conſuetudo vitae domeſticae haec erat. Dormiebat ad horam ſextam, niſi qua neceſſitas citius ſurgere juberet: ſomnum petebat ab hora decima: aliter vix ſatis ad labores vigebat. A prandio reſidens in ſolio expectabat ſomnum, qui ei paratus & perofficioſus aderat, ſed, ut humani ſalutatores negotioſorum hominum ſolent, vix ultra horae quadrantem manebat: & tamen plane recreatus ſurgebat. Negabat, ſe ſine hac refectione ſatis alacrem ad reliquam diei partem eſſe. A coena, quam tenuem & parcam ſumebat, in muſeum pergebat, ſtudiisque doctrinae, vel epiſtolis ſcribendis, ad horam decimam vacabat. Id tempus, quod ſine interpellatoribus exigere licebat, inprimis carum habebat, idque ſibi eripi non libenter patiebatur. Miraberis, Ruhnkeni Optime, quomodo in hac vitae conſuetudine, quam ab initio usque ad extremum tenuit, inter tot labores docendi, negotia alia publica, interpellationes crebras adeun-

adeuntium, curas rerum domesticarum, cum etiam epistolas saepe & ad multos scriberet, immo ad omnes, a quibus per literas compellatus esset, quomodo tantas doctrinae copias congerere, tot libris conficiendis ac scriptionibus aliis sufficere potuerit. Sed sibi vicariam temporis longioris adsciverat mirificam & diligentissimam dispensationem diei, quae nullam particulam sine actione effluere sineret; & a natura habebat mirabilem alacritatem facilitatemque agendi, de qua etiam supra commemoravi, magisque ingenii parati felicitate, & consuetudinis efficacia, quam laboris contentione valebat. Ea porro alacritas per omnem diem aequabiliter vigebat, & ad somni capiendi horam statam perferebatur, magisque adsuefactione, quam lassitudine lectum, cum hora venerat, petebat: in quem cum se vix conjecerat, quamquam sine fatigatione, tamen mox obdormiscebat, & ad horam, quam diximus, sine intervallis vigiliarum, placide somnum continuabat.

Corporis species, in statura justa, plurimum dignitatis habebat; eaque, ut audio, ad extremum salva permansit. Oris lineamenta bene expressa sunt in imagine ea, quae caput Thesauri ornat, nisi quod artifex, dum radio fingere vultum ad comitatem & hilaritatem tentat, sive illa pictoris culpa fuit, irridenti similiorem fecit: quo nomine Geretium, de quo supra dixi, apud me indignari memini. Erat enim in vultu plurimum gravitatis, sed quae a tristitia longe abesset, & temperaretur comitate. In sermone cum amicis, & adeuntibus visendi causa, hilaritatis etiam aliquid accedebat, quo facile caperet animos hominum. Pronunciabat perspicue, presse tamen, & cum aliqua gratia. In incessu, gestu & omni motu corporis, ingenii illa & animi alacritas, de qua ante dixi, perspiciebatur. Nec ea destituta est a corpore, statim post graviorem illum morbum; paullatim tamen aliquid languoris trahere videbatur.

Alacritas & vigor ingenii ne moribundum quidem defecit, multo minus tranquillitas & aequitas animi. In ipso lecto fatali circumfusum fuisse libris, & legisse aliquid, aut scripsisse, constat. Nec Orphica aberant. Ad extremum medici per familiarem quendam ei de-

nunciarunt, vitae finem haud procul abesse. Qua denunciatione audita, *bene habet*, inquit. *Quae cum Deo agenda sunt discedentibus a vita, non ad hoc tempus distuli. Et meis mandata dedi pleraque. Ergo cetera expediamus.* Atque ita fecit: biduumque proximum, sine ulla trepidatione, inter placida & tranquilla omnia, exegit, ipso oris habitu & sermonum omnium constantia tranquillitatem pectoris approbante. In sermonibus ipsis omnia digna viro vere Christiano, & qui sapientiam divinam & humanam tot per annos exercuisset: in quibus & ipsis placide defecit. Ita qui totam prope vitam voce, literis, factis docendo consumsit, etiam finem vitae habuit, in quo esset disciplina pulcerrima mortis bene obeundae, nec minus gloriae apud posteritatem habitura, quam cetera ingenii, animi ac vitae bona, quoad literis & sapientiae & virtuti honos suus constabit, habebunt.

Verusne fui, Ruhnkeni Praestantissime, cum in principio dicerem, quomodo affectus ab hac lectione discessurus esses? Utcunque sit, ea certe, quae de Gesnero dixi, verissime a me dicta sunt, nec quicquam verius possum dicere, quam, me memoriam viri ad finem vitae summa cum pietate conservaturum, eaque mihi nihil in rebus humanis carius & jucundius futurum. Vale!

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Ernesti, Johann August,

Opuscula Oratoria

Lugdunum Batavorum 1767

P.o.lat. 494
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10608895-9